


Thomae Paszkowski
1810.

Ex libris Thomae Paszkowski

HISTORIA VETERIS ET NOVI TESTAMENTI,

QUÆ
STILO CLARO, ET SOLIDO
CONSCRIPTA,
SS. PATRUM TEXTIBUS ILLUSTRAta, aliorúmque Authorum floribus exornata, compendiosè, & dilucidè collecta
A
P. PETRO KWIATKOWSKI, Societ. JESU.

Cum Licentia, & Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus CHRISTOPHORI BARTL, Anno MDCCXLI.





JOANNES JUSKIEWICZ

PRÆPOSITUS PROVINCIALIS SOCIETATIS JESU PER POLONIAM.



Um opus, quod inscribitur: Historia Ecclesiastica Veteris & Novi Testamenti, compendiosè collecta, Latino idiomate conscriptum à P. Petro Kwiatkowski S. J. aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint,

rint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi factâ ab A. R. P. Nostro Michaele Angelo Tamburino, Societatis Nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem, has Literas, manu mea firmatas, & sigillô munitas dedi. Cracoviæ die 28. Augusti Anno 1730.



Idem qui supra. mppr.

APPRO-



APPROBATIO CENSORIS.

Istoria hæc Veteris & Novi Testamenti in maximum Commodum & Adjumentum cedit, iis præsertim, qui Ordinis Ecclesiastici sunt, ut muneri suo, Orando, Cantando, prædicando, Fidem propugnando satisfacere possint. Quapropter publica luce dignissimam judico, ac sumopere commendo. Augustæ Vindelicorum 10. Junii 1741.

Imprimatur H. S.

Augustæ ex Vicariatu 10. *Junii* 1741.

JOANNES ADAMUS NIEBERLEIN, SS. Theol. Doct. Episc. Diocl. Suffrag. Eustet. Canon. Cath. Eccl. August. p. t. Vicarius Generalis, mppr.

FRANCISCUS JOSEPHUS de HANDL, SS. Theol. Licent. Rever. & Serenis. Princ. & Episc. August. Consil. Eccl. Major. Pœnit. ac Libr. Censor. nec non Insig. Eccl. ad S. Mauritium Canon. & Parochus, mppr.

)(2

M. MAR-



M. MARTINUS WALESZYNSKI

SS. Theologiæ D. & P. Collega Major, Canonicus Cathedralis Cracoviensis, Premycoviensis & Montis S. Georgii in Scepusio Præpositus, studii Generalis Universitatis Cracovien. Procancellarius & Rector, Librorum per Diæcesin Cracovien. Ordinarius Censor.



Pus, cui titulus: Historia Veteris & Novi Testamenti &c. ab Adm. R. P. Petro Kwiatkowski Soc. JEsu, de Ecclesia & sua S. Religione optimè merito, stilo claro & solido conscriptum perlustravi, & legi: Quod, cùm nihil


nihil Orthodoxæ Fidei & bonis moribus dissonum contineat, imò faciliùs noscendæ utriúsq; S. Scripturæ per suum compendium, SS. Patrum textibus illustratum, aliorúmque Authorum floribus adornatum commoditatem porrigat; ideo, ut mediante prælo in lucem publicam quantocyus prodire queat, do facultatem. Datum Cracoviæ in Collegio Majori. Anno Domini 1731. 15. Calendas Aprilis.



Idem qui supra. mppr.

PRO-






PROTESTATIO AUTHORIS.



QUæ narrantur in hoc Libro de Vita & Virtutibus, Sanctimoniâ illustrium Personarum; & miracula, prophetias, revelationes, aliáque hujusmodi sapiunt: humana duntaxat authoritate, non autem divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis nituntur; atque ita fides sit penes Authores juxta Decretum Urbani VIII. 9. Junii Anno 1631.







Liber Primus.

Prima ætas mundi, velut infantia annorum 1656. sub Adamo, Noe ad diluvium.

Caput Primum.

De auctore ac constitutione mundi.



1. COnditorem, nec non se ipsum conditum miratus est orbis, dum plasmatricis manûs operâ emersit ex nihilo; attentus ad id præcipuè, quòd ter optimus maximus DEus, sibi ipsi ad esse sufficientissimus, ab æterno in se ipso existens, immensos bonitatis suæ thessauros creaturis, & in creaturis manifestare voluit; ut rationalis creatura ex creaturis Creatorem, ex bonorum communicatione optimum cognoscens, ad amorem summi boni, ad dandam gloriam omni honore dignissimo provocaretur, qui se ipsô felicissimus, in suæ felicitatis consortium, intellectu potentem, admittere dignatus est creaturam. Si quæras, ubi ipse extitit, antequam mundum condidit? Respondebit Tertulianus lib. contra praxeam. c. 5. *Ante omnia erat DEus, solus, & ipse sibi & mundus, & locus & omnia.* Nec incongruè de sensu D. Bern. l. 5. de cons. Poëta:

Dic ubi tunc esset, cùm præter eum nihil esset?
Tunc ubi nunc in se, quoniam sibi sufficit ipse.

Conditum fuisse mundum in vere, citans pro se Ambrosium, Mundus creatus in vere.

Gregor. Nazianz. P. Salianus; & sane videtur esse conveniens in prima sui ætate floridissima prodiisse mundum in vere: hinc Virgil. Georg. 2.

Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri, &c.

Quo sensu simul

Mundus non creatus simul, hoc est, in instanti mathematico; licet enim Eccl. 18. dicatur *creavit omnia simul*, ly *simul*, ut vult Salianus, potest de temporis spatio intelligi, quòd scilicet intra 6. dies simul, id est, continenter sine nulla dierum interruptione creatus mundus fuerit; tres autem dies illi, qui solis creationem præcesserant, per vicissitudinem lucis & tenebrarum facti sunt, ab illa luce primigenia, sicuti postea facti sunt à sole.

De constitutione mundi.

Prima die mundi cœlum Empyreum Angeli terra, lux, infernus.

Prima die mundi creatum cœlum Empyreum, omnes angeli eodem die creati, ut censent cum D. Thoma omnes ferè Theologi, juxta Salianum, citatque Cornelius à Lap. in Gen. c. 1. v. 1. S. Gregorium, Augustinum, Rupertum, &c. & concilium Lateranense sub Innocentio tertio: *Firma fide est credendum, Deum ab initio temporis simul utramque de nihilo condidisse creaturam spiritualem, & corpoream, angelicam & mundanam.*

Viam Angelorum paucorum ad summum dierum fuisse censent Cyprianus, Chrysostomus. Culpa illorum angelorum communius dicitur fuisse superbia, varieque à variis explicatur.

Eadem die producta terra & lux, quæ à plerisque patribus, 12. horis à creatione cœli Empyrei, & terræ producta existimatur, ac mox totidem horis, hoc nostrum hemisphærium emensa, ita, ut factus fuerit dies primus naturalis, cujus priorem partem tenebræ, posteriorem verò lux occupavit. Sicque prior primæ diei pars imaginario, posterior vero tempore mensurata, unam constituerunt diem, quæ juxta Basilium &c. fuit Dominica. Ludovicus Molina putat tertio die creatum esse infernum, tertio enim die terra ornata fuit, infernus autem est in centro terræ. Sed P. Cornel. a lap. p. 1. v. 2. infernum creatum esse primo die censet; nam, cùm angeli celerrimi sint, & instantaneos habeant actus, omnino verisimile est, eos primo die non diu post creationem suam peccasse, ideóque statim de cœlo trusos esse in infernum. Primo ergò die, sicuti DEus lucem à tenebris, ita angelos à dæmonibus, gra-

gratiam à peccato, gloriam à pœna, cœlum ab inferno divisit.

Secunda die creatum firmamentum.

Secunda die mundi creavit DEus firmamentum, & divisit aquas ab aquis. Gen. c. 1. Nomine firmamenti intelliguntur omnes orbes cœlestes, omnisque cœlorum congeries. Cui autem usui aquæ supercœlestes, firmamento ab aliis divisæ? non displicet illa Cornel. à lap. cogitatio: fortè ibi positas ad voluptatem sanctorum, qui cœlum Empyreum corpore cincti incolent, ut hisce crystallinis & variegatis undis oculi illorum recreentur, aquæ enim omnis coloris & ornatûs sunt capaces, ut patet in Iride, & vitreis, crystallinisque instrumentis in certas figuras efformatis, quæ variorum repræsentatione colorum, humanum oblectant obtutum.

Tertia die facta terra arida. congregatæ aquæ, Paradisus plantatus.

Tertia mundi die congregatæ aquæ in locum, quem nunc obtinent; tellus apparere cœpit; vocavit DEus aridam terram, congregationésque aquarum vocavit maria. Modum, quo facta arrida terra, congregatæque aquæ, existimat D. Basilius quòd scilicet omnipotenti vi sua DEus elevavit multis undique locis terræ globum; eádemque operâ factum est, ut montes in multis locis apparerent, ad quorum radices valles deprimerentur, variæ quoque in terra factæ cavitates, in quas aquæ naturali pronitate ad vitandum vacuum sese receperunt, sicque terra facta non ubique solida (sicut anteà erat solida, & exactè rotunda) sed quasi spongia aquîs repleta; ita superior aquîs facta, eadémque operâ factæ insulæ, lacus &c. Addit Molina, DEum, cùm elevaret terram, simul etiam in centro terræ ingentem cavitatem, & multó cæterîs omnibûs ampliorem aperuisse (ubi locus inferni) eamque cavitatem materiâ sempiternis incendiis idoneâ replevisse.

Annus mundi primus.

Plantatus Paradisus

Eam in hac elevatione terræ servasse DEum proportionem observat Salianus, ut terra undique versùs mare & flumina declivis esset, sicque non obrui aquis terram, cùm sit illis superior. Probabilius eodem die plantavit DEus Paradisum terrestrem circa Mesopotamiæ fines. in iis regionibus, quas Tygris & Euphrates præterlabuntur, dicit enim scriptura Gen. 2. v. 10. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. Nomen uni Phison v. 13. secundi Gehon. v. 14. tertii Tygris - - - fluvius autem quartus ipse est Euphrates.* Existimat Salianus terram quidem & locum, ubi erat paradisus, etiam nunc existere, illius tamen delicias vel diluvio, vel edacitate temporis corruptas. Hortus ille DEi optimè dis-

NB. plura de paradiso vide infra num. 3.

arbor vitæ

diſpoſitus variis arboribus fuerat ornatus. In medio paradiſi erat arbor vitæ fructum ferens eximium, cujus efficacitas ad immortalitatem probabiliùs naturalis fuit, finitaque vis, quæ vitam præſtare poterat longiſſimam, illam quidem, non tamen æternam. Fuit hujus arboris mentio Gen. 3. 22. Fuit ibidem & alia arbor, ſcientiæ boni & mali, de qua Gen. 2. 17. illáque probabiliùs ſpecie ab aliis arboribus diverſa, non fuítque illi vis naturalis ad producendum effectum dictæ ſcientiæ.

arbor ſcientiæ boni & mali.

Quarta die ſol, luna, ſtellæ prædictæ. Illarum magnitudo.

Quarta die produxit DEus ſolem, lunam, & ſtellas. Solem mathematici juxta P. Galtruchium in ſphœra mundi, magnitudinem globi terreſtris plus quàm centies ſexagies ſexies continere aſſeverant, cùm tamen luna ſit quadrageſies minor ipſô globô terræ. Stellas firmamenti, quæ dicuntur primæ magnitudinis, eſſe centies ſepties majores globô terræ.

5ta die Piſces, aves.

Quinta die producti piſces, aves ex aquis; probabilius in una ſpecie plures, quàm binæ.

6ta die animalia, homo creatus.

Sexta die, primáque parte illius producta jumenta, reptilia, beſtiæ. Secunda diei parte homo formatus, de quo Gen. 2. 7. *Formavit igitur Dominus DEus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Ex coſta deinde illius Evam formavit DEus. Tandem univerſi conditor: *requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat* Gen. 2. 3. Sexta die omnia peracta fuiſſe advertit Salianus, deducítque ex textu ſcripturæ Gen. 2. *Complevitque DEus ſeptimo die omne opus, quod fecerat.* Undè apparet, quòd antè diem ſeptimam fecerat. Septimus ille dies fuit ſabbati, & ab origine mundi, ut feſtus colebatur; non fruſtra enim dicitur, *memento, ut diem ſabbati ſanctifices*, antiquæ ſcilicet devotionis renovatur memoria. Præceptum de colendo die ſabbati, quatenus vult aliquod tempus ſanctificari, eſt naturale, & adhuc obligat: quatenus verò per id tempus deſignatur dies ſabbatinus, eſt cæremoniale, & in novo teſtamento abrogatum, ac pro eo in Eccleſia dies dominicus ſubſtitutus. Ita S. Thom. 2 2. quæſt. 122. Congruum autem fuerat deſignari diem Dominicum, in quo Chriſti reſurrectio, imò, ut multi cenſent, etiam nativitas, ac Spiritûs S. deſcenſus contigit.

7ma die requievit Deus.

Caput

Caput ſecundum.

2. Linea directa ab Adamo ad Chriſtum. Mundi pueritia paſtores.

Linea conſanguinitatis directa ab Adamo ad ipſum Chriſtum deducta per Emanuelem Theſſaurum Patricium Taurinenſem, comitem, & magnæ crucis equitem SS. Mauritii & Lazari.

1. Adam. 2. Seth. 3. Enos. 4. Cainan. 5. Malaleel. 6. Jared. 7. Enoch. 8. Mathuſales. 9. Lamech. 10. Noes. 11. Sem. 12. Arphaxad.

Mundi adoleſcentia milites.

13. Salem 14. Heber 15. Phaleg. 16. Revus. 17. Sarug. 18. Nachor. 19. Thare 20. Abraham. 21. Iſaac. 22. Jacob.

Mundi juventus duces.

23. Judas. 24. Phares. 25. Eſron. 26. Ramus. 27. Aminadab. 28. Naaſon. 29. Salmon. 30. Booz. 31. Obed. 32. Jeſſe.

Mundi virilitas Reges,

33. David. 34. Salomon. 35. Roboam. 36. Abias. 37. Aſa. 38. Joſaphat. 39. Joran. 40. *Ochozias.* 41. *Joas.* 42. *Amaſa.* 43. Ozia. 44. Joathan. 45. Achaz. 46. Ezechias. 47. Manaſſes Rex. 48. Amon. 49. Joſias. 50. *Jechonias.*

Mundi ſenectus ſolitarii.

51. Salatiel. 52. Zorobabel. 53. Abiud. 54. Eliacim. 55. Azor. 56. Sadoc. 57. Achim. 58. Eliud. 59. Eleazar. 60. S. Panther. 61. S. Bapanther. 62. S. Joachim. 63. S. Maria Virgo. 64. JEſus Chriſtus mundi Salvator.

Nova ætas, ſancti.

Nota: licèt Emmanuel Jechoniam dicit eſſe filium Eliacimi, iſte Eliacimus non eſt hìc poſitus, ſed cenſetur eſſe Jechonias filius Joas, cùm nec S. Matthæus in Chriſti Genealogia ponat Eliacimum. Deinde P. Salianus advertit, eundem Jechoniam vocari etiam Joakim, ſeu Joacim, & Eliacim. Nota ſecundò apud S. Matthæum non poni tres reges ſcilicet Ochoziam, Joas & Amaſa. Hos enim ob illorum impietatem conſultò omiſſos fuiſſe notat ſanctus Auguſtinus quæſt. 83. ex novo Teſtam. c. 4. deſcribíque ab eodem Evangeliſta tres Reges, ſeu Magos, quaſi hi in illorum impiorum locum in Chriſti Genealogiam eſſent adlecti.

De Adamo & Eva.

Adam formatus è limo Damaſcenæ terræ.

Ex limo terræ rubræ Damaſcenæ, non ab urbe Damaſco dictæ, ſed ab agro Damaſceno, qui eſt juxta Hebron, formatum fuiſſe corpus Adami, quem juxta Hebron creatum fuiſſe (teſte Cornel. à lap. in Gen. c.

2.

2. v. 7.) multorum est traditio. Id tradit S. Hieron. in Quæst. Hebrai. Lyranus. Hugo &c. *Adama* terram rubram significat, ex qua formatus, & dictus est *Adam*, magnum tamen id nomen censendum est, etsi à terra deductum, nam, ut advertit S. Augustin. tract. 9. in Joan. quatuor mundi plagæ per sui literas initiales in nomine Adam ex græco continentur. Adam enim, si initiales exponas, id est, quod Anatoli, Dysis, Arctos, Mesambria, id est, Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies, ut significetur ex Adam nasci turos esse homines, qui quatuor mundi plagas incolent. Inspiravit in eum DEus *spiraculum vitæ*, id est, animam (S. Augustinus lib. 13. de civit. DEi c. 24.) sicque constitutus est homo, effingente Conditore, corpus illius ex limo, animam ex nihilo. Ne spiraculo vitæ efferatur homo, additur limus, quo deprimatur imò, quid ex utroque superbiat, quoad corpus ex limo, quoad animam ex nihilo ducens originem? justâ quidem Adam erat staturâ ut generis humani, orbisque totius Principem esse decebat, non tamen, quod est monstrosum, in molem giganteam excreverat.

Nomen eius continet quatuor mundi plagas.

Adam extra paradisum

Extra Paradisum creatum fuisse Adamum censet Cornel. à lap. in Gen. c. 2. v. 15. scripturáque exprimit Gen. 2. 15. *tulit ergo Dominus DEus hominem & posuit eum in Paradiso.* In Hebron multi eum creatum fuisse existimant, indéque à DEo eodem die per angelum translatum esse in paradisum, ut sciret, paradisi se non hæredem esse, sed colonum, voluptatisque locum non naturæ suæ deberi, sed gratiæ divinæ. Creatio quoque Evæ satis in scriptura expressa Gen. 2. v. 21. *Immisit ergò Dominus DEus soporem in Adam, cumque obdormisset tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea* v. 22. *& ædificavit Dominus DEus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam.* D. Thom. 1. p. q. 92. art. 3. *Conveniens*, inquit, *fuit mulierem formari de costa viri. Primo quidem ad significandum, quòd inter virum & mulierem debeat esse socialis conjunctio. Neque enim mulier debet dominari in virum: & ideò non est formata de capite, neque debet à viro despici, tanquam serviliter subjecta; & ideò non est formata de pedibus. Secundò propter Sacaramentum, quia de latere Christi dormientis in cruce fluxerunt sacramenta, id est, sanguis & aqua, quibus est Ecclesia instituta.*

creatus. Gen. 2.

Eva creata Gen. 2.

Cùm costa Adami videtur & carnem adhærentem costæ sustulisse DEus, ait enim ipse Adam v. 23. *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea*, ergò Eva non tantùm ex Adæ osse, & costa, sed etiam ex carne costæ adhærente formata est. Cornel. in Gen. c. 2. 23. non ex carne præcisè, sed ex osse constructum adjutorium simile, quasi ut solidius esset, quàm carnis in conjugali fœdere vinculum charitatis, in osseque exprimeretur virtutum, soliditas. E corpore viri conjux formata, ut, sicuc observat P. Bussieres, qui ante unum corpore fuissent, unum & animo imposterùm essent. Dixit ibidem S. Thomas 1. p. q. 92. art. 3. corpus Adami in creationis suæ origine in uno latere costam habuisse superfluam, quæ numerum costarum alterius lateris excederet, & ex isto latere & costa in eo superflua, formatam fuisse Evam.

In paradiso.

Evam in Paradiso conditam esse docet S. Basilius: Ambros. D. Thomas &c. ac si natale solum delicatiori sexui magis conveniret in loco voluptatis: virum extra paradisum amplior, non tamen voluptatem redolens campus deceret.

8. Non diu tamen in paradiso voluptatis novi incolæ uberioris terræ versati; probabilius enim (Salianus) octavo à sua productione die, feriâ sextâ secundæ mundi hebdomadæ, dum plura quàm liceret, scire cupiunt, falsoque indulgent appetitui, DEo displicent, paradisô pelluntur. Ita Pererius, Delrio &c. Dum S. Irenæus, aliique dicunt, *eadem die*, qua creatus est, peccasse primum hominem, mansionéque paradisi deturbatum, intelligendi, eadem die, non numero, sed specie. Vivebant in paradiso sine ulla molestia, dolore &c. Hæc enim statui illius felicitatis repugnant; mundi principes contemplabantur rerum naturas, colloquiô cum DEo, familiari conversatione cum angelis, contemplationis, ac devotionis deliciis delibuti fruebantur, ut censet D. Gregorius. Denique transitum exspectabant ex hac vita, non exspoliandi corpore, sed supervestiendi immortalitate.

Pulsi paradiso primi parentes.

Communis Doctorum sententia, dæmonem cœlo deturbatum, agitatum invidiâ, quam humana suscitabat felicitas, verum ac solum tentationis primorum parentum extitisse authorem, vero serpente tanquàm instrumentô usum ad propellendum in ruinam genus humanum. Debiliorem conjugum partem, Evam scilicet impugnandam sibi tentator elegit, ut hac victa cum auxiliaribus deinde Evæ copiis aggrederetur Adamum. Felicissimos tentavit superbiâ, ingenitum scientiæ appetitum exacuit ad arborem scientiæ affectandam, ut intellectum

Peccatum primorum parentum. Gen. 3.

lectum humanum confunderet, impertinentem obtrusit scientiam, movit dubia, ut certis privaret, persuasit tandem in malo malum, dulcedine occultavit venenum. Debilior sexus prior gustavit cupedias, refectionemque intendens defecit; mox propogatum malum ad consortem vitæ & sceleris, in totum etiam genus humanum suum virus diffudit. Ne displiceret conjugi Adam, si recusaret, fatale suscepit obsonium, fortè nihil noxium provenire existimans ab innocente. Sed quis sexum non timeat, ut monet P. Bussieres, qui adhuc innocens nocet, vel placendo.

Tunc aperti oculi circumspectione carentium, viderunt miserias, rescivêre calamitates, adverterunt se esse nudos gratiâ, innocentiâ originali spoliati, consuerunt sibi folia ficûs, fecerunt perizomata, sed non satis tecti, ut vindicis divinæ justitiæ plagas sentire non possent.

Adfuit ultor Dominus (humanâ formâ, ut existimat D. Augustinus, indutus, in qua cum innocentibus conversari solebat) sed cessit loco inobediens servus Adam, abscondit se in medio ligni Paradisi, misera sanè ligno constructa munitio. Vocatus non statim jussis paruit comparendô, non petiit veniam, in vitæ sociam culpam lethalem detorsit eâdem ipse sauciatus, excusationem in peccato frustra quæsivit; per ipsaque diffugia, dum conatur pœnam evadere, invenit.

Eva quoque ad postulandam Dei misericordiam animum non adjecit, debilior sexus mitissimi Domini pectus lamentis ad parcendum non flexit. In serpentem tandem devoluta culpa, maledictionem traxit divinam. Sensus tamen à Deo intentus est allegoricus, ità, ut maledictio intelligatur contorta in dœmonem; sed non secuta nova pœna eundem (salianus) utpotè jam extra viam positum. Si status innocentiæ perseverâsset, soli prædestinati concepti fuissent, ut notavit Rupertus l. 3. c. 22. partúsque innocentium fuisset sine dolore. Mors stipendium peccati attributa reis; hoc tamen non est iratæ justitiæ, ait Rupertus l. 3. c. 23. sed miserentis, quod vitiatum hominem mortalem Deus esse voluerit, ne scilicet immortali miseriâ in hoc exilio vexaretur. Ut sentirent, se mortalitatis conditionem induisse, mortuorum animalium induti exuviis, & ut discerent in hunc usum posse animalia mactari, nec à Divina providentia peccatores excludi. Probabilius est (P. Salianus) illas pelles angelorum ministeriò ex occisis ovibus acceptas.

Ejecti è Paradiso primi Parentes habitarunt propè Paradisum,

Sep-

Paradisus ubi?

Septuaginta enim textum illum Gen. 3. v. 23. *Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram*, vertunt: & habitare fecit ipsum è regione Paradisi, hos secuti plures Patres, præcipue D. Chrysostomus; Gregorius Nissensus observat, nullum fuisse in Paradiso usum conjugii. Communiorem sententiam censet Salianus, quòd fuisset dictus usus in statu Innocentiæ, adhuc enim innocentibus largitus est Deus benedictionem, ut multiplicarentur.


Paradisi in orbe terrarum verisimilis statio, & locus.

Magna est inter Geographos controversia, in parte qua globi terraquei Paradisus constiterit? Sunt, qui insulam Zeylon, sunt, qui fortunatas insulas eidem assignent. Sunt quoque è SS. Patribus, & Scripturæ Interpretibus, & comprimis è Philosophiæ Chimicæ sectatoribus, qui asserunt, S. Scripturam de Paradiso terrestri loqui, in sensu tamen allegorico, non tamen literali, qui proinde varias Sacri Textûs exsplicationes adducunt, quas tamen S. Hieronymus, Augustinus, Epiphanius, aliique hæreseos arguunt. Sed & P. Cornel. à Lapide in c. 12. Gen. audacter pronunciat, de fide esse: Paradisum fuisse aliquem locum corporeum alicubi ad orientalem plagam in terra positum.

Sunt tamen, fateor, non leves difficultates & rationes dubitandi de loco Paradisi vero, quas suggerunt. 1. Mutatio Incolarum & habitatorum earum Regionum, quas percurrunt Tygris & Euphrates, à quibus Paradisus juxta verba S. Textus haud procul abesse creditur. 2. Ex hac mutatione consecuta variatio vocabulorum ac nominum, alia enim erant nomina Regionum, Provinciarum, urbium, fluminum &c. tempore Moysis utpotè Hebræi, qui Pentateuchum conscripsit, alia tempore Darii & Persarum, alia tempore Alexandri M. & Græcorum, alia nunc tempore Turcarum. 3. In his ipsis variationibus explicandis & decidendis nonnulli Geographorum, ac Historicorum dissensus. 1. An idem sit locus *voluptatis* & *Paradisus*. 2. Quisnam sit ille fluvius, qui teste S. Scriptura Gen. 2. egrediebatur è loco voluptatis ad irrigandum Paradisum? & in quo loco nascatur. 3. An hic ipse fluvius in Paradiso, an verò extra illum dividatur in quatuor capita, in quæ fluvius è loco voluptatis egressus dividitur. Ad hæc dubia & difficultates meliùs intelligendas antè oculos ponenda est figura, in qua exhibetur ad verum descripta illa terræ portio, quam hodieque famosissima duo flumina Tygris, & Euphrates percurrunt, in ea igitur vides hæc ipsa duo flumina haud procul ab invicem remota nasci in montibus

Arme-

Armeniæ, qui sunt brachia, & rami montis Caucasi altissimi, quos S. Scriptura appellat montes Ararat, in quibus eâdem Scriptura S. teste, Arca post Diluvium resedit. Ex duobus hisce fluminibus Euphrates quidem transita Armenia & Mesopotamia in campis Babyloniæ scinditur in tria brachia sive ramos, quorum illi ramo, qui cæteris est magis orientalis, Tygris & ipse per Armeniam & indè per *Mediam* & Assyriam progressus, atque in duo brachia divisus, secundum partem potiorem jungitur, & quartum efficit brachium. Atque hæc 4. brachia singula & seorsim per 20. ferè leucas germanicas progressa rursus uniuntur, resumptoque etiam altero Tygris fluminis brahio, uno eodemque alveô, tandem ingenti aquarum mole, ad urbem *Basora* evolvuntur. Hæc antiqui, & hodiè passim meliores Geographi in suis tabulis expressa contestantur, cum quibus conveniunt ut plurimùm modernæ, ac veterum historiæ; sed neque desunt testes oculati, qui easdem Regiones ac Provincias inspexerunt, & multorum annorum spatio habitârunt, & postea hæc ipsa typis evulgârunt. Hoc positô fundamentô, nunc ad dubia & difficultates propositas breviter respondeo. 1. locum voluptatis, vel ut Septuaginta vertunt, terram *Eden* verisimiliter fuisse nomen proprium alicujus Regionis positæ inter duo flumina *Tygrim* & *Euphraten*, in qua positus erat Paradisus, eam nempè, quæ complectebatur Mesopotamiam, & Babyloniam, ut enim quælibet Regio habet locum aut districtum quempiam amœniorem, fertiliorem, is vocatur Paradisus illius Regionis. Ità Regni Neapolitani Paradisus censetur districtus neapolitanus. Galliæ Ducatus Turonensis, hortus & pomarium Galliæ dictus. Igitur *Paradisus* & *voluptatis locus*, sive terra Eden eô planè modò distinguuntur, quo pars & totum, sive Regio & Provincia, quæ posterior est certus quidam prioris districtus. Quod satis clarè innuere videtur Sacer Textus. Gen. 2. v. 10. *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis (sive de terra Eden) ad irrigandum Paradisum, qui inde in 4. capita dividitur.* Priùs enim supponitur fluvius egressus *è loco voluptatis*, sive terra Eden, & postea ingressus Paradisum ad irrigandum illum: nec refert, quod alibi S. Scriptura hæc duo verba *Paradisum & locum voluptatis* conjungat, idem enim voluit dicere, ac Paradisum positum in terra Eden sive *voluptatis*. Hunc autem genuinum esse horum verborum sensum, suadent paulò antè allata verba, quæ Paradisum, & *locum voluptatis* sat manifestè modò jam dictô distinguunt; sed neque potest dici, quòd



quòd fluvius ille, quem Scriptura S. è Paradiso egressum asserit, sit in ipso Paradiso exortus; quia duo flumina sive capita Tygris & Euphrates non ex Paradiso, sed ex Armenia & Mesopotamia ortum trahunt, uti apertè constat ex Tabulis Geographicis novis & antiquis. Imò nec probabile est duo hæc ingentia flumina Tygrim & Euphratem ab universali Diluvio fuisse obliterata, aut prorsùs immutata: quia hoc dicendum esset etiam de aliis fluminibus, adeóque totius orbis fabricam fuisse immutatam, quod nemo hactènus asseruit; nec ipse Moyses, qui post Diluvium Pentateuchum scripsit, rem adeò memorabilem dissimulâsset. Quod autem Regiones Mesopotamia, & Babylonia mereantur appellari locus voluptatis, constat ex eo, quod subsint climati nobilissimo, nempè à gradu trigesimo usque ad quadragesimum latitudinis borealis extenso, & multis magnisque fluminibus irrigato, ubi campi fœcundissimi, pascua uberrima, fructus nobilissimi, unde urbes ibi olim maximæ & pulcherrimæ, nempè Ninive, & Babylon, Imperia potentissima, Persarum, Medorum, Chaldæorum, & Assyriorum, populus innumerabilis, bella ingentia, quibus nonnisi terra fœcundissima sufficere potuit, donec tandem Turcarum Tyrannus, more suo vastatîs agrîs, eversis urbibûs, etiam terræ optimæ faciem immutavit.

Ad Dubium 2. & 3. Respondeo. Fluvium è loco voluptatis, sive terra Eden egressum fuisse Euphratem, hic enim solus in Armenia exortus, & Mesopotamiam Regionem nobilissimam transgressus, priusquam ad Mare (teste Ecclesiastico c. 24) delabitur, in quatuor capita, hoc est, brachia dividitur in Regno Babyloniæ sive Chaldææ, ad oculum patet ex præsenti figura, & ex tabulis Jansonii, Withii, Samsonis, aliorúmque insignium Geographorum; tria namque brachia integra suppetit solus Euphrates, 4tum verò habet cum Tygri commune, quod modò appellatur Tygris, & olim vocabatur Phisi Tygris, atque hoc ipsum nomen Phisi, vel Phasi Tygris ad mare, & sinum usque Persicum retinet. Undè 4tum brachium est Gehon, sive Gihon, hoc enim vult S. Textus, circuit Æthiopiam, non illam quidem Africæ, sed Arabiæ desertæ, quam teste Cornel. à Lap. hoc nomine appellat Scriptura S. Ad dubium 4tum Respondeo. Verisimilius ex dictis, Euphratis divisionem in 4. capita accidisse non in Paradiso, sed paulò post exitum è Paradiso; quod satis indicat particula *Indè*, quæ denotat elongationem aliquam fluminis egressi à Paradiso

diso jam irrigato. Locus itaque Paradisi, ut ex dictis conficitur, est in confinis Mesopotamiæ, Syriæ, Babyloniæ, Æthiopiæ, Arabiæ. Qui cùm procul dubio post Adamum indè expulsum multis sæculis omni culturâ humana caruerit, mirum non est, eum à priori ubertate, priori vigore defecisse, & ab universali diluvio, & tot Barbarorum vastationibus adhuc ampliùs deformatum; uti & aliis Regionibus contigit, uti & terræ Sodomitarum, & terræ melle & lacte mananti, quam hodiè fœdè deformatam nec ipsi agnoscerent Israëlitæ.

Pro loco Paradisi ampliùs stabiliendo illud quoque facit, quod omnium ferè SS. Patrum, & Scripturæ Interpretum testimonio in Regionibus modò insinuatis, & Paradisi viciniâ cœpit propagari humanum genus, ibidemque habitârunt Gigantes, in quorum conspectu Noe fabricavit arcam, quæ, etiam S. Scripturâ teste, in vicinis Armeniæ montibus Ararat consedit, undè Noe cum filiis suis ad planiora descendit, cœpitque plantare vineas. Inter 4. dicta flumina cœpit ædificari turris babel.

Illa denique difficultas, & dubium hìc locum habet, quò Henoch devenerit, qui in Paradisum translatus à S. S. Scripturis asseritur. Ad hoc licèt non sit responsum in promptu; eo namque tempore, quo Diluvium inundavit universam superficiem terræ, vel prodigiose Henochum in Paradiso conservavit Deus, vel illum alio extra terram loco reposuit. Si posterius, hunc eundem poterit conservare etiam in eodem loco, si prius, tunc poterit eundem incognitum mortalibus in eodem Paradiso relinquere. Quod si neutrum tibi placet, tunc tuomet ingenio utere amice lector, & meliora suggere. Plura P. Henricus Scherer in Atlante novo Geographiæ naturalis pag. 121. qui in sua mappa assignat Paradiso locum ad Gradum latitudinis circiter 36. longitudinis 69 Hierosolymæ verò ad gradum latitudinis circiter 32. longitudinis 65. Distatque hierosolyma à Paradiso circiter milliaribus germanicis mediocribus 85.

4. Caini Ortus.

Prima die Januarii, anni secundi mundi, probabiliter censetur natus fuisse Cainus; cum juxta Marianam, Scotum, Adonem. &c. Feriâ 6tâ in diem 23. Martii incidente Adami productio contigit, die 30. Martii expulsi è Paradiso, sub idque tempus Caini conceptio, in primam verò Januarii anni sequentis nativitas incidit. Natô Cainô, novitate rei attonita, quæ nondum, quid sit esse matrem, noverat, dixit Eva: Gen. 4. 1. *Possedi hominem per Deum*, pietati E-

væ

væ id attribuit Chrysostomus, quòd natum puellum Deo referret, non naturæ. Nomen Caini primogenitum denotat.

Abel natus.

Hoc ipsô annô sub Octobrem natus dicitur Abel, cujus nomen luctum sonat, ipsemet Pater de culpa sua haud modicè anxius, ac dolens, doloris nomen indidit filio; non solâ tamen voce mærorem suum, quem ob peccatum contraxerat, testatus est Adam, multis sæculis, imò totâ vitâ eundem cordi habuit.

Non tamen suis caruit solatiis, præcipuis Dei donis, tam naturalibus, quàm supernaturalibus ditatus, quæ illi Deus, tanquam Principi generis humani, cum restitutâ propter pœnitentiam gratiâ, largitus est; & probabiliter, futuræ incarnationis Christi, per specialem revelationem, fecit conscium. Fide parentum justificabantur in lege naturæ, per aliquod signa illis applicata, infantes.

Adam variis scientiis præditus.

Varias artes amplô vitæ spatiô inveniebat Adam, neque enim peccatum istarum rerum reddidit imperitum, imô multa illi divinitùs patefacta. Nec Mathematicæ ignarus fuisse censendus; nec artem conflandi ferri, cæterorumque metallorum ignoravit, licet enim Tubalcaino Scriptura id tribuit; huic assertioni non adversatur, potuit enim hæc ars & ab Adamo & à Tubalcaino profluxisse; nihil enim repugnat, unius rei plures inventores fuisse, & sic ars Typographica multis sæculis priùs apud Chinas inventa fuisse dicitur, quàm apud Europæos.

Abel probabilius (Salianus) nupsit circa annum ætatis suæ centesimum, nec enim statim fraternum odium contra illum exarsit, triginta annis sub doloso cinere latuisse offensa existimatur, donec in apertum eruperit incendium, fraterno sanguine restinguendum. Invidia suscitavit in Caino offensam, ob unum alterumve Sacrificium, gratius à Deo acceptum de manibus Abelis, quam Caini, cujus ingrata Deo fuisse munera censet Philo, secutúsque eum Ambrosius, quia tardè, quia non de primis fructibus, quia non optima quæque offerebat: offerenda autem Sacrificia Deo, tum ipso lumine naturæ, tum Adami exemplô, ejus filii didicerant.

Abel occisus ob invidiam Gen. 4.

Anno Mundi 130. Existimatur occisus fuisse à Caino Abel, cum 129 num ætatis suæ annum ageret. (Salian.) Causa cœdis fuit ira, atque invidia Caini, quòd numera ejus non respiceret Dominus; ignis enim de cælo descendens, ut vult D. Hieronymus, comburebat Sacrificium Abelis, non item Caini, quarè iratus Cain contra Deum, demissô capite, quasi cælum adversarium, aversatus, incedebat.

Admonebat eum Deus. *Quare iratus es.* Gen. 4. v. 5. *Nonne ſi benè egeris, recipies.* v. 7. Miratur S. Auguſtinus: quid illi profuit illa monitio, traditque viſibili forma cum illo locutum Dominum. Modum, quo occiſſus Abel, deſcribit Salianus. Evocavit Abelem foras. *Egrediamur foras.* v. 8. Probabile, ut ait Paraphraſtes, cùm foris eſſent, inter colloquendum dixiſſe Cainum, non eſſe in mundo judicium, Judicem, nullam juſtis mercedem repoſitam, malis pœnam, mundum non regi divina Providentia &c. Quæ cùm Abel reprobaret, orta rixa, quam ſecuta Abelis cœdes, quæ diſputatio, ſi vera, ut credibile, Abel martyr fuit, uti honoris divini Propugnator. Inſtrumentum cœdis gladium fuiſſe cenſet Chryſoſtomus: falcem Irenæus: Sarculum Prudentius, alii ruſticam furcam, quæ ad manus fuit Caino. Innocentis necem ſecuta divina inquiſitio. *Ubi eſt Abel frater tuus* v. 9. Reſpondit ille, & mendaciter & protervè: *Neſcio: Num cuſtos fratris mei ſum ego.* Non petiit culpæ veniam à Deo, audiit pœnæ ſententiam v. 11. maledictus eris ſuper terram fugiens, non dabit tibi fructus ſuos: vagus & profugus eris ſuper terram v. 12. profugus ſcilicet nemine perſequente, niſi, quam ſemper gravem geſtabat ſceleris conſcientiam, hæc teſtem agebat & carnificem, intima cordis rimantem. Perditam fratricidii audaciam inſecuta deſperatio, aggravavit Caini crimen. *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.* v. 13. Recentiores volunt (Salianus) injuſtæ contra Deum quærelæ prædicta verba fuiſſe, quaſi diceret: majore me ſupplicio afficis quàm ut ferre poſſim. Dei tamen providentia effulſit circa ſceleſtum, *poſuitque Dominus Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis, qui inveniſſet eum. v. 15.* Probabilius ſignum illud fuit (Salian.) tremor corporis inditus divinitus Caino. Trepidat ſanè audax nimiùm, quaſi iſtis nutibus à tanto ſcelere abſterreret mortales, eisdemque horrorem incuteret.

5.

Prima civitas Henochia condita à Caino.

Anno mundi 150. Condita à Caino prima civitas Henochia à filio Caini nomen ſortita, hæc non ſolum fuit fratricidæ Caino ſecuritatis ſedes, ſed verum etiam ſceleratæ poſteritatis ejus receptaculum, hìc reponebat Cain, quidquid ipſe vel ſui, per latrocinia congregârunt; non pudebat ſceleſtam vitam ducere, ab impio fratricida, originem ducentes ſceleſti, hi non ſolùm loco ſed omni vitæ conſuetudine fuerant ſeparati à reliquis Adæ filiis, qui Cainitarum quaſi excommunicatorum conſortiô abſtinebant, ut diſputat Auguſtinus lib. 15. de civit. c. 8. Aitque Theodoretus, filios Sethi, qui

Converſatio malorum vitanda.

fuit

fuit Adæ filius, ab optimo parente non degener, cognominatos filios DEi, Caini verò filios, cognominatos filios hominis. Filiæ quoque Sethi fugiebant cum Cainitis connubia usque ad tempora vicina diluvio, jam enim tunc, vergente in interitum orbe ad perniciem Cainitas maritos ſecutæ, dum omnis caro corruperat viam, miſerè labebantur, communi humani generis involutæ ruinâ.

Caini mors.

Anno mundi 688. dicitur Cainus à Lamecho (qui primus in polygamia notatur, non tamen eſt ille Nöemi Pater ab Adamo nonus, ſed Mathuſael filius, à Caino atavo ſextus) per imprudentiam occiſus, cùm in terra ſederet, pro feráque haberetur; ſic inquietum ſceleſtum, tandem in via iniquitatis laſſatum, ſedentem nacta mors facilè proſtravit; qui fraternum innocentem fuderat ſanguinem, per manus abnepotis proprium refudit, vindice DEi juſtitia talionem repoſcente; violentes meruit ſentire manus, primus naturæ legis violator.

Jubal Tubal inventores muſicæ, ac ferri.

Sub hæc tempora orti Jubal, & Tubalcain, ille muſicæ inventor, hic ferri & armorum; eodem tempore diverſi prodiêre, partus, ut ſi quem fortè ferri durities offenderet, muſicæ ſuavitas leniret. Æmulatum viros muliebre ingenium, ſiquidem

Nöema lanificii inventrix.

Noema (P. Buſieres) lanificium commenta; monſtratúmque, quæ, quemque arma decerent; ſcilicet ferrum & arma viris ſubminiſtravit, molliori verò ſexui lanam & colum ars præbuit.

Adami & Evæ mors.

Anno mundi 930. Hic annus cenſetur fuiſſe Adamo ultimus, vixit, poſtquàm nonam aut decimam generationem vidit; toto vitæ tempore, quod illi lachrimis & ſudore menſuratum effluxit, pœnitentiam egiſſe cenſetur, ſalutémque conſecutum fuiſſe omnes, exceptis Tacianitis hæreticis, conſentiunt. Sepulchrum illi contigiſſe in monte Calvariæ exiſtimatur, eodem die mortuum & ſepultum, quo Chriſtus crucifixus, Tertulianus aſſeverat. Cyprianus, Hieronymus cenſent, reſperſam ſanguine Chriſti, Adami Calvariam, felix ſanè culpa, quæ in capite generis humani, Redemptoris ſanguine abluta fuerat. Jacobus Edeſſenus addit, à Noemo oſſa Adami, in arcam recepta (hæc ſcilicet tumba, principem, orbis, dum communi tumulabatur naufragio, decuerat) ac Semo, cui Syria in terrarum diſtributione obtigerat, tradita, ab illóque in monte Calvariæ tumulata fuiſſe.

Evæ mors.

Decimo à morte Adami anno mundi ſcilicet 94mo, obiit Eva (Salianus) mater humani generis, poſtquam totam vitam in

tot

tot molestiis, consors culpæ, & pænitentiæ Adami, exegisset.

6. Anno mundi 987. Henoch Patriarcha trecentis sexaginta annis (P. Salianus ex S. Scriptura) in terris versatus, in ignotas plagas transportatus; futurus Deitatis Christi testis, vivit ut angelus.

Enochi translatio in Paradisum.

De illo divus Paulus ad Hebreos 11. 5. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem.* Tertulianus: Necdum mortem gustavit, ut æternitatis candidatus. *Eccl.* 44. v. 16. *Henoch placuit DEo, & translatus est in paradisum.* Hoc tamen non intelligendum de illo Paradiso, in quo fuit Adam, sed de aliquo loco amœno (P. Salianus) terræ, ab oculis hominum abscondito, in quem translatus est Henoch, ità Gregor. Magnus; Rupertus, sæpiùs etiam scriptura amœnum locum paradisum vocat.

Quomodo ibi vivat.

S. Augustinus vel nullo cibo vivere Henochum in illo locô abditò arbitratur, vel ità vivere sicut Adam vixit in Paradiso. Si sine cibo vivit, putat probabile Salianus, quod in illo suspenderit DEus actionem caloris naturalis, consumptivam humidi naturalis. Causæ translationis recensentur. *1ma* Ut figura esset futuræ immortalitatis, ita Tertulianus, D. Thomas &c. *2da.* Ne malitia mutaret intellectum ejus, ne scilicet depravaretur ab improbis, apud quos legatione fungebatur, quod innuit Irænæus: Henoch inquit, placens DEo, *cùm esset homo DEi, legatione ad angelos fungebatur.* Per angelos hic intelliguntur Sethi nepotes depravati, malos sanè imitati angelos; hic advertendum, quàm sit cautè procedendum illis, qui depravatos in viam veritatis reducere conantur; ne ipsimet illorum implicentur erroribus, & proclivem in vitia sequantur naturam. *3tia.* Ut det gentibus pœnitentiam, ab adoratione diaboli, & Antichristi abducat. Tertulianus. Emanuel Thessaurus advertit: *Henoch septimus ab Adamo natus DEo destinatus, ut in septimo quiescat DEus. In Pseutho Christum pro Christo velitator, bellabit contra rebellem, & peremptus perimet peremtorem.*

Ann. mund. 1040. ad hæc tempora pertinet illa & personarum & vitiorum multiplicatio, de qua Gen. 6. 2. *Videntes filii DEi filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant, dixítque DEus, non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Ita pulchritudo carnis excæcavit spectatores suos, ut nullo prohibitionis Adami, sive Sethi, de non miscendis connubiis cum Cainitis, habito respectu, voluptati laxaverint fræna, ac inter alia illicia, ad nefandas nuptias, instrumenta musica, traxerint propensos in vitia.

Nuptiæ cum Cainis illicitæ.

Sunt, qui censeant Gigantes ortum habuisse tunc, dum filii

Gigantum Origo

filii DEi filias hominum uxores duxerunt, inter quos Augustinus ab initio mundi illos extitisse, ipsúmque etiam Adamum & Evam procerissimæ fuisse staturæ arbitrantur. Quantùm ad staturam attinet Gigantum, Theodoretus illos dicit homines prægrandes, prælongos Chrysostomus, ipse Dominus apud Amos Prophetam inquit c. 2. v. 9. *Ego autem exterminavi Amorrhæum à facie eorum: cujus altitudo, cedrorum altitudo ejus, & fortis ipse quasi quercus. Cujus altitudo cedrorum* q. d. Amorrhæi alti & proceri erant instar cedri. q. d. *Erant Gigantes.* Est hyperbole, & hæbraismô redundat *pronomen ejus.* Simile est illud Virgilii.

Abjetibus juvenes patriis, & montibus æquos.

Cornelius à lap. hìc Deut. 3. ferreus lectus Og Regis Basan de stirpe Gigantum, describitur. v. 11. *Novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manûs.* Adeóque hic duplo staturam modernorum hominum superabat. Divus Cyrillus tradit, illos Gigantes deformes fuisse corpore in pœnam libidinis, ita animarum turpitudo se etiam diffudit in scelestis corporibus. Fuerunt robusti, bellicosi, sed feroces & tyranni, DEo repugnantes, unde fabula Gigantum, cœlum oppugnantium traxit originem (Salianus)





Liber secundus.

Secunda ætas mundi, quasi pueritia annorum 382. sub Noemo &c.

Caput primum.

De vita Noemi ante Diluvium, & de Diluvio.

7. ANn. Mund. 1057. ante Christum 2996. natus Noë Patriarcha Lamechi ex Setho nati filius, nomen ejus cessationem, & requiem significat, ante diluvium quingentorum annorum Noemo vita fuerat, in illa ejus occupatio præcipua fuit, contra scelera declamare. Præconem vindictæ divinæ egit strenuè, non tamen, otiosorum, ac nequitiæ vacantium hominum vitio, sanctus illius labor successum sortitus, risum & convitia, pro salutari doctrina, reponentibus impiis.

Ann. Mund. 1537. DEus definivit tempus 120. annorum, intra quod abluturus erat sordidatum nequitia mundum, ni ipsemet priùs sua per pœnitentiam scelera eluisset. Notandum hìc ex Cornel. à lap. dum dicitur Gen. 6. v. 3. *Dixitque DEus: non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum.* Putant aliqui, hic à DEo statui terminum vitæ singulis hominibus, quasi singuli homines deinceps tantùm essent victuri 120. annis. Ita Josephus, Philo, Rupertus, Abulensis, sed falluntur; nam constat, post hæc tempora vixisse homines, non 120. sed 400. annis, ut patet Gen. 11. Dicit ergò Cornelius, DEum hic statuere terminum vitæ, toti generi humano, q. d. homines carnales gravissimè me offenderunt, possem eos hoc instanti delere, sed quia clemens sum, do eis tempus pœnitentiæ, idque largum, scilicet 120. annos, quod si illud negligant post 120. annos omnes planè delebo per diluvium, quod orbi inducam. Ita Chald. Hieron. Chrysost. & Augustinus lib. 15. de civit. c. 24. plura ibi lege.

Ann. Mun. 1557. Illud insigne, numine Protofabro, opus, arca construi jussa, arcæ potiùs, cui erat similior, quam navis nomen sortita. Erat constructa, ut probabiliter existimant aliqui, ex lignis cedrinis. Longitudo arcæ erat (Salian.) cubitorum 300. latitudo cubit. 50. altitudo cubit. 30. Gen 6. v. 15. *Et sic facies eam: trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius.* Longitudo hujus cubiti fuerat pedis unius cum dimidio, qualis longitudo esse solet cubiti, hominis justæ proceritatis, ab extremo angulo inflexi, ad extremum digitum medium. Capacitas areæ interna arcæ fuit cubitorum quadratorum 15000. Capacitas totius arcæ fuit cubitorum cubicorum 450000. Altitudo tecti cubito definiebatur. Juxta Interpretum sensum tres contignationes in illa fuisse dicuntur, præter quartam partem destinatam sentinæ & saburræ ad libramentum arcæ altitudine ferè 4 cubitorum. Perperam Ethnici, & aliqui Hæretici negant, tantæ capacitatis fuisse arcam, ut tot animalia continere potuisset, perperam inquam, cùm ima aula distingui potuerit in 333. stabula, quorum singula essent 6. cubitorũ longitudinis, & totidem latitudinis, & decem cubitorum altitudinis: cùm tamen, qui de animalibus scripsêre, vix 130. species animalium reperiant, insectorum autem serpentum &c. vix 30. species.

Arcæ descriptio.

Struebat propriâ & conductitia operâ arcam Noë, cùm interim se ipso in dies mundus fiebat deterior, & labendo gra[illegible] in scelera, vergebat in ruinam. Mali amores (ut ait Emmanuel) bonos mores infecerant: nondum adulti, jam adulteri - - non diligenti manu mittenda erant fulmina; quacunque caderent, in scelestem casura. Perstitit nihilominus inter media mala optimus propugnator virtutis Noë, ostenditque, quod etiam inter magna scelera magnæ locus esset virtuti.

Diluvium.

Ann. Mund. 1656. ætatis Noëmi 600. antè Christi ortum 2397. Exundante in omne nefas extra pudoris, honestique limites humanâ licentiâ, obstitit impiis conatibus cœlum resolutum in imbres; cœli cataractæ, seu, ùt est in hebræo, fenestræ apertæ sunt. Flumina de cœlo decurrere videbantur, 40. diebus pluit, in ipsa tamen tempestate DEi illuxit misericordia non subitò in scelestos, immittentis pœnam, spatiúmque pœnitentiæ concedentis. Probabile est, auctum fuisse diluvium, ex terræ cavernis (quæ, uti dictum diè tertia orbis conditi, impletæ aquâ) extrusis divinitus undis, in locúmque illorum substituto aëre, ita Rupertus, Hieronymus. Gen. 7. [illegible]0. *Cúmque transissent*

sent septem dies, aquæ diluvii inundaverunt super terram v. 11. Anno 600. vitæ Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis. (Salianus) hic mensis, quo contigit diluvium, fuit Majus. S. Ambrosius: *tum fecit diluvium, quando dolor eorum esset major.*

Imminente periculo, immisit Noë in arcam animalia, idque de mundis animalibus septena, de immundis bina: sicque exempli gratia quatuor arietes, tres boves, unus scilicet in sacrificium immolandus; ex immundis v. g. unus equus & equa, fera autem animalia, speciali instinctu DEi, aut angelorum ductu, veniebant ad arcam. Sed cur homines non properârunt ad arcam, cùm ipsæ bestiæ properârunt? ludis scilicet (P. Salianus) ebrietatibus, connubiis intenti non advertebant periculum? Sic homines rapiuntur deliciarum illecebris, ut nec advertant, quomodo mortem hauriant, rapiantùrque à morte. Puduit etiam fortasse non paucos resipiscere, ne timiditatis notam incurrerent, puduítque inter impudicos impudentes non esse. Peracto igitur septiduo, intromisisque animalibus, intravit Noë cum suis in arcam, & Dominus ipse clausit januam studioseque obseravit, ne eam vaga diluvii fluenta penetrarent, ut ait Ambrosius; nevé, ut Chrysostomo placet, ea, quæ gerebantur foris (tristissima sane ibi fuit tragœdia) magno suo cum luctu & mœrore cerneret Noë; felix hac in parte censetur Mathusalem, qui mala tot gentium non vidit; nam anno ætatis suæ 969., qua omnes antè se mortales superavit, septem diebus ante diluvium obiisse dicitur. Ubi tempore diluvii Henochus fuerit, DEus scit, qui potuit illum, sicut tres pueros in igne, illæsum conservare in aquis. Navigabat, sepelientibus orbem fluctibus, Noë securus, assere contra mortem munitus, quæ fortissimas turres & urbes, novo salientium aquarum insultu, expugnabat, sorbebat cum gregibus populos, ac intereunte mundo, urbes rotando cum populis, intra ruinam universi ludebat; lusit interim in naufragio annuo, victrix procellarum centenaria navis, & expugnantibus in cassum fluctibus, illusit. Non lusum tamen existimavit Patriarcha Noë, oravit, lachrymas furentibus undis opponens, divinam opem pereuntibus implorans, ne saltem quoad animam perirent, & sane arbitratur Rupertus l. 4. c. 6. aliquos hôc diluvio deletos, quorum eodem temporalis mortis periculo, deletum peccatum. Probabile (P. Salianus) multos videntes mortis periculum, resipuisse, & patienter cum rebus suis omnibus jacturam vitæ tulisse. Om-

Mathusalem mors.

nes

nes omninò montes, nullô exceptô, aquis operti, idque ita, ut 15. cubitis altissimum quemque montem superarent undæ, ne quod fortè animal, quantumvis proceræ altitudinis, evadere posset, aut necubi ingens arcæ moles, quasi in vado hæreret. Gen. 7. v. 20. *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat.* Omnia itaque animalia consumpta diluvio, illis exceptis, quibus in aquis vita est. Ita supremum Numen libidinis flammas tam copiosis undis vult restingui, ut sciant mortales, quam grandem carnis vitium è cœlo pœnam provocet, deletique orbis spectantes ruinas, alienô malô eruditi, proprias noxas lachrymarum undis discant eluere.

9. *Obtinueruntque aquæ terram, (ait Moyses Gen. 7. 24.) 150. diebus.* His tamen verbis intelligitur tempus, quo nec creverunt, neque decreverunt aquæ (P. Salianus) sed in eodem statu permanebant; inchoati sunt isti 150. dies, à finita quadraginta dierum pluvia.

Diluvium cessat.

Post hæc misit Dominus ventum exsiccantem aquas, quæ etiam ad suas cavernas revertebantur, uti Scriptura innuit. Gen. 8. v. 3. *Reversæ sunt aquæ de terra euntes & redeuntes.*

Dum autem minuitur aqua intra tredecim dies factum, ut arca solo sederet, contigit id die 27. mensis septimi. Hæsit in montibus Ararat, sive Armeniæ quos montes Eusebius in Armenia superiore collocat, qui sunt montes altissimi, non nisi enim initio decimi mensis cacumina montium apparere cœperunt. Expectavit tamen Noë 40. dies, quibus elapsis, apertâ fenestra emisit corvum, qui non est reversus, alicujus cadaveris, miserâ licet, libertatis tamen dulcedine conditâ escâ, contentus; sed ingrati nuntii specimen factus, procrastinator corvus, qui pro tot, tantóque tempore perceptis beneficiis, nec nuntium quidem retulit.

Corvus ex arca emittitur.

Emisit deinde columbam, quæ eodem die reversa est, dum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, post 7. deindè dies attulit emissa columba ramum olivæ, veris indicium, sicut enim vere inceptum, ità vere finitum diluvium; tertio tandem emissa *columba jam non rediit*, ipsâ sui absentiâ indicans, tempus relinquendi arcam adesse. Notat P. Henricus Scherer in Geographia politica in tabula ad pag. 771. in qua Persiæ genius exprimitur, quod in montibus Armeniæ adhuc visitur arca illa Noë.

Columba ex arca emittitur.

Ann. Mund. 1657. Noëmi 601. ante Christum 2395. ex divino præcepto, de arca Noë egressus, primum in exstruendo DEo altari laboravit, in quo gratissimi animi monumento ex animalibus obtulit sacrificia Domino,

Ex arca egressus. Gen. 8.

 odo

odoratúſque eſtDominus odorem ſuavitatis, dixitque Gen. 8 24. *n quaquam ultra maledicam terræ propter homines.* Deinde liberaliſſimus Dominus carnium uſum conceſſit mortalibus Gen. 9. 3. *Et omne, quod movetur, & vivit. erit vobis in cibum.* Hinc D. Chryſoſtomus eſum carnium originem exiſtimat, quam ſententiam alii non ſequuntur. (P. Salianus) nec videtur, unquam in lege naturæ prohibitus fuiſſe eſus carnium, nec eſt credibile illos Patriarchas ante diluvium lanis ovium contentos carnes feris projeciſſe, ne jure audirent, ut quid perditio hæc. Non fuit tamen præceptus eſus carnium, ſed permiſſus, implicitè ante diluvium, expreſſe poſt diluvium.

Carnium eſus antiquus.

In arca fuerunt octo animæ ſcilicet Noë cum uxore, Sem, Cham, & Japhet filii ejus, itidem cum uxoribus. Quod non puniturus erat DEus terras diluvio, per arcum cæleſtem deſignavit. Gen. 9. 13. *Arcum meum ponam in nubibus.* Quæ porrò Iris ſignum fuit naturale etiam ante diluvium, non futuri in proximo diluvii uti advertit D. Thom. Quodlib. 3. art. 30. Poſt diluvium verò aſſumpta in ſignum ſupernaturale à DEo non futuri ampliùs univerſalis diluvii.

Iris

Animati tot divinis favoribus mortales in culturam terræ incubuêre; plantavit Noë vineam, & bonus ſenex induſtriâ ſuâ effecit, ut non ſolum in eſum, ſicut ante diluvium, ſed etiam in potum vinum cederet, haud tamen bono omine ipſemet novi potûs experimentum ſumpſit, nam, inculpata licèt ebrietate, ignarus, quantam vim recens potus haberet, ſuum dehoneſtavit ſenium, in ſomno denudatus iriſui fuit filio Cham, cujus filius Chanaan, dum priùs nudatum avum adverterat, nuntiavit id patri, quare maledictionem avi, tanquam author ſceleris meruit, Gen. 9. 25. maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis. Sic una ebrietas non unius mali origo, ut diſcant poſteri fugere fontem ſcelerum.

Noe inebriatur.

Ann. mund. 1754. natus Heber Pater omnium Hebræorum Semi abnepos vir illuſtriſſimus, à quo ipſemet Sem illuſtrari videtur.

Heber.



Caput

Caput ſecundum.

De geſtis durante vita Noemi poſt diluvium.

10\. Diviſio gentium.

ANn. Mund. 1788. In tres mundi Principes Sem, Cham & Japhet, authore DEo, adminiſtrô Noëmo, diviſus orbis terrarum. Semo Aſia (P. Buſieres) ultra Euphratem, ad Indicum usque Oceanum data. Japheto Aſia reliqua cis Euphratem cum Europa ad Gades usque. Chamo Syria cum Arabia & Africa tota conceſſa. Non tamen ſtatim(P. Salian.) à facta diviſione in poſſeſſionem itum, ſed longo poſt tempore, occaſione diviſionis linguarum. Hoc ergò annô quaſi teſtamentô & verbô Noëmi facta diviſio, poſt hac re ipſa, in conſtructione babylonicæ turris contigit. Urgebat Noë, ut meminit Joſephus, filios & nepotes, ut in aſſignatas ſibi diſcederent colonias. Sed illi tergiverſatione tempus fallentes, diſtulêre diſceſſum, ſive patrii ſoli dulcedine ſive mutua converſatione & ſocietate detenti.

Anno Mundi 1850. ut placet Epiphanio, de ter optimô maximo DEo peſſimè meritum eſt genus humanum, ad idololatriam, quo nullum vel ſtultius vel gravius ſcelus, converſum. In annum tamen 1997. ab aliis initium idololatriæ reiicitur. Ninus in cauſa (P. Buſieres) qui ſe non auſus DEum effingere quod proximum fuit ſe DEo natum, commentus Belum ſcilicet Patrem, qui gentibus Saturnus, Hebræis Baal, DEum fecit, ejus ſtatuam adorandam expoſuit, eóque ſcelus progreſſum, ut humanis, ad contumeliam generis, Baal placatus fuerit hoſtiis.

Idololatria orta.

Ann. Mundi 1909. probabiliter ædificari incœpta turris Babel, 20. circiter annis in illa conſtruenda deſudabat genus humanum, aliqui dicunt ipſo Noëmo hortante, ut citius in ſuas ſedes proficiſcerentur, negantque Toſtatus, Abulenſis (P. Salianus, P.Cornel. à lap. in cap. 11. Gen.) hos architectos peccaſſe, quod & opus natura ſua eſſet indifferens, & referretur ad finem non malum, ſcilicet, ut aliqua ſtupenda mole, antequam dividerentur, nomen ſuum celebrarent. Gen 11. v. 4. *celebremus nomen noſtrum.* Cæterùm tamen S. Auguſtinus S. Chryſoſtomus &c. peccati vanitatis, & ſuperbiæ arguunt ædificatores, nec hortatorem fuiſſe hujus operis S. Noëmum addit D. Auguſtinus lib.

Turris Babel.

l. 16. de civit. DEi c. 4. Nemrodum præcipuè opus istud ursisse, ut munimentum & arx illius Tyrannidis esset. Censetur Nemrod hac mole Dominationem molitus fuisse, atque idoneum nactus locum in terra Sennaar, communi omnium opera, proprium sibi domicilium honestô, ac specioso titulô excitare voluisse, eventus id comprobat: Babel enim sive Babylon principium regni ejus fuit, ut affirmat Moyses Gen. 10. 10. *Fuit autem principium Regni ejus Babylon.* Ita non rarò amplissimò communis boni nomine privatum commodum palliatur.

Non autem solùm turris ædificabatur, sed etiam civitas, S. Hieronymus in Isai. c. 14. v. 22. *Arx*, inquit, *id est, capitolium illius urbis, & turris, quæ ædificata post diluvium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere passuum (puta milliare germanicum) paulatim delato in angustias coarctata.* In hac molle cœlô frustra minante fundatam fabulam Gigantum cœlum oppugnantium Alcuinus existimat.

11. Linguarum confusio. *Anno Mundi* 1931. linguarum confusio in constructione turris Babel divisionem gentibus persuasit, quæ confusio hac ratione contigisse dicitur (P. Salian.) Inducta imprimis divinitus in omnibus familiis oblivio nativæ linguæ, scilicet hebraicæ, præterquam in Heber, & Phaleg, in quibus illa inviolata permansit, tum infusa, insertáque lingua cæteris familiis ministerio Angelorum, ut existimat Orig. illorum scilicet, qui eorum populorum Rectores futuri erant, non tamen hæc confusio linguarum ita intelligenda, ut quisque hominum eâ linguâ loqueretur, quam nemo omnium præter ipsum intelligeret, id enim esset quingenta millia linguarum introducere, idque valuisset non ad multiplicandos hominum cætus, sed ad omnes à se invicem distrahendos. Hìc tamen specialis DEi bonitas elucet, qui parentes à liberis non planè distraxit. Probabile factas fuisse linguas 72., quod præcipuè colligitur ex numero familiarum Noe. Cessatum itaque ab ædificatione turris, vel metuentibus hominibus cœptum opus perficere, ne gravius contumacces punirentur, vel paucitate hominum in illis terris relictorum non sufficiente, P. Salianus: Etiam nunc cernuntur ejusdem turris Babel vestigia, circuitus ejus continet 1150. passus: quarta parte leucæ distat ab Euphrate fluvio, altitudo ejus in pyramidem desinit. Lateres ejus, uti patet ex ruinis, non igne tosti, sed sole exsiccati. Moreri in dict. histor. Gallico.

Ann. Mund. 2007. Patriarcha Noe ætatis suæ ann. 950. humani generis conservator, multis magnis, arduísque casibus agita-

tus

tus in vita, postquam antè diluvium spectavit Gigantum scelera, in diluvio pœnam, post diluvium desolatam terram, cum divisione linguarum divisos in varias orbis plagas liberos, per mutuas clades inter se collidentium bella nepotum, & quod gravissimum optimo seni, mortisque, ut existimant aliqui, causativum, depulsum suorum animis per idololatriam DEum, privatus jure naturæ, primus pro tunc viventium hominum Princeps requievit in Domino. P. Salianus.



Liber tertius

Tertia ætas mundi, quasi adolescentia sub Abrahamo ad Moysem annorum 425.

Caput primum.

De Abrahamo.

12. Abrahæ ortus. Ann. Mund. 2039. ante Christum 2014. in lucem prodiit magnum orbis sydus, cujus posteritas stellarum instar multiplicabitur, Patriarcha Abraham, fueritne aliquando idololatra controvertitur (P. Salianus) probabilius negatur, imò ab aliquibus dicitur annum agens ætatis suæ 14. tum Patrem Thare ab idololatria abduxisse, quem itidem aliqui nec idololatram fuisse existimant. Quare probabilius existimatur Thare ann. mund. 2113. morte justorum obiisse. Salutatur à P. Busieres Abrahamus in orbe hospes: Salve mortalium lux, phosphore gentium, Beatorum Dux, debebit tibi Hebræus innocentiam, salutem mundus, incolas cœlum.

Ann. mund. 2114. In planicie, quam tunc Chanaanæi latè possidebant, apparuit Dominus Abrahæ in somnis, ut Cajetano placet, aut, ut mavult Pererius, vigilanti, & dixit. Gen. 12.

7. *Semini tuo dabo terram hanc*, ex eaque promiſſione deinde terra promiſſionis dicta; hujus igitur terræ poſſeſſionem, etiam nomine poſterorum capeſſivit Abraham, Altare ibi Deo erexit, Deum hominibus in Palæſtina prædicavit. Exindè zelus ejus etiam in Ægyptum protenſus, ubi dum peregrinum cum Sara conjuge agit, captiva planè eadem conjux, per captum pulchritudine formæ Pharaonem abducitur, ſed flagellis Domini perculſus Rex dimiſit intaminatam, cumulatamque muneribus, prædam, Gen. 12. 12. *Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis propter Saram uxorem Abraham.* Plagas illas dicit Philo maximos cruciatus fuiſſe inflictos Regi, qui voluptatum oblivionem incuſſère eidem; optimum ſanè ruenti in voluptates carni frænum ejusdem carnis afflictio, efficaciter plagæ impetum laſcivientis retundunt.

Ann. Mun. 2116 Tranſacta in Ægypto hyeme, & bona parte veris rediit Abraham in Chanaintidem, auctior familia & divitiis, ſed dum crêvere cum opibus famuli, crêvere cum famulis rixæ, ac inter Loti, Abrahamique paſtores diſſidia, propter quæ ſedanda, inter cognatos facta ſeparatio, ut componerentur, diviſi ſunt, terramque partiri maluerunt, quàm corda. Ità verò dicta ſeparatio contigit, ut uterque ſeorſim uterentur conductitiis à Chananæis ædibus, & paſcuis, illi enim erant Domini locorum, Abraham verò & Lot advenæ. Obtulit bonus Abraham optionem juniori, eligendi, quam vellet regionem, elegit itàque Lot circa Jordanem terram, quæ univerſa irrigabatur, *ut Paradiſus Domini.* Gen. 13.

Renovavit iterùm Dominus promiſſionem Abrahamo priùs factam, dixitque Gen. 13. 14. *leva oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem. v. 15. Omnem terram, quam Conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo uſque in ſempiternum.* Non quidem dedit Dominus Abrahamo ipſi in perſona terram illam, non datum enim ei ex illa terra, quantum eſt pedis veſtigium, ut dicit S. Stephanus Actorum 7. 5. *Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis.* Ei tamen dedit, quia ejus ſemini. *In ſempiternum* dediſſe dicitur, hoc eſt, ut Cajetanus ait, quamdiu erit ſemen tuum, poſtquam tamen deſiit eſſe ſemen Abrahæ, cùm occiderit Meſſiam, & verè dici illi populo potuit: vos ex Patre Diabolo eſtis, recepit Deus, quod dedit. Advertit Abulenſis, rectè filii Abrahæ comparati Stellis, & pulveri terræ, juxta diverſum ſtatum; dum erant divinæ legis obſer-

Filii Abrahæ ſicut pulvis, & ſtellæ.

Improbi diſperguntur, ut pulvis.

vatores inſtar ſtellarum erant, quandò autem facti ſunt improbi, ut terræ pulvis diſperſi per orbem.

13. Ann. Mun. 2118. pugnavit Chodorlachomor cum Elamitis, ſive Perſis, ejusque Socii Reges contra Pentapolitas, quos expugnatos ſpoliarant, ſed mox ab Abrahamo ſpoliati, abductus ſodomîs in ſervitutem Lot priſtinæ per Abrahamum reſtitutus libertati. Dedit ſanè ſpecimen virturis heroicæ Abraham, oſtenditque, non tam numerum pugnare, quam corda virorum, nam per 318. vernaculos illi ſtetit victoria. Prodiit obviam victori Abrahamo Rex Sodomorum, ſive victoriam gratulaturus, ſive ſuos recuperaturus.

Abrahami victoria. Gen. 14.

Venit & Melchiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſimi, & benedixit ei. Ab Abrahamo vice verſa decimas omnium accepit, ut interpretatus eſt Apoſtolus ad Hebræos. 7.

Melchiſedech Abrahamo offert dona.

Hunc Melchiſedechum alii putàrunt eſſe Semum, alii Henochum, ſed multò probabilius eſt fuiſſe hominem Chananæum Regem urbis Hieroſolymæ, ut tradit S. Hieronymus Ep. 126. Iſte Melchiſedech, poſtquam panes & vinum in gratiarum actionem Deo obtulit, eosdem etiam panes ſanctificatos, tam Abrahæ, quam ſociis dedit.

Dicitur eſſe Melchiſedech *ſine Matre, ſine Patre, ſine Genealogia ad Hebræos. 7. 3.* Cùm ipſius (P. Salianus) neque initium, neque finis notus eſt, fuit tamen vir Sanctus, Chriſti Domini figuram præferens.

Nihil Abraham de bonis Sodomorum recuperatis participavit, integrum reſtituit integerrimæ virtutis heros, ſuſcepitque hanc expeditionem non prædæcapiendæ gratiâ, ſed recuperandorum hominum.

Ann. Mundi. 2119. Facta promiſſio Abrahæ noctu de multiplicandis filiis ejus ad inſtar cœli Stellarum. Gen. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam* v. 6. Iniit Deus fœdus cum Abrahamo more Chaldæorum, aut Chananæorum accepit, ſcilicet Abraham vaccam triennem, Capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, ac columbam; jugulavit hæc animalia, diviſit in duas partes, à capite ad caudam; juxta altare forſan ità diſpoſuit (P. Salianus) ut medietates ſibi reſponderent, relictô de more ſpatio in medio, per quod tranſirent, qui fœdus inibant, & Dominus quidem in ſpecie ignis inter diviſiones illas tranſivit, ut videre eſt Gen. 15. 17. Monuit tamen Deus Abrahamum de futura 400. annorum ſervitute, quam poſteritas ejus erat paſſura, ſimul tamen

consolatus mœstum, & de futura calamitate solicitum, nepotes indè ejus cum lucro exituros prædixit.

Abrahami nuptiæ cum Agar.

Anno Mundi. 2124. Secundas Abrahamus Nuptias celebravit cum Agar, vivente licèt Sara, & permittente, non libidinis, motus tædii, sed suscipiendæ prolis spe. Nec sine divina inspiratione, & dispensatione Abraham vir Sanctus huic polygamiæ consensum præbuit. Nec nova fuit hæc dispensatio, sed censetur Deus adhuc cum filiis Noë dispensâsse. Hinc S. Augustin. Lib. 22. contra Faustum: *Quando mos erat, crimen non erat, & nunc propterea crimen est, quia mos non est.* Hanc laxitatem, neque lex Mosaica sustulit, donec legislator novus Christus stabiliret illud iterùm. Gen. 2. 24. *Erunt duo in carne una:*

Circumcisio præcepta.

Ann. Mund. 2138. Apparuit 6tô Abrahamo corporali specie Deus, præmunivit illum promissionibus: Gen. 17. quòd Pater futurus esset multarum gentium, quòd Reges egressuri essent ex eo, quod habiturus esset ex Sara filium &c. resolvit se ad futuram molestissimam sensibus circumcisionem, de qua Gen. 17. 11. *Circumcidetis Carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis, inter me & vos.* Volebat scilicet Dominus illum populum sibi esse fœderatum, & ab aliis gentibus circumcisionis signô segregatum. Servi quoque tam emptitii, quam domi nati ea lege comprehendebantur, non tamen mercenarii famuli, nisi Judæi fieri vellent.

Stabilita lege de circumcisione promittitur filius Abrahæ ex Sara. Dum abscessit Angelus, eadem die se, & Ismaelem, ac reliquam familiam, in qua facilè 400. erant, circumcidit Abraham: pueri octavâ die circumcidebantur. Eximia sanè fuit Abrahæ, familiæque ejus obedientia, in tam difficili negotio in praxi exhibita.

Eodem annô tres Angeli ab 14.
Abrahamo humanissimè suscepti (Gen. 18.) promisere filium Saræ, obiverunt Sodomam, nuntiatâ illius, cæterarumque civitatum clade, quæ peracerbè perculit Abraham, movitque optimi Patriarchæ cor imminens scelestorum interritus, ad fundendas pro illis preces, impetrassetque veniam, si saltem decem justi Sodomæ reperti fuissent. Unus Angelorum, qui Domini personam sustinuerat, avolavit in cælum (Salianus) reliqui vespere Sodomam venerunt, Justitiæ divinæ ministros acturi, & propter scelera, quorum præcipua, libido præpostera, superbia, gula recensentur, punituri improbos. Duo illi Angeli, Gen. 19. juvenum specie diverterunt ad Lotum, à quo, ut decebat, hospites perhuma-

Sodomæ pœna.

humaniter recepti, dum subsistunt, Scelestorum turba à puero civitatis usque ad senem (eò nequitia tam provecta, quàm immatura ætate profecerat) domum obsident, ignominiam hospitibus inferre cupientes. Conatur placare furentes, offert filias (Salianus) sed absque peccato, nam ut ait Cajetanus, erat hyperbolica submissio, certus etenim fuerat, non acceptaturum populum oblationem, quòd filiæ ejus Sponsæ essent civium, idque primariorum civitatis. Cùm vellent effrenes portam effringere cæcitate percussi (quos priùs cupido excæcaverat) eandem invenire non poterant, non quidem læsi sunt oculi illorum, videbant enim cætera, sed portâ invisibili, cùm species nullos emitteret, redditâ. Deleturi urbem, effusam in scelera, Angeli monent Lotum, cognatos educeret, subduceretque instanti periculo; sed etiam moniti, qui Loti filias erant Ducturi, haud fidem præstitere dictis, quasi Somnium salutare monitum negligentes. Ipse Lot quoque cunctabatur egredi, quare per vim ferè ab Angelis eductus, similiter uxor ejus, & filiæ, omnes educti prohibentur retrò respicere, ad ostendendam fortè promptam obedientiam, quæ per retrospectionem retardari consuevit. Perdendæ erant 5. urbes, Pentapolis dictæ, Sodoma scilicet, Gomorrha, Adamur, Saboim, & Segor, quæ tamen ultima precibus Loti data, ut ibidem reclinatorium haberet. Ità Dei vel in ipso fervore justitiæ, enituit clementia. Urgebatur interim ab Angelis Lot, ut ad urbem Segor festinaret, jamque appropinquabat portæ Segor uxor Lot, cùm absque respectu moniti respexit curiosa Sodomam, & mutata in statuam Salis, de qua Tertullianus in Carmine de Sodoma:

Ipsaque imago sibi formam sine corpore servans,
Durat adhuc; etenim nuda statione sub æthram,
Nec pluviis dilapsa situ, nec diruta ventis. lot uxor in statuam Salis conversa.
Quin etiam si quis mutaverit advena formam,
Protinus ex se se, suggestu vulnera complet.

Etiamsi enim à gregibus lambendo diminueretur, denuò ad pristinam crescebat molem. Describit stupendam metamorphosin Emanuel Thesaurus: *fœminæ illiciuntur vetando, augente voluptatem periculo, cùm se vertit, in lapidem vertitur Salsum. Fœmina fuit, dicerem est, nisi prodigium videretur fœminam esse, & tacere. Fœmina ex vera ficta, imò nunc vera, quia ficta, nam in fœminis quid videas, nisi fictum &c. In Sale mortua, quo viva carebat, sic solent, fœminæ sapiunt, cùm pereunt, ab fuge hunc salem, si sapis viator.*

Interim igne cœlesti periere re-

reliquæ civitates, addit Theodoretus, pagos plurimos eâdem igneâ pluvia deletos. Credibile (Salianus) aliquot horis durasse illud incendium, ut tempus pœnitendi Scelesti haberent. In loco incendii fœtidæ aquæ mansêre, fœdæ libidinis retenturæ vestigium. *Ambustam regionis faciem, ait Thesaurus, pigrum delevit mare, vero nomine mortuum, Cocyto simile, undè orta venus.* Siquid autem plantarum in vicino Regionis vivit, fructúsque edit, in cinerem vanescit, ac fumum, ut pulchrè describit Tertul. in Carm. de Sodom. *Tota rogus Regio est &c.* Pulchra ad exteriorem speciem poma ibidem gigni dicunt, intus tamen cinere repleta, *in exemplum* voluptatis, ait Thesaurus, quæ foris nitida in pœnitendum mox cinerem vanescit.

Post Sodomæ cineres inauditum hactenùs ortum incendium, Loti filiæ Patre abusæ, de propagatione humani generis solicitæ, existimantes per errorem, neminem præter se & Patrem mansisse, mansit tamen integrâ virtute senex castissimus, cui præter voluntatem, nec advertenti Patrem esse Nepotum contigerat.

15. Ex Hebron Abraham in Geraram se contulit, humaniter à Rege Abimelecho ibidem habitus, uxorque ejus Sara, quam Sororem suam esse dicebat, in se præcipuè oculos Regis convertit, volentis eandem accipere in conjugem; sed apparuit Dominus per Somnum Gen. 20. Abimelecho, monuitque sub interminatione mortis, ut advena redderetur, quod sanè etiam muneribûs Abrahamo datis, prœstitit, permisitque hospitem, in qua vellet regionis parte, versari. Adeò formæ talentum haud ostentatur sine periculo, & dum in admirationem pretium sui rapit, rapitur.

Abrahamo uxor Sara accipitur.

Annus Mundi 2139. illustris fuit Isaaci ortu Gen. 21. dum Abraham centissimum primum, Sara nonagesimum ætatis suæ annum agerent. (Gen. 21. 5.) *Dixitque Sara, risum fecit mihi Deus.* Isaac enim risum significat, cuncti enim collætabantur, & congratulabantur ei, v. 8. *Crevit igitur puer, & ablactatus est, fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus.* Porrò ablactationis consuetudo circumcisione, quæ octavo die peragebatur, antiquior (Salianus) in cujus ablactationis celebritate infans primum occupabat locum inter convivas, eorumque cibos pro suo modulo participabat.

Isaaci ortus.

Ann. Mund. 2144. Ejectus Ismael, qui cum Isaaco non benè conveniebat, affligensque afflictus suasit ejectionem illius, divinitùs afflata Sara, Abrahamque hac de re in somnis monitus. Panem tantùm, & utrem aquæ

Ismael ejectus.

dedit

dedit Abraham Ismaeli, & Matri ejus, credibile tamen est, (Salian.) curam illius tanquam Patrem in proximo habuisse. Cùm ergò abiisset Agar, errabat per solitudinem Bersabeæ, dumque defecisset aqua, siti defatigatum puerum (erat autem 20. annorum, juxta Salianum) sub abiete, ut placet septuaginta, reliquit, ipsa, quantùm potest arcus jacere, abiit, ne spectaret mortem filii, uterque interim opem implorabant à Deo. Nec defuit auxilio Deus, ubi humanum defuerat: Angelo monstrante fontem miseros recreavit, *factusque est Juvenis sagittarius, habitavitquè in deserto pharan, & accepit illi Mater sua uxorem de terra Ægypti. Gen. 21. 21. 22.* Educabatur Isaac, & excolebatur bonis moribus à parentibus, econtrà in silvis silvescebat Ismael, ostenditquè utriusquè morum diversitas, quantùm inter bonam & malam educationem intersit.

Inter bonam & malam educationem multùm interest.

Fœdus posthac iniit Gen. 21. cum Abimelecho Abraham, factusque possessor putei, & loci interiacentis, plantavit in eo nemus, in quo, ut aiunt Hebræi, solebat excipere peregrinos, illosqúe ad veri Dei cultum adducere.

Abrahami fœdus cum Abimelecho.

Sem obitus.

Ann. Mundi 2158. obiit Sem vir eximiæ virtutis, in cujus familia verus Dei cultus inveniebatur penè omnibus in Idololatriam prolabentibus Mortalibus, *penè* inquam; Melchisedech enim & Abimelech Chananæorum reguli, cum magna parte suorum, veri Dei cultores fuerant. Ab isto Sem Christus duxit originem.

Annus Mundi 2163. insignis admirabili Abrahæ, & Isaaci, qui 16.
probabilius (Salianus) agebat tunc annum ætatis 25tum, obedientiâ, primo die septimi mensis, quo die instituta à Moyse tubarum solennitas, in memoriam liberati à sacrificio Isaaci, & immolati pro eo arietis, qui cornibus vepreto hæserat implicatus. In eo loco immolandus erat Isaac, in quo postea urbs Hierusalem, & templum Salomonis conditum. Ipse Abraham portabat ignem & gladium, seipsum immolaturus in filio, gratissimum sanè Deo, & optimæ voluntatis sacerdos, & voluntarium extitit sacrificium. Ipse quæstionem instituit moriturus Isaac Gen. 22. 7. *Ecce, inquit, ignis & ligna, ubi est victima holocausti?* v. 8. Dixit autem Abraham: *Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi.* Ascendit postea, interiùs à Deo confortatus, ligna Isaac: Tum Pater Abraham impigrè ferrum stringit. v. 10. *Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum. v. 11. Ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens: v. 12. non extendas manum tuam super*

Isaaci sacrificium.

per

per puerum, neque facias illi quidquam, nunc cognovi, quod times Deum. & non pepercisti unigenito tuo propter me. v. 13. levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem, inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Ità Isaac tot victimis à Patre expetitus, dum pro Deo se victimam obtulit, se ipsum non perdidit, sed conservavit. *Ambigeres*, ait Thesaurus, *feliciorne sacerdos, an victima, nisi quod mollius sit amanti mortem impetrare quàm imperare.* Dum populi caput periclitatur de capite, substitutus ferus aries pro succidanea victima de more numinis, quod bonis minatur, malos perimit. P. Salian. De prædicto Abrahami sacrificio P. Bussieres in Flosc. Admirabile ad stuporem temporum facinus; divinis nutibus sœvam orbitatem, spem nepotum, charitatem Patris posthabere eodem ferro, quo filium se mactare, imò crudelius, quia superesset, animi fuit supra terrarum victores assurgentis. Quantulum es Macedo, quod in orbe non toto vicisti? in Isaaco plures mundos vicit Abrahamus: at benè est, quod agnovit Deus immolantem, tam sacerdoti pepercit, quàm victimæ; nempè obedientia, si mactat, suscitat (si perdit, redimit) nec dat in pericula, nisi ut servet.

Ann. Mun. 2178. subsecutum Isaaci matrimonium, quod 2175. mors Saræ matris præcesserat, ad quam tumulandam emerat Abraham sepulchrum, 400. argenti siclis, quorum unus est argenti semi uncia. Matrimonium illud cum Rebecca institutum, ad quam adducendam expeditus fuit famulus senior domûs Abrahæ, credibile est. (Salianus) quod fuerit Damascus Eliezer, dilectissimus Abrahæ, quem in defectu filiorum adoptaturus erat in filium. Is procuratorem egit matrimonii, ac mirabiliter statim in ipsam Rebeccam incidit. Gen. 24. quæ ei & Camelis ejus aquam obtulit, obtulit post hæc numera prudens servus, nomine sui Principalis matrimonium contraxit, aliquot dierum mora concessa, eam ad Dominum perduxit. Sed cur Rebecca, cùm fuerit opulentorum parentum filia, ipsa aquam tulit, Abulensis ait, morem fuisse Hebræis, ut puellæ etiam divites, antè nuptias ancillarum in morem famularentur, fortè, ut discerent directuræ brevi familiam, imperaturæ cæteris, quid sit famulari, è propriisque viribus aliarum vires metirentur.

Isaaci nuptiæ.

Reversus servus deprehendit Isaacum in agro deambulantem, egressum ad meditandum, quam deambulationem institutam fuisse censent, non tam corporis quàm spiritûs exercendi gratiâ.

Ita Isaac prodiit in campum, ut liberiùs DEo vacaret, esſétque documento Neo-Sponsis ad statum matrimonii progrediendum esse, motu spiritûs, non carnis.

Ann. Mund. 2179. Intervenit Abrahæ conjugium cum Cetura, dum esset Abraham 140. annorum: causa nuptiarum, vel quod Isaaco totam familiam regendam commiserit, seorsimque manserit, vel adscivit uxorem, quæ senectutis illius curam gereret, fideliùs, quàm ancilla: vel ex speciali instinctu DEi volentis per dilectum servum suum gentes multiplicari, & verò filios ex illa suscepit, quorum posteri Troglodyticam regionem, & Arabiæ felicis, quidquid ad mare rubrum pertinet, possedêre.

Ann. Mund. 2198. Expectabat promissionem DEi magna constantiâ Isaac 20. annis; dúmque expectatam prolem copiosiorem DEi munere suscepit, scilicet ex Rebecca filios, inter quos nondum natos ortum aliquod dissidium, collidebantur, vel ut alii legunt, colluctabantur secum in utero, hic tamen motus, præter naturam, sed in figuram & omen futurorum extitit. Consuluit ea de re Rebecca (Salian.) vel Melchisedechum sacerdotem vel Heberum donô prophetiæ insignem, accepítque responsum, duas gentes, duósque populos in utero matris contineri, easque inter se hostili animô futuras. Prodierunt itáque in lucem discordes fratres, de quibus Gen. 25. v. 25. *qui prior egressus, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus, vocatúmque est nomen ejus Esau. Protinùs alter egrediens plantam fratris tenebat manu: & idcirco appellavit eum Jacob.* Notat Salianus: per colorem rufum pueri coctionem rufam, per quam venditurus erat primogenita, per villositatem feritatem morum designatum. Alter egrediens plantam fratris tenebat, hinc supplantator dictus.

Ortus Esau & Jacob.

Ann. Mund. 2213. ultimus fuit Abrahamo, qui 175. annis vixerat, sepultus à filiis in spelunca dupplici, ubi ille sepeliverat Saram. Vir fuit Abraham virtutis eximiæ, per adversa & prospera probatæ, tot locorum exul, quot incola, DEi voluntatem quòquò se veteret, sequebatur cumulatus à DEo bonis, ut illa erogaret, hoc felix, quòd dispensatorem bonorum DEi benè egerit, probitatemque integram intulerit sepulchro.

Abrahæ mors. Gen. 25.

Ann. Mund. 2213. In vivis esse desiit, Heber, Patriarcharum ætatis secundæ ultimus, Hebrææ gentis & nominis fons & origo.

Heberi mors.

Caput secundum.

De Abrahami Posteritate ad Moysen.

17. ANn. *Mund.* 2217. crescebant interim, diversis exerciti studiis Esau & Jacob, primus gnarus venandi, secundus vir agricola, venatione præludebat ille arti militari, dúmque feras, quas in escam Patri proponeret, venaretur, Patris venatus amorem. Secundus Jacob cor matris captivum tenuit vir simplex habitatione suis affixus tabernaculis. Circa annum mundi 2223. probabiliter venditio primogenituræ contigit, jus illius, pro coctione rufa, in Jacobum transfundente Esauo, irritam scilicet, nugatoriam, adeóque nullam venditionem putavit, sed fefellit immoderatum appetitus pariter ac opinio, tantum siquidem jus in modica escâ abligurivit. Porrò jus, ac prærogativæ primogenitorum fuerant, quas Solianus recenset: 1. Erant sacerdotes, licèt non soli 2. Lautiùs excipiebantur ad mensam, potiorémque obtinebent locum 3. Aliis fratribus benedicebant. 4. Veste speciali in solennitatibus utebantur. 5. Dominium quoddam in fratres, tanquam Principes exercebant; nam Isaac dixerat: *Esto Dominus fratrum tuorum* (Gen. 27.29.) 6. Duplices partes hæreditatis, consequebantur. 7. Redimebantur quinque siclis, tanquam speciali ratione ad DEum pertinentes. 8. Denique à parentibus morituris benedicebantur, ut sic gubernationi domus, tanquam Patresfamilias, quodamodò unitiarentur.

Benedictio Jacobo data.

Ann. Mund. 2276. Isaac Patriarcha benedixit Jacobo tanquam primogenito, loco Esaui, cujus personam præseferens Jacob, licèt leve mendacium ab aliquibus commisisse dicatur, non desunt tamen, qui immunem omni culpâ optimum Patriarcham fuisse asseverent, dixisséque se Esau non absolutè, sed ut primogenitum, venationémque methaphoricè sumpsisse. Hujus sententiæ S. Augustinus contra mendacium c. 10. tom. 4. addit Chrysostomus, quod anterior intentio in Esau ferebatur, immediata verò in hunc præsentem. In illa benedictione tria potissimùm continebantur. 1. precabatur filio abundantiam frugum. 2. honorem & venerationem apud exteros 3. authoritatem, Dominium, ac jurisdictionem in domesticos. Dum se sensit deceptum optimus senex Isaac, non revocavit benedictionem. Imo confirmavit Esauóque, licèt non primogenitorum, benedictionem contulit, cum uterque nequiret esse primogenitus, dedit tamen ordinariam.

Scala Jacob in somno.

Occasione benedictionis datæ Jacobo excitata fervens Esaui in eundem Jacobum malevolentia fortè sanguine restinguenda, ni pii, prudentesque parentes divisione fratrum offensam aliquo modo composuissent: Expedivere scilicet in Mesopotamiam Jacobum (Gen. 28.) ut de sua cognatione uxorem sibi sumeret; is, dum iter prosequitur, defatigatione somnum conciliante obdormivit, spectanda posteris visione recreatur decumbens, videt scilicet *scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: angelos quoque DEi, ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Gradus scalæ istius designabant personas generationis seriem ad Christum deducentes. Insignis visio per somnum ad debitam gratitudinem excitavit Jacobum, exsurgens erexit lapidem in titulum, quo tum locus visionis innotesceret, tum grati erga numen animi stabile maneret monumentum. Superavit sanè aras, superavit basilicas mundi, celebritate mysterii hic lapis, unctus oleô, in honorem Christi sibi revelati.

Matrimonium Jacobi.

Septem annos servitiis Labani avunculi impendit, Rachel mercedis loco habiturus Jacob. Sed peccaminosa fraude egit cum fido, ac affini sibi famulo Laban, Liam offerens pro Rachel, cum qua nihilominus contraxit matrimonium, recti & simplicis cordis vir, non fraudatus tamen promisso patribus munere, nam Lia peperit illi Judam, ex cujus postea tribu expectatio sæculorum, natus Salvator. Alios 7. Annos pro Rachel famulabatur Jacob, Proregem Ægypti Josephum ex eadem suscepturus, cujus deindè ortus ann. mund. 2277. contigit.

Josephi ortus.

Jacobi fuga Gen. 31.

Ann. Mund. 2296. Quatuordecim annis in servitio Labani uxorum causa, sex pro gregibus transactis, postquam uxores, evocatas in agrum, ad sua vota propositis injuriis à Labano sibi factis inclinasset, cum omnibus suis fugitivo itineri se commisit. Persequitur recedentem Laban, assequitùrque in monte Galaad, sed mitiùs agit, utpote in somnis admonitus, ne quid asperum Jacobo loqueretur, ita servum suum etiam à verbo aspero defendit Dominus. Moverat ad persecutionem Labanum, Deorum amisio, Rahel enim furata erat eidem fictitia hæc numina, vel ut ab Idololatria Patrem abduceret, vel ut per modum mún-

mundi muliebris, si pretiosa aliqua constabant materia, illos sibi usurparet. Quæsivit, sed frustra falsos Deos Laban, delitescebant siquidem sub clitellis cameli unius, cui ipsa Rachel insidebat, absconditi, cúmque non invenisset Deos Laban, humaniùs cum Jacobo egit, mitior factus fœdus iniit, sicque renovata foris amicitia, quæ domi coalescere non poterat. Hoc iter continuanti Jacobo occurrerunt angeli, quos ille vocavit castra DEi, dúmque seorsim oraret, *vir luctabatur cum eo usque mane* (Gen. 32. 24.) ex illis fortè castris fuerat vir ille Angelus scilicet custos Jacobi, non superavit tamen Jacobum, sed induxit torporem in nervo fæmoris illius, addit Theodoretus, ne superbiret, quasi DEum superasset. Præfigurabatur hac lucta, quòd à fratre Esau non esset superandus, ad quem misit nuntios & munera, his benevolentiæ armis, sperando se obtenturum victoriam. Petiit luctans vir à Jacobo dimitti; hic tamen jam à DEo illustratus dicebat: v. 26. *non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Et sanè strenuam luctam magnum nomen secutum, hic etenim luctator Angelus novum nomen indidit Jacobo v. 28. *nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum sed Israel.* Auctus magno nomine Jacob obvium cum quadringentis viris fratrem advertit, communíque suorum prospicit bono, in tres turmas suos disponit: in prima erant ancillæ uxores, cum liberis. In secunda Lia cum liberis, in tertia Rachel cum Josepho, ipse præcessit, fratremque adoravit pronus in terram septies; qua ejus submissione, victus ferus frater, expugnatúmque obduratum licèt cor humilitatis ariete Gen. 33. *Currens itaque Esau obviam fratri suo amplexatus est eum,* ad se invitavit, declinavit tamen illum Jacob, ne quo illum fortè offenderet, & amicitia dissolveretur, sic magnæ prudentiæ est, dissidiorum occasiones vitare, ne renoventur vulnera, quæ compositione coaluerant, acerbiórque dolor coalitas cicatrices disrumpat.

Humilitas victrix.

18. *Ann. Mund. 2302. Joseph accusavit fratres crimine pessimo apud Patrem* Gen. 37. v. 2. Non tamen necessè est, advertente Saliano hic, infamia aliqua criminà comminisci, fuit illud crimen invidiæ, quod satìs grande est, quod scilicet ab illis ex invidia, singularis in eum paterni amoris, vexaretur, perstrinxit illorum oculos polymita à Patre facta, quæ fuit diversorum colorum, tunica. Pessimum invidiæ crimen dicitur, multorum enim crimen esse solet fons & origo, fiunt nimium oculati ad nocendi occasiones invidi, etiam propriæ ruinæ haud advertentes periculum dum urgent alienam.

Invidiæ crimen pessimum in Josephum.

Ann. Mund. 2303. contigit somnium Joseph de manipulis Gen. 37. v. 7. in quo jam figura futuræ Josephi felicitatis, ac conservatione frumenti, conservatio Ægypti adumbrabatur,

Ann. Mund. 2305. contigit Dinæ filiæ Jacobi, pudicitiæ jactura copioso refundenda sanguine: muliebris sanè curjositas tot virorum stragi prælusit. Nam impatientes injuriæ fratres Sichem urbem vastârunt, in quam irruentes insperatè Simeon & Levi, filii Jacob cædibus eandem implevêre, Dinam sororem inde abduxêre; hæc enim paulo antè data erat ab illis nuptui quod fuerat implacabilis offensæ velamen) hac lege, ut Sichimitæ circumcisionem susciperent, quam, dum triduo ante suscepêre, tertia die, quando dolor acerbissimus, trucidati. At malè humano cruore, fœdum luxuriæ crimen deletum, adustáque ignominia ferrô expuncta. Pererius licèt zelum illorum non arguit, novem tamen gravissimorum scelerum reos fuisse illos pronuntiat: 1mo. Quod inconsulto Patre tantum agressi negotium, sic fervidiora juvenum consilia ignis instar erumpunt, illúdque peragunt, quod non datur corrigendi facultas. 2. Commissum perniciosum mendacium, dum ignoscendi fides non servata. 3. Abusus circumcisionis. 4. Barbara crudelitas, quæ eo magìs damnanda, quod optimi Patris filii eam perpetrâssent, sed quid non audet exacerbatus offensâ animus, ni tempestivè eidem rationis frænum indideris. 5. Injustitia, pœnâ culpam vehementer excedente; haud sanè justitiæ libram tractare potest manus ex æquo, quæ impetuoso ulciscendi affectu movetur. 7. Rapina, hæc planè ingenuam indolem non decebat, rapuitque ipsis raptoribus famam, dum aliena injustè diriperet. 8. In servitutem, qui cædem evaserant, abducti. 9. Innocuus Pater, totáque familia in discrimen internecionis adducti. Idola à filiis accepta conflari jubet, & in terram defodi Jacob.

Dinæ ex occasione strages. Sichemitarum. Gen. 34.

Ann. Mund. 2306. Jacob venit ad Patrem Isaac cum tota familia in Hebron, indè misit filios Sichimam cum gregibus, ad illos posthac expedivit Josephum, non quidem ibidem mansurum, sed de successu fratrum nuntium alaturum. Visô illô de longè fratres invidia stimulati in necem innocentis conspirant, Ruben tamen, & Judas diversa ab aliis sensêre; dissuasit Ruben occisionem, suggerens potiùs dimittendum in puteum. Quare dimittitur in cisternam famè necandus, quasi minus esset scelus, fame necare quàm gladio. Posthac

Joseph venditur. Gen. 37.

hac ex conſilio Judæ, pretioſus plurimùmque patri æſtimatus adoleſcens, venditur Iſmaelitis (qui & Madianitæ dicuntur) mercatoribus ex Arabia in Ægyptum tendentibus, venditur, inquam 20. argenteis ſiclis, id eſt, 27. francis gallicis cum dimidio, Patri veſtis ſanguine tincta oſtenſa, ſub qua ſceleſtorum filiorum crimen palliabatur.

A Madianitis venditus iterùm in Ægypto Joſeph, Putiphari, Pharaonis miniſtro militum: aliqui exiſtimârunt, 13. annis vincula toleraſſe Joſephum, probabilius alii, quod tribus. Poſt vincula tamen gratiam Putipharis nactus, gratioſúſque ob eximiam indolem, ac fidelitatem toti domui præficitur, in qua tamen majus innocuo, quàm in carcere fuerat, exortum ab uxore Putipharis, flammis libidinis

Gen. 39. æſtuante, periculum. Probabilius 28. circiter annum agebat tunc Joſeph, cum illius innocentiam impudica aggreditur Hera, ſed irritô conatu, fugiendo vicit caſtitatis athleta, relictô etiam in manibus ſceleſtæ palliô. D. Chryſoſtomus victoriam ex hac fuga tanti facit, ut miraculo babylonicæ fornacis anteferat. Eundem fugientem encomiô proſequitur P. Buſieres in floſc. Is Patri chariſſimus, cùm per invidiam divenditus à fratribus, & apud Putipharem Dominum gratioſus placuiſſet & Dominæ, pudicitiæ tamen poſthabens omnia, per Heræ calumniam conjectus in carcerem: per triennium caſtitatem amavit in vinculis, nec ultra DEus præmium diſtulit. Joſeph per interpretationem ſomnii Pharaoni notus ad regni adminiſtrationem evectus eſt, triginta natus annos, in qua per 80. perſeveravit, inaudita aulici felicitate, verè caſtitatis martyr, & corona. Intruſit quidem innocentem in carcerem calumnia, ſed virtus poſtea glorioſiùs extulit. Fit gratioſus apud cuſtodem carceris, Philo ait, fuiſſe miraculo facinoroſis, credentibus, ſibi eum ad ſolatium calamitatis datum fuiſſe. Dum in carcere deliteſcit Joſeph, includitur ſepulchro Avus

Iſaici mors. Iſaac anno mundi 2318. tranſactis vitæ 180. annis, caligantibûs oculîs, ſin vidit, audiit ſaltem multiplici beari ſobole filium Jacob duodecim ſuſceptîs liberîs, tanquam columnis, quibus gens DEo electa niteretur.

E carcere interim velut è ſepulchro redivivus emerſit Joſeph expletis 30. annis, oblatúſque Pharaoni celebris arcanorum interpres; cui illud de vaccis ſomnium interpretatus eſt, deditque Regi prudentiſſimum conſilium, ac rei frumentariæ præfectus eſt. Dixítque illi Rex: Gen. 21. v. 40. *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, uno tantum* Re

Regni ſolio te præcedam. De illo Rupertus: pro compedibus torquem auream ſuſcepit, pro pallio, quo in manu adulteræ relicto nudus effugit, ſtolâ byſſinâ, DEo judice, indutus eſt. Annus mundi 2320. primus cenſetur fuiſſe fertilitatis, & Principatus Joſephi; horrea conſtruxit, ait Moyſes v. 49. tantáque fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, & copia menſuram excederet.

Circa annum mundi 2328. fertilitati Ægypti, ut non raro proſperis adverſa ſolent, fames

19. ſucceſſit, vicináſque vexavit Re-

Gen. cap. 42. v. 43. giones; hac ſtimulante Joſephi fratres, frumentum acquiſituri ire compulſi, ubi à Joſepho fratre agniti, variis experimentis probati, in pœnam ſceleris, adductô tandem Beniamino, luctum lætitiâ commutaverunt. Accerſitus quoque in complementum

Joſephi in Ægypto fortuna. ſolatii Pater Jacob, annuente Rege, in Ægyptum; aſſignata advenis opulenta Poſſeſſio in terra Geſſen, ex qua deinde Iſraelitæ, numeroſiſſima gens, prodiêre. Somnium narrari exiſtimavit Jacob, dum vivere Joſephum, proximum Regi in Ægypto regere, dictum accepit, ſed perſuaſit, ita ſe rem habere, divinum oraculum: Gen. 46. 3. ait illi DEus: *Ego ſum fortiſſimus DEus Patris tui, noli timere deſcendere in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi, ego deſcendam tecum illuc, & ego adducam te inde revertentem.*

Sublatus igitur in plauſtris deductus eſt in Ægyptum cum univerſa familia bonus ſenex. Porrò omnes animæ domûs Jacob, qui ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuerunt 70. dicit Moyſes, at ſeptuaginta addunt familiæ Joſeph quinque filios adeóque 75. perſonæ conficiunt univerſam domum Jacob, quem numerum Stephanns habet in actis c. 7. In hoc porrò numero non ponuntur uxores Jacob, neque filiorum aut nepotum ejus, neque plurimi famuli cum uxoribus.

Monuit Joſeph fratres, ut ſe dicerent paſtores, & quinque è fratribus ſpecie contemptibiliores ad Regem intoduxit, ne, ſi præſtantiores Regi viſendos ſtatuiſſet, aulicis officiis, aut militiæ adſcriberentur, & ſic Ægyptiis commiſcerentur. Quamvis fratrum ſuorum contemptum ac in humili ſorte retentionem in ſui contemptum vergere non dubitaret, evehi tamen noluit vir humillimus, fortè, ne conſortio Ægyptiorum, tumentes honoribus depravarentur. Alebat ſuos, idque gratis Joſeph in Ægypto, fames interim quartô jam annô preſſit populum, omnes Ægyptii pecuniam conſumpſerunt & pecudes. Tandem (Ann. mund. 2332.) terras ſuas, & libertatem exponunt vena-
lem

Gen. 47. v. 22.

lem, Rex alium aliò migrare facit, quo certius eſſet regium Dominum: Sacerdotibus tamen ſuis idololatris juſſit Rex alimenta ex publicis horreis præberi, & non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas, ut tradit D. Hieronymus: Talis etiam gentilibus olim ſuorum Sacerdotum reverentia, non ſolùm perſonas, verùm & bona ipſorum voluerunt eſſe intacta: quanto magis, Chriſtos non tangere, conveniret Chriſtianis, nec ſemel honori divino, devotas poſſeſſiones attrectare: ſi non reverentia, & amore Numinis, ſaltem pœnæ formidine; cùm, etſi tardiore greſſu divina juſtitia bonorum ſuorum raptores aſſequi ſoleat, graſſarique impunè non ſinat.

Ann. Mundi 2333. famis primo, dixit Joſeph (Gen. 47.) *Quintam partem Regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in ſementem, & in cibum familiis & liberis veſtris. Qui reſponderunt: Salus noſtra in manu tua eſt, reſpiciat nos tantum Dominus noſter, & læti ſerviemus Regi.* Hic enituit maxima Joſephi ſapientia, famelico populo tributi frænum imponentis, quòd, tamen magnâ populi gratiâ ſuſceptum. Acceſſit Joſephi liberalitas, qui de mancipiis emptitiis; penſionarios fecit, vel cenſuales, quarè auxit Regis ærarium, non tamen diminuit populi affectum. Ipſe quoque jure meritò non ſolùm Regis, ſed & populi favorem promeruit, iſtúmque reſpectum, ut Iſraelitæ in gratiam ejus alerentur.

Jacobi mors.

Annus Mund. 2345. Jacobo Patriarchæ poſtremus, is, dum dicitur poſſediſſe terram Geſſen, ſive Rameſſes accipienda pars pro toto, id eſt, habuit in illa poſſeſſiones, vineas, agros, domos, hæc enim tempore famis emit apud famelicum populum, non caruit ſiquidem pecuniîs, quas ſecum advexerat; quare juſti poſſeſſores erant Iſraelitæ in illa terra, non precarii, ut illos vocat Calvinus.

Dum nuntiatum eſſet Joſepho Patrem ſuum jam eſſe prope vitæ terminum, adduxit ad eum duos filios, Manaſſen vigeſimum ſextum annum agentem, & Ephraim vigeſimum quintum annum agentem; hos adoptavit Jacob in filios dicens: mei erunt Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben & Simeon. Ad benedictionem à Jacobo ſuciſpiendam ita illos compoſuerat Pater, ut Manaſſes primogenitus, recta paternæ dextræ, Ephraim ſiniſtræ reſponderet, ſed Jacob de induſtria decuſſavit manus ſuas, fruſtra nitente Joſepho illas transponere, dixit enim Jacob:

Gen. 48. v. 19.

Scio fili mi, ſcio, & iſte quidem erit in populos & multiplicabitur, ſed frater ejus minor, major erit illo, & ſemen illius creſcet in gentes. Ita factum, Manaſſis enim tribus non unicam, ſed duas regiones obtinuit, alteram trans Jordanem à Moyſe, alteram cis fluvium à Joſue, Ephraim tamen tribus facta eſt caput 10. tribuum. Magno apparatu Joſeph parentavit Jacobo, deductum funus comitantibûs ſenibûs domûs Pharaonis, in Hebron, perfunctúsque hoc pietatis officiô Joſeph cum fratribus revertitur in Ægyptum, ſolatur eoſdem metuentes, ne ſuam ulciſcatur injuriam:

Gen. 50. v. 19.

nolite timere, num DEi poſſumus reſiſtere voluntati? non enim factum ex natura ſua, & mala fratrum voluntate æſtimat, ſed ex bono, quod DEus elicuit, propter quod & illud promittere voluit, adeóque ad ſpeciem factum excuſavit, ne fratres contriſtaret, additúrque v. 21. *nolite timere, ego paſcam vos, & parvulos veſtros.* Generoſiſſimus profectò animus in Joſepho excelluit, qui non ſolùm parcere ſubmiſſis offenſoribus ſcivit, ſed eoſdem & paſcere.

20, *Annus Mundi* 2398. ætatis Jobi ſeptuageſimus tanto intervallo à Chriſti Domini ortu diſtans, quantum fuit ſpatium ab orbe condito ad diluvium, initio ejuſdem Jobi certaminum illuſtris dignum DEo, angelis, & hominibus ſpectaculum præbuit, hominem ſcilicet cum dæmone luctantem, ſemper eundem, licèt adverſarius ſemper fuerit alius, formáque carens alternaret formas.

Jobi virtutes. Certamina.

In medio nationis pravæ Idumæorum Jobi virtus enituit, non minùs hic dives opum, quàm virtutum; ſeptem numeravit filios, tres filias eximiæ indolis charitate conjunctos, 7000. ovium, 3000. camelorum, 500. juga boum, 500. aſinas, numeroſúmque ſervitium.

Quadem die, dum, ùt exponit Pineda, Tyrinus &c. Sancti Angeli illius regni, & filiorum cuſtodes conveniſſent, eum quoque locum Satan circuibat, in angelum lucis transfiguratus; ſed cognitus ab eo angelo, qui vice DEi reliquis præſidebat, interrogatúsque, undè veniret, & an conſideraret Job; at ille calumniabatur eum, omnia opera ejus ſiniſtrè interpretatus expoſcebat Jobum ad ſingulare certamen.

Angelus præſidens, perſpectam habens Jobi virtutem, concedit illum adverſario probandum in omnibus ejus bonis, ipſo tamen exceptô. Variis itaque, malitiâ ac viribus potens adverſarius, afficit Jobum cladibus. 1. Sabæi 500. juga boum, & 500. aſinas abduxerunt, famulos occiderunt. 2. Ignis de cœlo tactas oves omnes, puerósque conſumpſit; hæc adhuc enarrante nuntiô venit alius, qui retulit tertium, ſcilicet Camelos omnes à Chaldæis abductos ac famulos cæſos fuiſſe. 4. Omnes filii & filiæ ſpiritu procellarum concuſſa domo obruti, conſul-

tò hanc continuam malorum ſeriem nectente Dæmone, ut, non conceſſo reſpirandi ſpatiô, facilius prioribus calamitatibus debilitatum animum ad ruinam compelleret; ſed vir infracti animi ex alto virtute roboratus, tantam bonorum jacturam æquanimiter tolerans dicebat (Job c. I. v. 21. *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar; Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* Probabiliùs eſt, non ſtatim reliqua Jobi bona periiſſe, ſed ſenſim morborum vi conſumpta. In alio poſthac angelorum conſeſſu adfuit Satan confuſus, voluit iterum probare morbis, aliiſque afflictationibus corporis obtinuitque aſſenſum, morte tamen excepta. Igitur ulceribus totum corpus Jobi affecit, humores turbavit, aliíſque morbis, quos ad triginta enumerat Pineda, afflixit.

Credibile juxta Chryſoſtomum, Baſilium, breviſſimum interceſſiſſe tempus, inter primas, ſecundáſque Jobi miſerias, exigente id flagrantiſſimô inimici odiô. Septennium, probabile, duravit hoc Jobi certamen, non tamen ſeptenniô ſub dio jacuiſſe cenſendus in ſterquilinio, ſed ultimatè, ſenſim enim bona illius diſtrahebantur à credentibus brevi moriturum: miram enim coordinationem morborum contexuerat Satan ad excruciandum accerbiſſimè Jobum, non tamen eundem nimia intenſione extinguere intenderat. Septimô annô in ſterquilinio depoſitus, cùm corporis ejus horrenda lues, ſpectaculum oculis, & fœtor naribus, nulli erat ultra tolerabilis, linguis tamen calamitas tam ſpectabilis celebrabatur. Aderant primò per legatos, poſtea in perſonis amici, adfuit uxor, non tam, quæ conſors doloris, compatiendo ferret levamen, quàm potiùs vexando affligeret; quam S. Chryſoſtomus certiſſimum telum diaboli vocat, hæc enim, uti idem Chryſoſtomus Baſilius tradunt, ob morborum mariti diuturnitatem, conſumptâ ſubſtantiâ corrogare ſtipem, ut viri neceſſitatibus ſuccurreret, adacta, tam diuturnam mariti ægritudinem ægrè ferebat. Suſtinebat is interim adverſæ pondus fortunæ, Job. c. 2. v. 8. *Teſta Saniem radebat, ſedens in ſterquilinio v. 9. dixit autem illi uxor ſua, adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic DEo & morere. v. 10. qui ait ad eam: quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es; ſi bona ſuſcepimus de manu DEi, mala quare non ſuſcipiamus?* Sic Doctorem in ſterquilinio, velut in patientiæ cathedra egit ſapientiſſimus vir, in bonis ſibi ſive ſuſcepta bona, ſive ſtrenuè tolerata mala reputans, quæ paterna omnipotentis manus obtuliſſet.

Præbent interim afflicto amici ſalatium, aſſident tanta calamitate oppreſſo, ad cœlos oculos vertunt, veſtes lacerant, quaſi ſupra mortuum cinere ſe aſpergunt; aſſident ſeptem diebus, totidemque noctibus, non niſi breviſſimo tempore ad neceſſaria vitæ digreſſi, in multam noctem ſeſſitantes ſummo diluculo iterum revertentes, ut explicat Olymprodorus. *Nemo loquebatur ei verbum* Job. c. 2. v. 13. Quoniam tam ingentibus calamitatibus parem verbis conſolationem adferre ſe non poſſe agnoſcebant. Dum primus Job ſuas, humaníque generis miſerias edicere cœpiſſet, ipſi quoque reſoluto ore, anteactæ vitæ peccatis has calamitates attribuebant, fit enim non raròo, ut poſt plures annos patiens DEi juſtitia ſuas vindicet injurias, aſſequatúrque tandem ſceleſtum pede pœna claudo.

Jobi diſcurſus.

Quare Job neceſſariò vitæ ſuæ innocentiam pertexere, docereque, non malè cum DEi ſapientia & benignitate congruere, quod innocentem ærumnis exerceat. Quæ cùm diu diſputata fuiſſent, adeſt DEus finem contentionibus impoſiturus, cum manifeſtis præſentiæ ſuæ argumentis, nam repente excitatur tempeſtas, quæ omnibus ſilentium impoſuit, ad audiendúmque excitavit; deinde procellæ ſtrepitu amiſſô (Salian.) in nube, quæ Job vertici videbatur imminere quaſi de ſolio Domini vox edita, quæ ab omnibus adſtantibus audiretur: In ea oratione Dominus divinam circa res humanas providentiam Jobo, & amicis ejus exponit, quorum conſideratione Job imperitiam ſuorum verborum cognoſcit, deinde, quòd inſipienter locutus ſit, fatetur (Job c. 42. v. 6.) *Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pænitentiam in favilla & cinere.* Specialem profectò Job expertus eſt DEi favorem, qui ſub quadam ſpecie DEum vidit, ab illóque afflictionis ſuæ arcanum edoctus eſt, unde cæpit non ſolum animo vehementius, ſed etiam corpore recreari, rediit priſtina ſanitas, redierunt cognati, amici, aulicusque comitatus, ab his in regias ædes reducitur, convivium celebratur, certatim muneribus afficitur, geminantur illi amiſſa bona ſpeciali DEi providentia; brevi 14000. ovium, 6000. camelorum, mille juga boum, mille aſinas numerat. Suſcipit iterum prolem, dotibus naturæ ornatiſſimam, 7. filios, 3. filias. Quòd non fuerit geminatus liberorum numerus, advertunt Baſilius, Auguſtinus, ut ii, quos invidia diaboli extinxerat, non periiſſe ùt cæteri, ſed apud Dominum adhuc vivere intelligerentur. Probabiliùs eſt, ex eadem uxore ſuſceptos à Jobo liberos; cùm

Jobi c. 42.

Morte juſti non pereunt.

non videtur, Job ipſe aut Moyſes, in libro Job (eſt enim dubium, cujusnam ſit liber, Jobi, an Moyſis) qui novos liberos expoſuit, novæ uxoris mentionem feciſſe.

Eleganter Jobi certamina & victoriam deſcribit P. Buſieres in floſc. Par egregium ſpectavit DEus, & ſe dignum cum Dæmone, miſeriisque omnibus Jobum compoſitum, illuſtrior, quàm ex triumphato orbe Pompejus, triplici prælio ter geminam palmam confecit. Liberorum inconcuſſus audivit funera: ſpectavit tranquillus bonorum jacturam, in cruciatus membra tranſiſſe paſſus eſt: ac demum carcinoma fœtidum, vivum cadaver è ſterquilinio hoſtem vicit. Qualis pugna, quæ ſeptenium tenuit: quàm gravis, per tot conſerta vulnera: quàm impar, ubi hominem Dæmon, per humanas calamitates, per amicos, per uxorem, per ſe aggreſſus eſt: quàm demùm honeſta, ubi fregit contemptus ſuperbiam, patientia furorem, homulus angelum. Pioribus bonis geminatis in effuſa bonorum, nepotum, & virtutum copia, fortuna cum virtute redeunte in gratiam celebrem illam tragœdiam feliciſſimo exitu moriens clauſit.

Joſephi mors.

Annus Mundi 2399. funeſtus morte celeberrimi Patriarchæ Joſephi, is in uno regno, ſed non in una provincia habitavit cum fratribus, illi in terra Geſſen, hic in regia urbe, 110. annis vitam protraxit.

Ann. Mund. 2421. obiit Levi,
à quo levitæ, de quibus Domi- 21.
nus Num. 3. v. 12. *eruntque Levi-*
tæ mei. Ex hac tribu omnes Sa-
cerdotes, ſummíque Pontifices
orti, qui multis ſæculis Rempub-
licam Judæorum adminiſtrâ-
runt. Hæc Tribus fuit omnium
minima, vixque aliarum tribu-
um quadranti reſpondebat, pro-
vidente Domino, ne, qui à re-
liquis tribubus ſuſtentandi erant,
nimia multitudine oneri eſſent.

Levitæ undè.

Ann. Mund. 2438. ſuſcepit regnum Amænophis Rex Ægypti, regnavit 31. ann. hic primus cœpit Judæos iniquo oculô reſpicere, affligere: affligebantur porrò illi ab Ægyptiis permittente DEo, tum ad punienda Judæorum delicta, tum propter venditionem Joſephi, ut vult Joſue, tum ob illorum impudicitiam (Salianus) tum, ut averſarentur Ægyptos, eorúmque perditos mores, tum, ut daretur occaſio DEo ad patranda miracula. Ex parte Ægyptiorum erant cauſæ affligendi Judæos, metus, invidia, odium. Metus, metuebant enim Ægyptii, ne ſe Judæi hoſtibus eorum adjungerent, eos exſpoliarent, ex Ægypto ejicerent. Invidia, quòd maximè auctos opibus apud ſe Iſraelitas viderent, numeróque creviſſe. Moyſes enim inquit Num. c. 1. v. 45. *Fuerúntque*

Judæorum oppreſſionis cauſæ.

que omnis numerus filiorum Iſrael per domos & familias ſuas, à vigeſimo anno, & ſupra, qui poterant ad bella procedere v. 46. ſexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta v. 47. Levitæ autem in tribu familiarum ſuarum, non ſunt numerati cum eis. Odium. Oderunt, quos metuebant, & Judæos tanquam paſtores ovium, ipſi multitudine equorum & curruum gloriantes contemnebant.

Judæorum in Ægypto oppreſſio.

Opprimebantur autem variis modis: Rex convocatis Ægyptiis dixit Exod. 1. v. 9. *Ecce populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis eſt. v. 10. venite ſapientes, opprimamus eum, ne fortè multiplicetur.* Volebat ſcilicet ſine tumultu in populo, & quaſi aliud agens laboribus opprimere Iſraelitas, ut ſimul erigerentur Ægyptii. Quare tributis graviſſimis exhauſti ad ædificia, ingentésque fabricas compulſi, flagris, & catenis vexati adeò, ut interdum ſub verberibus exſpirarent; Præfectorum verò operum tanta fuit inhumanitas, ut, cùm multa haberent Iſraelitæ, quæ conquererentur, quaſi cæterorum obliti, de ſolis operum præfectis lamentarentur; de quo Dominus Exod. 3. v. 7. *vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi propter duritiam eorum, qui præſunt operibus.* Hos magiſtros operum plerique interpretantur publicanos, & tributorum exactores.

Ann. Mund. 2466. Cùm Pharao Rex videret, etiam laboribus attritos non decreſcere, de quo Exod. l. 12. *Quantóque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur & creſcebant.* Mandavit obſtetricibus, quæ fuerunt Ægyptiæ, ut ſub tempus partûs, maſculos hebræorum interficerent, irritum tamen fuit hoc regis imperium, incuſſit enim DEus aliquem timorem vehementem illis mulieribus, vel ſi mavis, emollivit muliebre ingenium, ne id agerent. Cúmque videret Pharao Amœnophis nullas querelas de obſtetricibus, & nullū puerorum interritum, vocavit ad ſe obſtetrices, exquiſivit cauſam, cur non obſecundarent: Reſponderunt illæ, non eſſe Hebræas ſicut Ægyptias mulieres, ac obſtetricandi habere peritiam. Dum occulta nocendi ars non ſucceſſiſſet Tyranno, aperta vi ſtatuit, juſſitque maſculos in fluvios projici, quod tamen crudele edictum intra quinque annos cum vita Tyranni extinctum eſt.





Liber quartus,

Ætas Mundi Quarta, quasi Juventus Moysis & Judicum. Annorum 476.

JUdices Hebræorum ex Moreri diction. Histor. 1. Moyses legislator. 2. Josue. 3. Othoniel. 4. Aod. 5. Debbora cum Barach. 6. Gedeon. 7. Abimelech Tyrannus. 8. Thola. 9. Jair. 10. Jephte. 11. Abesan. 12. Aialon. Eglon. 13. Abdon. 14. Samson. 15. Heli. 16. Samuel.

Caput primum.

De Moysis ortu, & prodigiis.

22. ANnus Mundi 2464. Moysis primus, qui ex levi Jacobo filio per Caath avum & Patrem Amran descendebat. (Moysis ortus.) Occultabatur tribus mensibus à parentibus Moyses; post tres menses, dum se infans validiore vagitu proderet, & periculum esset, ne à custodibus Ægyptiis, qui tertio quoque mense scrutabantur domos, inventus occideretur, certæ necis loco exponitur dubiæ, fabricati fiscellam scirpeam, sive junceam, & linierunt eam intùs bitumine, ut levis materia facilè innataret; positus infans, ut volunt septuaginta, in palude juxta fluvium, in unam scilicet earum, quam Nilus restagnans effecit. Maria soror Moysis procul eventum rei præstolabatur, & ecce descendit filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine, (Exod. 2.) quæ cum vidisset fiscellam, misit unam è famulabus suis, quæ attulit fiscellam, in illa vagientem puerum cernens, ejusque miserata Regis filia, quam Josephus Thermutim vocat, conservandum suscepit, & quia non videbatur securum deferre in regiam, dum, quid age-

ret, deliberat, soror pueri, quæ non longè aberat, supervenit, & edocta à Matre Exod. 2. v. 7. inquit: *Vis, ut vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum v. 8. Respondit vade, perrexítque puella & vocavit matrem suam. v. 9. ad quam locuta filia Pharaonis: accipe puerum istum, & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, & nutrivit puerum, adultúmque reddidit filiæ Pharaonis.* Datum illi nomen Moyses, latine extractus.

At verò non tam Regis filia, quam divina suspicienda providentia, hæc materno gestavit sinu infantulum extorri, toti loco molissimas substravit undas, ac fluctibus velut ulnis agitato, quò suavius quiesceret, lusit in puero, jactavit procellâ misellum ut extolleret, cui deinceps aquæ multæ populi multi subessent.

(Moysis pueritia.) Quarto ætatis annô, admirandum, ait Jósephus, gratiam ei DEus addidit, in tantum, ut nemo adeò esset tetricus, qui visa Moysis pulchritudine non obstupesceret. Illud quoque Philonis de Moyse non vulgare est: nactus educationem Regum, nequaquam infantium more delectabatur assentationibus, jocis, lusibus, quamvis indulgenter haberetur ab Educatoribus, sed jam tum modestiam, gravitatémque præferens, malebat audire, spectaréque utilia. Cur autem DEus Moysem in aula regia nutriri voluerit, suggerit causas Pererius: ut scilicet regali curâ educatus regiis moribus genti regendæ accomodatis asuesceret, ut majori apud Ægyptios authoritate polleret, cum apud eos destinata divinitus legatione fungeretur. à Septimo ætatis annô instrui cœpit scientiis, S. Stephanus ait, eruditum fuisse omni scientia Ægyptiorum, probabile, imbutum fuisse illis scientiis, quæ ad hierogliphicam pertinent, varii ad illum erudiendum accersebantur, immò & ultro sese offerebant Præceptores. In adolescentia sobrietate atque temperantia, tanquam habenis concupiscentias cohibens, ne nimiô impetu ferrentur, ait Philo. In Æthiopicô bellô eximiis fulsit, heroicisque virtutibus, DEo his artibus Ducem populi sui ad militare regimen disponente.

Ad 40mum ætatis suæ annum aulicum egit, authoritatéque (Moyses aulicus.) pollens cœpit etiam publicè fratres suos invisere, solari, vidensque ab Ægyptio quodam (Philo putat aliquem ex Præfectis duriorem) Judæum excipi occidit Ægyptium. Excusant Moysen à Peccato S. Augustinus, Rupertus, D. Thomas, quia jam tum judiciariam potestatem acceperat ad regendum, & protegendum populum, quamvis nondum satis evulgatam. Usus erat circumspectione, dum percute-

ret

ret Ægyptium Moyses, factum tamen secretum prodiit in publicum, Exod. 2. v. 13. *Et egressus Die altero, conspexítque duos Hebræos rixantes, dixítque ei, qui faciebat injuriam, quare percutis proximum tuum? v. 14. qui respondit, quis te constituit Principem, & Judicem super nos? num occidere me vis, sicut heri occidisti Ægyptium? timuit Moyses, & ait, quomodò palam factum est verbum istud? v. 15. audivítque Pharao Sermonem hunc, & quærebat occidere Moysen, qui fugiens de conspectu ejus, moratus est in terra Madian.* Eam provinciam Basilius eruditè Æthiopiam appellavit, indè Moyses uxorem Madianitidem, eamdémque Æthiopissam è progenie Abrahami accepit. Ibi Moyses gregibus, Jethri seu Raguelis, qui fuit Sacerdos Madian, soceri sui pascendis operam impendit, suis, & alienis ignotus, ad principatum se præparans, uti Philoni placet, qui artem pastoralem idoneum ad regnum præludium arbitratur. Moysis quidem innoxium fuit facinus; at qui nefanda perpetrant, quantacunque circumspectione utantur, & centoculo se existiment oculatiores Argo, videant, se rarissime humanum, nunquam Divinum oculum evasuros; palámque id, si fortè non in humano, sed certissimè in divino tribunali futurum, quod creditur occultissimum.

Annus Mund. 2543. Octogesimus ætatis Moysis, diuturnam populi Israelitici Servitutem terminavit, quam 430. annis fuerant perpessi. Apparuit Dominus Moysi in rubo, *qui ardebat, & non Comburebatur; putant aliqui intra Rubum fuisse filium Dei, Salianus tamen existimat fuisse Angelum, Dei vices gerentem, probabiléque fuisse S. Michaelem; Contigit hæc visio in monte Horeb sive Sina, utroque enim nomine dicebatur, cum duplici jugo Separaretur mons, quorum inferius dicebatur Horeb, Superius autem Sina. In illo Rubo verus fuit ignis, sed activitas ejus, ne consumeret, arcebatur. Miratur ibidem visionem Moyses, docetur de religione loci ob Dei præsentiam, jubetur solvere calceamenta, quæ erat ceremonia Reverentiæ illis populis. Accessit itáque cum Reverentia ad Rubum, locutus cum illo Dominus 7. diebus in illo rubo; legatum eundem instituit ad Pharaonem, cunctatus primò Moyses ex animi demissione Exod. 3. v. 11. *quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto. v. 12. qui dixit ei, Ego ero tecum.* Altera cunctatio Moysis fuit ex parte populi, quem putabat Moyses non crediturum. Respondit Dominus: v. 8. *audient vocem tuam, ingredierisque tu & Seniores Israel ad Regem Ægypti.* Aliasque

23.

Rubus ardens. Exod. 3.

Aliásque difficultates ex parte Moysis occurrentes facilè dissolvit Dominus. Quare discessit à Jethro, tulit uxorem, filiósque suos, & reversus in Ægyptum, à qua 40 annis absuerat, portavit quoque in manu virgam, quam illi dederat Dominus. Divino instinctu monitus occurrit Moysi in itinere frater Aaron, narravit Moyses in itinere Aaroni omnia verba Domini, ingressi in Ægyptum, convocato populo voluntatem Domini aperuerunt: accepti à populo, dum signa Moyses fecit, scilicet, dum virga ejus conversa in colubrum, & rursùm in virgam, manus lepra infecta, & sanitati restituta, aqua è Nilo accepta, in terram effusa, in sanguinem versa.

Posthæc adiit cum Aarone Moyses Pharaonem, expostulavit, ut dimitteret populum, detrectavit illi dicens: *Exod. 5. 2. quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel, nescio Dominum.* nec dixisse contentus, rejicit à se legatos, per laborem populum aggravat, colligunt Judæi cum magna molestia paleas conficiendis lateribus, Præfecti Judæorum ab exactoribus Ægyptiis flagris cæduntur, frustra apud Pharaonem vociferantur irrita querelâ, dicit Rex v. 17. *Vacatis otio, & ideò dicitis: Eamus, & Sacrificemus Domino.* Indè digressi, apud Moysen & Pharaonem murmurant, Moyses tamen illos exacerbatos magna prudentia & moderatione animi sustinet, coram Deo, tanquàm coram Patre fiducialiter conqueritur, consolatur eum Dominus, permittítque affligendum plagis Pharaonem, & jubet Moysen proponere in consolationem Israelitis tria. 1. Se populum ex ergastulo Ægypti magnificè educturum. 2. Se accepturum illum in populum peculiarem. 3. Se promissam Patribus eorum chananitidem daturum; sed illi non admiserunt consolationem propter Angustias Spiritus, & opus durissimum. Ad Dominum iterùm recurrit Moyses, cui dicit Dominus Exod. 7. v. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, quasi dicat: velim te illi esse formidabilem, quasi quemdam Deum, qui habet in homines vitæ, necísque potestatem. Nihil cunctatus Moyses, adivit cum Aarone Pharaonem. Exod. 7. v. 10. *Tulítque Aaron virgam coram Pharaone, & servis ejus, quæ versa est in colubrum.* Projecerunt quoque Magi vocati à Rege virgas, & versæ sunt in colubros. *Sed devoravit virga Aaron virgas eorum v. 12.* Probabiliùs est, juxta S. Augustinum & D. Thomam: tam Aaronis quàm Magorum virgas fuisse versas in veros serpentes,

Virgæ in Serpentes versæ.

pentes, Aaronis quidem vi divina, magorum verò ope Dæmonis, qui potuit veros serpentes adferre citissimè. Sed dum hæc, coram indurato Pharaone nihil proficerent, à verbis ventum ad verbera, inflictæ plagæ primùm in campum Taneos, id est, in regiam domum incubuêre.

Plagæ Ægyptiis inflictæ. Exod. 7. Sanguineæ aquæ. Quarum plagarum prima fuit aquæ in sanguinem versæ, idque non solùm aquæ Nili, sed omnium Ægypti fluminum. Converterunt quoque Magi in sanguinem aquas, scilicet ex terra Gessen, juxta D. Augustinum accepta, quæ terra fuit à plagis immunis; induratum est cor Pharaonis, dum vidit à magis etiam factum sanguinem, duravit hæc plaga 7. diebus, biberunt interim Ægyptii aquam effossam, quæ, licèt ex fluviis derivaretur, per subterraneas venulas, in his tamen, ut ait Tostatus, excolebatur, ut crassities illa, & ei adhærens color, sapor itaque minuebatur, &

Exod. 8. v. 3. quoquo modo potabilis reddebatur.

Ranæ. 2da plaga fuit ranarum, omnia implentium, putrescentium, aquas inficientium. Produxerunt quidem ranas & magi, sed perdere nequiverunt, nec in Hebræos immittere poterant. Promiserat tunc Rex, se dimissurum Judæos, sed iterum post aliquot dies, cessante ad postulationem Moysis plaga, ad ingenium rediit.

Ciniphes Exodi. 8. v. 17. 3tiâ deindè plagâ afficitur Pharao ad percussionem per Aaronem pulveris terræ, facti ciniphes. Origines hos sciniphes, sive ciniphes dicit esse animalcula ità subtilia, ut oculos effugiant, corpus tamen, cùm insederint, stimulo acerbissimo terebrent, sciniphes quoque producere, sed frustra tentàrunt magi, ast, qui permittente Domino majora patrabat Dæmon, impediente, ne minima efficere poterat.

Muscæ. Exod. 8. v. 24. Quarta plaga, an augmentum tertiæ fuerat omnis generis muscæ: ingens harum turba, ceu auxiliares copiæ sciniphibus adfuêre, molestissima hæc plaga fuit, muscis homines, jumenta acerbissimè pungentibus, in aures, os &c. involantibus. Nec ignibus abigi poterant muscæ, diutiùs hæc permolesta plaga protracta, annuit postulatis Moysis & Aaronis Pharao, sed mox plaga cessante, mutat consilium, probabilius enim est, quòd ille verè promittebat, sed iterùm mutabat propositum, frustra enim diceretur, non semel cor ejus indurari, si perpetuò induratum fuisset.

Pestis. Exod. 9. v. 3. 5ta plaga fuit pestis in jumentis, quæ tamen in terra Gessen jumenta non attigit.

Ulcera. Exod. 9. v. 23. 6ta plaga fortè præteritarum maxima, fuêre ulcera afficientia corpora ipsorummet Ægyptiorum; hæc ulcera orta ad projectionem à Moyse pulveris, seu cineris ex camino coram Pharaone accepti. Etiam maleficos adeò afflixit hæc pœna, ut præ vehementia doloris nec stare possent.

Grando. 7tima plaga grando. Præmonuit tamen Moyses, ut congregarentur homines & jumenta ex campis, aliàs peritura grandine, percussitque hic grando in Ægypto cuncta, quæ erant in agris; tonitrua horrenda, fulmina, fulgura replevêre regnum, nec vani fuêre terrores, effecta hanc cladem secuta, hominum & Jumentorum, quæ fuerant in agris, percussio, omnium herbarum attritio, arborum eversio, multorum templorum, domorum, ventis impellentibus ruina. His perculsus Pharao, iterum promittit, promissàque non servat; hanc obstinationem fortè laudi ducebant sibi Ægyptii, quòd tantis malis non frangerentur, solenni impiorum more exultantium in rebus pessimis.

Locustæ Exod. 10. v. 13. 8va plaga locustæ, nubium instar operuerunt Ægyptum, revocat legatos Pharao promissione, finem pœnæ impetrat, nec tamen emendatur.

Tenebræ. Exod 10. v 22. 9na plaga in tenebris extitit, supra opinionem major, fuerunt densissime illæ tenebræ, quæ in omnibus linguis dicuntur palpabiles, non enim ratione sui, sunt enim privatio, quæ sub sensum non cadit, sed in sua causa, aëre scilicet ità condensato, humidis ac frigidis vaporibus infusis, ut in aqueam vergeret soliditatem, in tenebris Dæmones horrenda exhibebant spectacula, micabat cum ingenti horrore ignis, audiebantur soni terribiles: tribus diebus durabant, per totam Ægyptum extendebantur illæ tenebræ. Præluserunt morti primogenitorum hæ tenebræ, dum desierunt, prænuntiata 10ma plaga, occisio scilicet primogenitorum; non pridiè autem facta hæc denuntiatio, sed facta 9nò die mensis, ut putat Abulensis, 10mò seposuerunt sibi Israelitæ agnos paschales. 11mò, 12mò. 13tio die mutuati sunt vasa ab Ægyptiis. 14tô primum Pascha

Exod. 12. sanctificatum, & agni sanguine super liminaria tincta, agnúsque solenni ritu comestus est, media nocte 15tæ diei, primogenita occisa. In hac denuntiatione tempestiva, cladis futuræ satis patuit, quantùm mitissimus virorum Moyses, ad ulciscendas suas, populíque injurias non festinaret, spatiúmque pœnitentiæ malevolis concederet, sed & proficua fuit po-

pulo Iſraelitico denuntiatio in ordine ad mutuo accipienda vaſa; libenter enim hæc offerebant, ut precibus Hebræorum ab Ægypto vel ſaltem domibus eorum hæc plaga averteretur. Dedit præterea Dominus gratiam populo coram Ægyptiis. Non acceperunt pecunias Hebræi, hæ ſiquidem non erant uſui futuræ in ſolitudine, ex vaſis autem aureis & argenteis fabricanda erant vaſa tabernaculi. Acceperunt autem hæc vaſa optimo jure, vel ab ipſo Domino univerſorum ſpecialiter acquiſito, vel in compenſationem tot laborum in duriſſima ſervitute Ægypti.

Occiſio primogenitorum. Exod. 12. 10ma tandem plaga, eáque lethali percuſſit Dominus Ægyptum, ad 15tum menſis Niſan. Exod. 12. v. 29. *Factum eſt autem in noctis medio, percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito Pharaonis, qui in Solio ejus ſedebat, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere &c.* Occiſa etiam fuerunt primogenita jumentorum. Non erat domus, in qua non jaceret mortuus, putántque aliqui, non ſolum pueros, ſed omnes, quicunque erant primogeniti, etiam centum annorum, occiſos, alii non ſolùm ad mares, ſed etiam ad fæminas hanc calamitatem extendunt. Perierunt peſte, non gladio, in ſcriptura enim gladius pro quolibet violentæ necis genere ſumitur; Angelus bonus fuit Percuſſor.

Caput ſecundum.

De Exitu Iſraelis ex Ægypto, Duce Moyſe.

24. Exod. 12. EGreſſum de Ægypto præceſſit inſtitutio anni ſacri, & celebritatis Paſchalis, cujus menſis Niſan initium fuit anni. In celebritate paſchali, defectu agni, hœdus legitima fuit hoſtia, ſacrificabatur ad veſperam, exeunte 14tâ luna. Numerus convivarum agni debebat ad minimum eſſe decem virorum; comedebatur benè aſſus, infractis oſſibus cum azymis & lactucis agreſtibus. 7 diebus veſcebantur azymis Judæi, Paterfamilias Sacerdotale munus obibat.

Paſchæ Inſtitutio.

Ait S. Hieronymus, quod Hebræi autument, nocte, qua egreſſi ſunt, omnia in Ægypto templa deſtructa fuiſſe terræ motu vel fulminibus. Miſera erat Ægypti facies, multis tamen profuit calamitas, ut ad verum Dei cultum accederent. Hac calamitate perculſus Rex, eadem ſtatim nocte Moyſen & Aaron, Iſraelitas dimiſit cum rebus ſuis, nec quidquam, ut reverterentur, innuit, imò benedictionem ab illis poſtulavit. Exod. 12. v. 32. *abeuntes benedicite mihi.* Urgebant ipſimet Ægyptii Hebræorum diſceſſum, nec illi moram trahebant, farinam enim aquâ madefactam ſecum accepêre, non expectando, donec in panem aſſaretur. In hac tamen feſtinatione oſſa Joſephi accepit Moyſes: tulit quoque Moyſes oſſa Joſephi ſecum. Exod 13. v. 19. inſigni poſteris documentô, corporum Sanctorum reliquias venerationi eſſe debere, cùm ipſe Pſal. 33. v. 21. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum*, ſcilicet juſtorum.

Ann. Mund. 2544. Congregati in terram Geſſen Judæi, per turmas à Moyſe & Aarone diſtributi, acceptis etiam, ut putat Abulenſis, armis, quibus ſe à latronibus tutarentur, poſt elapſos 430. annos, à promiſſione Abrahæ facta, egreſſi in manu excelſa, per tot ſcilicet prodigia. In ipſo itinere, primóque profectionis die, Dominus Moyſen alloquitur, tres leges conſtituit, de Paſchæ ritibus, de primogenitis Sanctificandis, & de uſu 7. diebus azymorum. Duxit Dominus populum non via recta Gazam verſus, ſed per ſolitudinem verſus mare rubrum ad orientem, ut ſcilicet, ſi Hebræos Dei Reverentia non contineret, ſaltem viarum difficultas à reditu in Ægyptum arceret. Accedebat apertiſſimum, dei dirigentis iter, documentum, viæ Dux, columna nubis & ignis, unam eandémque fuiſſe hanc columnam cenſet cum aliis P. Salianus, quæ ex una parte nocte luceret inſtar ignis, interdiu autem nubes cerneretur; nam de unica nube dicitur in ſcriptura. Diverſa tamen hæc nubes fuerat à nube, protegente ab æſtu, prima enim illa columnaris figuræ, non adeò apta eſſet, ad id muneris exequendum. Et verò in nube illa ductrice non erat verus ignis, ſed fulgor igneo ſimilis. Varia fuerunt nubis iſtius officia, viam monſtrabat, etſi enim Moyſes gnarus erat locorum, ductu tamen Dei indigebat, cujus voluntas fuerat, ut aliquas itineris moras traherent.

Columna Ignis Exod. 13.

Ducebat columna populum modo ſpeciali: poſtquàm enim tabernaculum Domino excitatum eſt (quod ſemper erat in medio caſtrorum, ſive in itinere, ſive in quiete) columna in illo quieſcebat, tanquàm in baſi, cùm inſtaret tempus motionis caſtrorum, columna transferebat ſe ad initium caſtrorum, & locum, ad vexillum

tribus Judæ, occupabat, versus locum illum, ad quem tendebat columna nubis, universa castra iter suum dirigebant; cùm autem quiescendum erat, revertebatur ad tabernaculum. Dúmque columna motu suo signum dedisset, jussu Moysis, filii Aaron Sacerdotis, clangebant tubis, colligebantur sarcinæ, omnibus ad viam expeditis, levabant Sacerdotes Arcam Domini. Noctu tam late fulgebat columna, ut tota castra benè illuminaret, noctu ordinariè quiescebant castra, nisi aliqua urgeret necessitas. Duplex erat quies columnæ; ordinaria sub meridiem brevior, & singulis noctibus longior. Extraordinaria, dum omnis populus fixit tabernacula pro longiori tempore, stativa ibidem peracturus, contigit talis quies per annos quadraginta, vicibus 42. Et quia non exploratum erat populo, diúne in aliquo loco subsistendum esset, erant filii Israel perpetuò in excubiis Domini. Motor columnæ fuit Angelus, P. Salianus.

Pharao insequitur Israelitas Exod. 14

Transactis tribus diebus pœnituit Pharaonem dimissionis, dum per exploratores certior factus esset, populum Israeliticum non reverti, quarè statuit insequi abeuntes. Versus mare rubrum, seu Erythræum castra Israelis mota sunt, à lateribus, asperis, præruptisque rupibus claudebantur, à fronte mare, à tergo habuerunt Pharaonem, diversorum affectuum motu agitatum, qui illos sic interclusos spe devoraverat. In his constituti angustiis Israelitæ clamant ad Dominum, sed simul Moysen increpant, quasi verò Dominum injuria servi non afficeret; sed Moyses vir eximia patientia, & magnitudine animi, consolatur adversarios Hebræos, orat ardentissimè pro populo Dominum, dignus sanè popularitate Princeps, qui furorem populi pro morbo calidioris febris reputans, efficacia orationis applicat remedia, patienter sustinet immoderatiore æstu calentes, opperitur, donec defervescat ardor, & sanior mens redeat perturbatis.

Divisum mare Israelitas transmittit, opprimit Ægyptos. Exod. 14.

Jubet itaque Dominus Moysen: Exod. 14. v. 16. *Tu autem eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud, ut gradiantur filii Israel in medio mari per siccum.* Ductor Angelus, qui præcedebat castra Israel, locum mutavit. v. 19. *Abiit post eos: & cum illo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit inter castra Ægyptiorum, & castra Israel.* Eadem columna ex parte Israelitarum erat lucida, totáque castra illuminabat; ex parte verò Ægyptiorum obscura, ità, ut videre illos non possent, insequi possent.

Aperuit

Aperuit virgâ Moyses mare; Angelus enim Domini hinc & inde undas submovit. Facta via in medio ampla, unica, non plures, per divisionem enim intelligitur mare bipartitum, non duodecim viæ, juxta duodecim tribus, ut voluntHebræi, eadem via exsiccata, vento flante, australi, vel, ut alii putant, orientali. Pergebant itaque Israelitæ Exod. 14. v. 22. *Per medium sicci maris, erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & leva.* Architecto numine, fluidum elementum in murum solidante. Primus Moyses illam viam iniit, subsecutus populus, populum Ægyptii, cùm ex nube Angelus ignibus fulminihus ante ultimam cladem perculit persecutores scelestos, qui dixerunt. v. 15. *Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Consternati, tumultuari, fugere cœperunt, sed refluentibus in suum locum undis ita hausti, ut ne nuntius cladis evaderet. Egressi sunt Israelitæ in littus horâ circiter tertiâ post mediam noctem, suos choros, ut inquit Philo, virorum scilicet, & mulierum in littore instituerunt, cecinerúntque Domino Hymnos gratulatorios, Moyse viris, sorore ejus mulieribus præcinente. Ejecta Ægyptiorum cadavera spoliaverunt Judæi. Orosius lib. 1. c. 10. dicit: Extant enim nunc certissima horum monumenta gestorum, nam tractus curruum, rotarúmque orbitæ, non solùm in littore, sed etiam in profundo, quousque visus admittitur, pervidentur, & si fortè ad tempus vel casu, vel curiositate turbentur, continuò divinitus in pristinam faciem, ventis, fluctibusque reparantur. Die sexta sub vesperam uterque exercitus ad mare pervenit, nocte autem, quæ fuit initium diei septimi, usque ad auroram contigit transitus Israelis, & submersio Ægyptiorum.

25.

Aquæ amaræ.

Venerunt posteà Judæi in Mara, ubi erant aquæ amaræ (Exod. 15. 24.) *Et murmuravit populus contra Moysen, dicens: quid bibemus? v. 25. at ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.* Philo Judæus putat vim naturalem fuisse ligno, sublativam amaritudinis, sed credibilius ex (Salian.) vi divina factum illud, nec censenda ea vis ligni, ut tantam aquam in dulcedinem verteret.

Coturnicum aucupium.

Obtenta statione in deserto Sin Exod. 16. v. 2. *Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron in solitudine v. 3. dixeruntque filii Israel ad eos: utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate.* Ultra murmur processisse vulgus meminit Josephus, lapidésque contra illum inten-

ten-

tentâsse. Dominus tamen contra ingratos, non lapidibus usus, sed beneficiis. v. 13. *Factum est ergò vespere, & ascendens coturnix cooperuit castra* Putant aliqui harum coturnicum quolibet vespere fuisse aucupium, sed probabilius, quod illo primo vespere ita abundè hoc aucupium factum, ut per aliquot dies, vel mensem vespertino esui suffecerint. Matutinus verò cibus, qui postea etiam factus vespertinus fuit Manna, quod instar roris, primo diluculo decidebat in similitudinem pruinæ; non depluebat intra castrorum vicos, sed in circuitu castrorum cadebat, tantâ copiâ, ut operiret terram: minutum quiddam erat manna, instar granorum coriandri, color albus, sapor quasi similæ cum melle, antequam coqueretur; post coctionem saporis erat quasi panis oleati. Manna dictum exindè, quod Israelitæ experrefacti, dum illud primo viderunt, dicebant: Man, sive Manhu, id est: quid est hoc? collectum frangebatur molâ, vel in mortario contundebatur, postea poterat & coqui, & assari instar placentorum, poterat etiam statim neque coctum, neque fractum comedi. Immò Bellarminus putat, quod manna etiam vescebantur jumenta, sicut aquam è petra miraculô eductam bibebant. Præceptum erat, ut colligeretur in singula capita mensura Gomor, Cornelius putat hanc mensuram continuisse quatuor libras, & quantumvis multum aliquis colligeret, non plus domi reperit, nisi totidem Gomor, quot capita erant. 2. ut nihil mannæ in sequentem diem servaretur, aliàs inconsultè providis, vermibus scatebat, feriâ tamen sexta & colligebatur & coquebatur etiam pro sequente die Sabbati. Habebat insuper manna alium cibum advententium, quo enim quis cibô uti vellet, ejus saporem in manna reperiebat. Quæritur hic, solísne bonis illa gratia, an omnibus indiscriminatim præstabatur, ut extraordinarium Mannæ saporem (qui solus, non substantia mannæ mutabatur) sentirent? priorem sententiam tenet D. Augustinus. Hieronym. Greg. Mag. alliciebantur enim hoc pactô mali, ne tanta delectatione ex sapore extraordinario privarentur.

Manna. Ex. 16.

Mansionem undecimam populus in Raphidim pera gens magna siti cruciabatur, & pro more murmurabat, quapropter Moyses recurrit ad Dominum, à quo remittitur cum Senioribus ad petram Horeb; de ista petra censetur fluxisse aqua in Raphidim, Hebræi insuper volunt, illam aquam de Petra fuisse secutam castra, quocunque verterentur. Percussit igitur juxta mandatum Domini Petram, & fluxit die illa aqua.

Aqua de Petra. Exod. 17.

Agro-

Moyse elevante manus vincit Israel Amalecitas. Exod. 17.

Agrorum suorum devastationem per Israelitas metuentes Amalecitæ bellum contra eosdem moverunt, contra quos, jussu Moysis, Josue, sive Jesus elegit juniores ad bellandum, Moyses interim tempore pugnæ manus elevabat ad Dominum, auxilium à DEo desuper tracturus. Alii existimant, eum elevâsse manus in modum crucis, alii in elevatis manibus tenuisse virgam, uti Cajetanus, S. Augustinus sermone 39. de temp. Insignis itaque de Amalecitis obtenta victoria odio illos persequente DEo propter scelera illorum, spolia non contemnenda ex hoste obtigêre victoribus. In gratiarum actionem ædificavit Moyses altare, vocavítque nomen ejus *Dominus exaltatio mea*, sive divinum refugium. Ita ad Dominum elevavit manus Moyses, à Domino simul exaltatus, virtutem omnipotentis dextræ expertus est. P. Salianus.

Caput tertium.

De actis in Monte Sinai, Præceptis datis Populo, de Sanctuarii Supellectili, Ornatu Pontificis.

26. DUodecima populi mansio, illáque nobilissima propter res gestas fuit ad montem Sinai, unus mensis cum medio exierat ab exitu de Ægypto. Moyses vocatus à Domino ascendit in montem, tanquam interpres fœderis, populo assignati certi ad montem termini, ultra quos non progrederetur. Dominus à longè ostendit se populo in igne ex monte prorumpente, non tamen consumente montem. Quadraginta illis diebus, quibus commorabatur in montis caligine Moyses, jejunus permansit, diviniori conversationis cum Domino cibo sanitatus. Audivit populus vocem, intonantis Angeli, præcepta decalagi promulgantem, cui respondit populus Exod. 19. v. 8. *Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus.*

Moyses in monte Sinai Exod. 19.

Post hæc jussit Dominus confici sibi Sanctuarium (quo nomine Tabernaculum, Arca, omnísque supellex sacra intelligitur) quod instar esset templi cujusdam mobilis, in quo ipse specialiter habitaret, & quod cum populo circumferri posset. Et verò necessè erat, ut ille populus, non solùm interno cultu Dominum, cujus majestatem cum terrore agnoverat, sed etiam exter-

Sanctuarium conficitur. sumptum pro illo vide infra.

externo coleret, utpote anima & corpore conſtitutus.

Ad conſtitutionem Sanctuarii jubente Domino poſtulatum à populo, ut ex ſupellectili Ægyptiis, Amalecitisque accepta, contribueret, quod tanta alacritate & liberalitate præſtitit, ut præconis voce à contribuendo arceri debuerit. Exod. 36. 6. *Juſſit ergo Moyſes præconis voce cantari, nec vir, nec mulier ultra offerat in opere Sanctuarii. Sicque ceſſatum eſt à muneribus offerendis.* Felicitatis nimirum locô Iſraelitæ ſibi ducebant, quod ab illis DEus ipſe ad cultum ſuum accipere munera dignaretur.

Arca conſtrui præcipitur. Exod. 25.

Constructa igitur arca fœderis ex lignis Setim, quam cedri ſpeciem eſſe volunt duriſſimam longitudo ejus duorum cubitorum, & ſemis, latitudo cubiti cum dimidio ſive pedum duorum cum quadrante, altitudo par latitudini. Propitiatorium pars arcæ non erat, ſed eminebat ſupra arcam elatum manibus Cherubinorum aureorum, confectum fuit ex auro ſolido, ejusdémque erat cum arca longitudinis, & latitudinis, vectes, quibus arca ferebatur, erant aureis obvoluti bractæis, circulique, quibus immittebantur vectes, erant aurei. Notandum occaſione Cherubinorum: laudabile eſſe imagines, cruces, in Eccleſiis exponi. Moyſes Idolorum hoſtis juratus, duos Cherubin aureos Religionis radices fieri, idque juſſu divino, eosque in ſanctioribus tabernaculi abditis collocari fecit Exod. 25. v. 18. *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte oraculi.* Idem Moyſes, idque itidem juſſu divino Num. 21. v. 9. *Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum:* &c. Chriſtus imaginem cæſaris non comburi, non eradi curavit, ſed volens nos mentis oculos conjicere in rem per imaginem ſignificatam, dixit reddenda eſſe, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Tantum eſt diſcrimen inter idolum, & imaginem, quantum inter veram & falſam monetam. Sciunt perbellè Catholici, imagines eſſe lignum, aurum, argentum, lapides, picturam figuris expreſſam; ſed animus eorum altius tranſcendit & pia meditatione ineſcatus, omnem honorem defert prototypo, ſeu veræ rei per imaginem ſignificatæ. Expreſſit id Tridentinum ſeſſ. 25. dum de honore imaginum ait: *Non quod credatur ineſſe aliqua in eis Divinitas, vel virtus, propter quam ſunt colendæ, vel quod ab ipſis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia ſit in imaginibus figenda, velut olim fiebat à gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant: ſed quoniam honos, qui illis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant: &c.* Quod autem ſcriptura prohibet facere ſculptile, per ſculptile intelligendum Idolum

lum. Septuaginta enim Exod. 20. v. 4. *Sculptile* reddunt *Idolum.* Porrò Idolum juxta communem ſignificationem accipiendo eſt ſimulacrum falſi Dei, vel ficti, ſive DEus ille ſit, res aliqua vera & exiſtens, ſive non. Plura vide in controv. P. Baile & apud P. Cornel. à lap. in Deut. 5. v. 8. non tamen quodlibet ſimulacrum eſt idolum, ſed ſolum ſimulacrum falſi Dei, ut notat idem P. Cornel. in 1. Cor. 8. v. 4.

Menſa panum Propoſitionum. Exod. 25.

Menſa panum Propoſitionis, qui proponebantur Domino, erat de lignis Setim, undique veſtita erat laminis aureis, ſicut & arca ab extra & ab intra, ita, ut nihil omnino ligni appareret, longitudo ejus duorum cubitorum, latitudo unius, altitudo itidem unius cubiti, & ſemis fuerat, circuli ejus, quibus vectes immittebantur, erant aurei. In illa menſa ponebantur panes duodecim à duodecim Tribubus, bino ordine, unus panis erat decem, aut, ut aliis placet, tredecim & dimidium librarum. Menſa hæc ſtatuebatur à parte ſeptentrionali; ex parte verò meridionali candelabrum aureum 125. librarum auri.

Altare Thymiamatis. Exod. 30.

Altare Thymiamatis erat inter menſam & candelabrum, erat auro obductum, longitudinis habebat cubitum, ſimiliter latitudinis, altitudinis duos, erat ex lignis Setim, ſuprà erat craticula, in quam prunæ immittebantur, illis thymiama.

Altare holocauſtorum. Exod. 27.

Altare holocauſtorum erat ex lignis Setim constructum, undique veſtiebantur ligna ære, tribus cubitis aſſurgebat è terra, extendebatur in longum & latum per quinos cubitos. Erat hoc altare inſtar fornacis quadratæ, bipertito per æneum rete diviſæ, cujus pars ſuperior ignem, intra ſuam cavitatem ligna, victimasque exurendas acciperet, inferior pars vacua erat, ut exciperet cineres defluentes.

Labrum æneum. Exod 30. 19.

Labrum æneum, quod Hebræi concham, Græci Lutherem vocant, erat factum ex ſpeculis æneis mulierum; quæ vanitati remiſſô nuntiô cultui Dei ſeſe addicebant, & inſtrumenta, quibus mundo ſerviebant, DEo conſecrabant in hoc labro lavabant pedes ſacerdotes. Salian.

Tabernaculum. Exod 26. Exod. 36. 18. 19.

Tabernaculi partes erant geminæ, una mollior ex cortinis, ſeu velis, & pellibus, quæ propriè tabernaculum efficiebant, altera ſolidior ex lignis Setim. Tabernaculum, quod erat ex ligneis aſſeribus, tectum erat intus laminis aureis, alii putant etiam exterius tectum fuiſſe.

Atrium. Exod. 27.

Atrii capacitas fuit in longum 100. cubitorum, in latum 50. in medio ejus ſtabat tabernaculum; claudebatur totum hoc atrium velô byſſinô, quod colum

lumnis 60. sustinebatur. S. Hier. eas columnas atrii æreas fuisse dicit, tectas laminis argenteis, capitella eorum argentea, bases æneæ, non tamen ex solido ære illæ columnæ fusæ fuêre, ut gestationi consuleretur. P. Salian.

Ornatus Pontificis. Eoxd. 28.

Aaron cum filiis suis vocatus erat ad sacerdotium per hæc verba Exod. 28. v. 1. *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi.* Utebatur autem ornatu tali Pontifex Aaron.

Ephod. Exod. 25. 7.

Ephod erat superhumerale, ut vocat S. Hieronymus, materia ejus erat ex auro, hyacintho, purpura, & jungebatur pars ejus posterior cum priori in humeris, vittis varii coloris, quibus intexti erant lapides pretiosi;

Rationale. Exod. 28.

Alterum Ephodis ornamentum fuit *Rationale*, Græcè logion, hebraice Hosen, sive Essen, ut habet Josephus, id est Pectorale, additur *judicii*, sive quod Pontifex jure dicendo illo uteretur, sive, quod ab illo sic induto judicium de divina voluntate ferri poterat. Materia ejus fuerat eadem, quæ Ephodis. De forma illius dicitur (Exod. 28. 16.) *Quadrangulum erit, & duplex: mensuram palmi habebit tam in longitudine, quam in latitudine.* Ornamentum illius erat duodecim lapides varii pretiosi, referentes nomina filiorum Jacob. Aureum ornamentum illius erat in catenulis aureis.

Ad usum Rationalis pertinent decantata illa Urim & Tummim. Multi interpretes putabant hoc nihil amplius esse, nisi illos lapides, sed existimandum potius cum Augustino, istas voces fuisse expressas in Rationali, an metallo aliquo: quæ voces significabant: Doctrina & veritas (de quo Exod. 28. 30. *Pones autem in Rationali judicii doctrinam & veritatem*) vel ut alii illuminationes & Perfectiones. Fuit autem Rationalis usus ad futura divinitus præcognoscenda, illo enim & Ephode indutus Pontifex revelationes habebat, non semper tamen, sed absque illo non. Corn. à lap. in Exod. cap. 28. v. 30. mihi, ait, verisimilius videtur, hæc duo nomina Urim & Tummim, id est, doctrina & veritas inscripta fuisse rationali, ita, ut, cùm scriptura dicit: *pones in rationali doctrinam & veritatem*, sensus sit: inscribes in rationali duo hæc nomina, doctrina & veritas, sicut tiaræ Pontificum inscripta fuerunt duo verba *Sanctitas Domino.* Moralem causam adfert Cornel. hujus scripturæ, ut sacerdos gestans Urim & Tummim, id est, illuminationem sive doctrinam & veritatem, atque perfectionem, admoneretur sui officii, videlicet, eum debere habere 1. *Urim*, id est, illuminationem, & do-

Tropologicè.

ctri-

ctrinam tum studiô tum magis pietate & oratione acquisitam. Rursum *Urim* id est inflammationem & Zelum, Urim enim hebraicè & lucem & ignem lucentem significat. 2. Eum debere habere Tummim, id est, veritatem tum in corde, tum in ore, tum maximè in vita, puta integritatem & perfectionem vitæ.

TunicaPontificia Exod 28. 31.

Tunica summi Pontificis erat hyacinthina, quam alii pallium alii interulam, quod sub Ephodem induebatur, dicunt. Materia illius fuerat Hyacinthus, sive sericum hyacinthinum, aut lana violacei coloris, qui color cæruleus quoque dicitur, extendebatur ad mediam ferè tibiam, interiorémque tunicam longiorem non tegebat, comparatione Ephod, longa erat, quod vix ultra zonam descendebat. Celebratur hæc tunica sapientiæ 18. v. 24. *In veste enim podêris, quam habebat, totus erat orbis terrarum.* Respondebat hæc vestis Albæ, sicut Ephod casulæ. Habebat hæc vestis tintinnabula & malogranata, de quibus Exod. 28. 33. *Deorsum verò, ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum, quasi mala punica facies, ex hyacintho & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintiñabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum, & malum punicum, rursumque tintinnabulum aliud aureum v. 34 & malum punicum.* D. Hieron. ex Hebræorum traditione ait, fuisse 72. tintinnabula, totidemque malogranata.

Tiara Pontificia. Exod 25.

Tiara Pontificia appellatur quoque mitra, Cidans, (Salian.) galerus, pileus sacerdotalis (& sacerdotes enim simili utebantur, sicut Pontifex excepta lamina aurea) materia Tiaræ byssina fuit sive linea; isti pileo imponebat Pontifex laminam auream, in qua sculptum erat opere cœlatoris *Sanctum Domino* Exod. 28. 36. coronam quoque appellat sapiens, quod majorem capitis partem tegeret.

Consecratio Aaronis. Exod. 29.

Consecratio Aaronis & filiorum ejus per Moysen, jussu Domini peragebatur hoc ritu. 1. Lavati aqua ad ostium tabernaculi. 2. Induti suis quisque vestibus. 3. Fundebatur oleum in caput Pontificis. 4. Consecrabantur, seu, ut loquuntur Hebræi, implebantur manus eorum, id est, dabantur illis in manus, quæ offerrent Domino, puta, dabatur vitulus cum certis cæremoniis immolandus, duo arietes partim in holocaustum, partim in hostiam pacificam, & in ea oblatione maximè posita erat Sacerdotis consecratio. 5. Offerebant vitulum expiationis septem diebus, comedebantque azimos panes cum carnibus hostiæ pacificæ. Facta deinde consecratio altaris per unctionem & immolationem duorum agnorum septiduo &c.

Sacerdotum & Pontificis consecratio.

Voluit quoque Dominus, ut,

 post-

Vectigales Domino. Judæi. Exod. 30.

postquam Hebræi ad certam ætatem pervenerint, fierent Domino vectigales, ut hoc modo congregarentur in thessauros Domûs Domini pecuniæ, in victum, vestitúmque Levitarum, & alios publicos usus. Exod. 30. 12. *Quando tuleris summam filiorum Israel, juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti.*

27. Vitulus aureus. Exod. 32.

Dum 40. diebus in colloquio Domini moraretur Moyses, Israelitæ putantes, ut vult Tostatus, illum non reversurum, simulque à tam formidabili DEo sibi metuentes, mitiorem aliquem, qualem paulo antè coluerant (Salian.) in Ægypto affectantes, dixerunt Aaroni Exod. 32. v. 1. *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Restitit huic petitioni Aaron, sed urgente populo, dilationemque recusante, cedit furori populi: undè S. Augustin. Aaron erranti populo, ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus. Voluit disturbare opus, jussitque populum conferre inaures uxorum, filiarum, ratus, retinente illos parsimonia id non facturos, sed vicit expectationem obstinata improbitas, confertur aurum, fornax & typus ex argilosa terra conficiuntur, liquefactum aurum in typum infunditur, postridiè refrigeratô metallô apparuit vitulus; fuitne integer vitulus, an caput solum, controvertunt authores, probabiliùs tamen integrum fuisse, cùm scriptura perpetuo vitulum vocet. Velociter expolitus iste vitulus, urgente hominés malo dæmone, ut ad suam properarent perniciem. Non rarò etenim excæcati malitia mortales properant, ut pereant.

Confluit ludibunda plebs inquiens Exod. 32. 4. *Hi sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Adeò desipuit licentiosa hominum malignitas, cujus Deus venter erat, ut vitulum numen sibi statuent, belluinos mores respiciens, à Deo duce aversa. Quod cum vidisset Aaron, ædificavit (aut ædificari permisit altare) coram vitulo, solennitatemque ejus indixit pro sequenti die, qui quadragesimus fuit à discessu Moysis, & qui reducem illum, cum Josue reddidit suis. Peccavit graviter metu licèt coactus Aaron, dum consensit tanto sceleri. Humanus respectus & metus timori divino cedere debuerunt.

Respectus humani perniciosi.

Populus manè surgens adoravit vitulum, choreas duxit, profanas cantilenas cantavit. Revelavit id Dominus Moysi v. 7. *Vade, descende, peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti.* Ingemuit mitissimus Moyses, misericordiam Domini imploravit, qui precibus ejus resistens, di-

dicebat: v. 9. *Cerno, quòd populus iste duræ cervicis sit v. 10. dimitte me* (jam enim Dominum intensius orare cæperat) *ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.* Id est, ut ipsemet Deutronomii 9. v. 14. exponit; *constituam te super gentem, quæ hac major & fortior sit.* Nihil ominus instat Moyses, Exod. 32. 14. *Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.* Neque tamen Moyses videtur tunc agnovisse Dominum placatum, non enim ad DEum mox reversus diceret. v. 31. *aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Hic specialis DEi bonitas, Moysis, erga malitiosum licèt populum amor, orationisque efficacia enituere.

Moysis amor erga populum

Dum de monte tacitus, & curarum plenus egreditur Moyses; Josue, quem ex itinere socium resumpserat, de militia militaris homo cogitans Exod. 32. v: 17. dixit ad Moysen: *Ululatus pugnæ auditur in castris v. 18. qui respondit: non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam; sed vocem cantantium ego audio. v. 19. cúmque appropinquasset ad castra, vidit vitulum & choros, iratusque valde, projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis. v. 20. arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, & contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel.* Confractione tabularum, injuriam, in divinam Majestatem, solenni hoc ritu contestatus Moyses, saxea fortè corda duræ cervicis populi, in contritionem redigere, & ad pœnitentiam flectere satagendo. Aquas pulvere aureo conspersas inflationem reis & languorem intulisse, innocentibus verò fuisse innoxias, volunt Lyranus, Abulensis, aut certè, ut ait Rupertus l. 4. in Exod. c. 27. potantes illas aquas, aureis labiis prominebant, quibus innotescebant percussoribus & cædebantur, quasi quibus adhæserat cordi vitulus, eundem ad mortem confiterentur ore, sed haud pretiosa mors fuit, ad quam scelerata vita deduxit. Objurgavit deinde Aaraonem Moyses, qui humiliter culpam suam confessus, dicitur ab Abulense etiam bibisse aquam illam, conspersam aureo pulvere, sed illi nihil nocuit, ne, qui summo Pontificatui destinatus erat, perpetuæ hujus criminis ignominiæ subjaceret, voluitque illum Dominus sola objurgatione fratris & privato animi dolore castigare.

Tabulæ legis confractæ.

Sequitur animadversio in reos, qui vel dignôscebantur ex carentia inaurium (viri enim boni nihil contribuebant) vel ex aquis aurato pulvere conspersis. Moyses itaque v. 26. *stans in porta castrorum ait: si quis est Domini, jun-*

Pœnæ Idololatrarum, qui vitulum adorarunt. Exod. 32.

gatur

gatur mihi. Levitarum animos, quos sibi jam Dominus in servitium destinarat, accendit, jussitque eos Dominus arma corripere, per medium castrorum ire, obvium quemque peccatorem occidere, non habito consanguinitatis &c. respectu. Nec audebant se defendere nocentes, cæsa sunt illa die viginti tria millia hominum. Quo facto à Moyse audiverunt Levitæ. v. 29. *consecrastis manus vestras hodie Domino.* 40.mo die facta hæc tragœdia, altero die alloquitur Moyses populum, arguit, redit in montem ad placandum Dominum. v. 30. *Peccastis peccatum maximum, ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro.* Reversúsque adDominum, dixit illa verba v. 31. *Aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo &c.* Hæc tamen locutio hyperbolica (Salian.) est index immensi desiderii, non tamen, quod absolutè hoc vellet, sed similis illi locutioni Davidis 1. Reg. 20. v. 8. *Si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad Patrem tuum non introducas me*, quasi diceret juxta Augustinum: aut deleturus es me de libro tuo, aut populo isti parciturus, at non delebis me de libro, ergo populo isti remittis.

Placatus Dominus precibus Moysis promittit illi suam providentiam. Exod. 33. v. 14. *Facies mea precedet te, & requiem dabo tibi.* Spopondit DEus se affuturum populo suo, signa, quæ nunquam visa sunt, facturum. Exod. 34. v. 10.

Annus sabbaticus Levit. 25. 4.

Eo die, quo lex promulgata institutus annus Sabbaticus, is autem erat septimus, in hoc anno non licuit ullo modo terram scrindere, seminare, sed si quæ ultrò protulit, non dominis sed pauperibus cedebat, similiter de vineis, olivetis dicendum. Horti tamen intra septa erant exempti. Personæ quoque hebrææ, quæ servitute acquisitæ erant, septimo annô liberæ evadebant, numerabatur verò annus septimus, non ab incepta servitute, seu emptione servi, sed constans erat, atque immutabilis, alienigenæ nihilominus jam perpetuò servi erant. Hoc anno sabbatico etiam mutuò data remittebantur, solis tamen Hebræis. Commodatæ verò res, furto sublatæ, restitutioni perpetuæ obnoxiæ erant. Monuit tamen legislator ditiores, ne tardiores essent ad dandum mutuum appropinquante anno Sabbatico.

Annus Jubilæi. Levit. 25. 10.

Annus Jubilæi 50mus erat. Levit. 25. 10. *Sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ, ipse est enim Jubilæus.* Hujus anni primum erat privilegium, ut ille, qui vendidit agrum, etiamsi apud alterum possessorem esset, illum

illum annô Jubilæi absque pretio reciperet, si enim ante annum Jubilæi volebat recipere, debebat pretium solvere, computatis fructibûs; hæc lex in favorem pauperum lata. Circa domos verò jus erat, ut, si quis vendidit domum, posset eam redimere intra annum, si non redemit, nec in Jubilæo poterat redimere. Servi quoque Hebræi anno Jubilæi liberi fiebant absolutè etiam cum liberis, anno enim Sabbatico etsi liberi fiebant, soli tamen, 50mô verò anno etiam cum uxore & liberis. Concessi autem isti anni Jubilæi, ut sciretur, de qua tribu Christus esset nasciturus, nisi enim ad pristinos Dominos possessiones rediissent, tribuum & familiarum possessiones confusæ fuissent.

28. Post 40. dies, jam 3tiâ vice in colloquio Domini completos, rediit Moyses cum tabulis novis, in quibus Decalogus angelico ministerio descriptus fuerat. Exod. 34. 29. *Cùmque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, & ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Fulgurantem scilicet (Salian) retulit faciem, & interiores lucis radios quasi cornua, ex utroque frontis angulo emittentem: perpetuò habuit talem faciem, ut eum revereretur populus, ne diceret, si mutaretur hæc facies, jam Moysen non esse gratum Deo, velabat autem faciem, cùm ad populum dicebat. Hinc advertimus, quod oratio, ac frequens cum Deo conversatio ità illuminet homines, ut istius lucis radii pertingant etiam ad alios, authoritatémque concilient.

Moysis Cornuta facies Exod. 34.

Sanctuarii sumptus.

Congregavit deinde Moyses populum, voluntatem Dei de construendo sanctuario exposuit, populus liberalissimè liberalitatem nefandam in vitulum deleturus contulit materiam pretiosam usque ad inaures, armillas & annulos, eóque processerat hæc liberalitas, ut Moyses præconis voce populum monere deberet satis jam esse. Exod. 38. 24. *Omne aurum, quod expensum est in opere sanctuarii, & quod oblatum est in Donariis, 29. talentorum fuit, & septingentorum triginta siclorum - - - v. 26. fuerunt praeterea 100. talenta argenti - - - v. 29. Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, & quadringenti supra sicli.*

Jethró venit ad Moysen. Exod. 18.

Post promulgationem legis venit ad Moysen Socer Jethro, simúlque Sephoram, & filios Moysis secum adduxit, confirmatus in vera fide, non fuit tamen proselytus Judæorum, neque circumcisus, ideóque neque ad Mosaicæ legis observationem tenebatur, & poterat sine

sine illa in fide veri Dei, & venturi Messiæ salvus esse (Salian) quod ritu Judaico sacrificavit, per hoc veri se Dei cultorem ostendit.

Moyses Judices constituit Exod. 18.

Postridiè adventûs Jethro Exod. 18. 13. *Sedit Moyses, ut judicaret populum, qui assidebat Moysi à mane usque ad vesperam.* Monuit Jethro Moysen, ne se tanto labore conficeret, sed Judices constitueret v. 21. *Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex illis tribunos & centuriones, & quinquagenarios, & Decanos, v. 22. qui judicent populum omni tempore.* refert id Moyses ad populum, illóque probante, eligit simul cum populo ex tribubus Judices. Probabile est, quòd Jethro maneret apud Moysen, donec is cum populo, aliò se, jussu Dei conferret.

Jobi Mors.

Hoc anno sapientissimus, patientissimus, sanctissimus Job obiit, probabilius ætatis anno 217. Patriarcha erat populi, Deum extra Israelitas colentis, omnibus virtutibns ornatissimus, tanquam Princeps, Patriarcha, Propheta, Martyr, Sacerdos. Prophetam fuisse constat ex illa Prophetia de resurrectione. Chrysostomus eum Sexcentis martyribus æquat, fuit velut quidam gentium Apostolus, sacerdotium ejus probant sacrificia pro filiis oblata.

Annus Mundi 2545. Aaronis Pontificatûs primus, quo incepit Aaron suum ministerium, sacrificia quædam obtulit, quæ cœlesti igne consumpta, fuit hic dies Aaroni honorificentissimus, funestatus tamen cœde filiorum ejus Nadab, & Abiu, causa fuit, quòd ipsi usi fuerunt ad sacrificium igne profano, non illô, qui de cælo descenderat. Cornelius ait: illos viso igne cælitùs in altare delapso non fuisse ausos ad altare accedere, ut indè ignem acciperent, sed aliundè raptim accepisse. Modica videbatur culpa, tamen capitali pœnâ punita. Voluit DEus ostendere, quantæ curæ sibi sit, ut, quæ ad sacrum pertinent cultum, ritè, religioséque obeantur. Voluit deinde exemplo tam tristi à principio timorem duræ cervicis populo incutere, sepulti extra castra, nemo enim in illis sepeliebatur.

Num. 3. 4. Levit. 10. 1. Sacra indebitè tractantes puniti.

Proximè post mortem filiorum Aaron instituta solennitas, sive sacrificium expiationis; fuit autem hæc solennitas expiatationis, non peculiaris alicujus peccati, sed omnium populi totius. Levit. 16. 16. *Et expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel, & à prævaricationibus eorum, cunctísque peccatis.*

Levit. 16. Expiationis Sacrificium.

Sub hoc primi mensis tempus, blasphemus jussu Domini extra castra eductus, dum illius capiti

capiti imposuissent manus, qui audierant, lapidatus est. Levit. 24. 14.

Num. 1:

Eodem annô census populi institutus, in quo tribus levi omissa, quia in rebus merè temporalibus, qualis est distributio possessionum, militiæ onera & similia, Tribus levitarum à reliquis tribubus eximebatur. Num. 1. 49. *Tribum levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israel. v. 50. sed constitue eos super tabernaculum testimonii, & cuncta vasa ejus, & quidquid ad ceremonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum, & omnia utensilia ejus, & erunt in ministerio, & per gyrum tabernaculi metabuntur.*

Levitarum officium.

Ex Saliano.

Caput quartum.

De *Discessu* Moysis, & populi à monte Sinai, De seditione *Core, & pœna,* de aqua contradictionis, Aaronis *Obitu.*

29. TAndem à monte Sinai, clangentibus tubis, arcâ & columnâ nubis præcedentibus, digreditur cum Exercitu Moyses; continuîs tribûs diebûs, non tamen sine solita singulis diebus requie, procedebant castra, nonnulli tamen præ tœdio laboris murmuraverunt, sed tepidi igne accensi. Num. 11. 1. *Quod cùm audisset Dominns, iratus est, & accensus in eos ignis Domini devoravit extremam castrorum partem.* Eos scilicet (Salian) qui è singulis tribubus residui subsistebant: Grassante incendio clamavit populus ad Moysen, Moyses ad Dominum, sic compescuit murmur calamitas, ad orationémque compulit refractarios. v. 2. *Oravit Moyses ad Dominum, & absorptus est ignis, vocavítque nomen loci illius incensio.* Vix castra posita, vix deferbuerat ignis, cùm turbulenti populi fervor concupiscentiæ exarsit, *flagravit desiderio.* v. 4. ad consueta obtrectationis arma conversi. Querelæ initium à promiscuo Ægyptiorum vulgo, quod cum Israelitis de Ægypto ascenderat, quod flagravit desiderio carnium; mox malum serpere cœpit in plebe, dixerúntque: quis dabit nobis

Ignavos ignis devorat. Num. 11. 1.

Tepidorum pœna.

ad vescendum carnes v. 4. *Iratúsque est furor Domini valdè, sed & Moysi intoleranda res visa est. v. 10.* quare dicebat. v. 14. *non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi.* Ingratos licèt refecit Dominus, dedit in magna copia coturnices. Non boves, oves, ut advertit P. Salianus, quos potentiores sibi contentiosè raperent, & fraudarent tenuiores, sed aves, quas sibi quisque facili negotio venaretur. Non tantùm coturnicibus abundabant illi, qui murmurabant, sed etiam homines boni, ídque sine peccato eis vescebantur. Immò Abulensis censet, neque illos murmuratores peccâsse comedendo, sed antecedenter desiderando, cùm nulla circa esum divina intercessit prohibitio, nec obest, quod dicatur. v. 33. *adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus, & ecce furor Domini incitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.* Non enim præsens culpa, sed præterita puniebatur. Hinc meminerint mortales, dum se in præsenti innoxios esse arbitrantur præteritorum, præsenti pœnâ in præteritam noxam recidente puniri. Probabiliter (Salian) quòd crapulâ perierint, pœnâ scilicet gulæ proportionata. Hæc mansio fuit in loco, ab eventu vocato *sepulchra concupiscentiæ. v. 34.*

Gulæ pœna.

Præteritum peccatum punitum.

Sepulcha concupiscentiæ Num. 11.

Ibidem contigit. v. 27. *Cucurrit puer, & nuntiavit Moysi dicens: Eldad, & Medad prophetant in castris v. 28. statim Josue - - - ait: Domine mi Moyses prohibe eos v. 29. At ille: quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* Insignis hic Moysis, non modò non invidentis, sed optima malitioso, licèt populo optantis, eluxit charitas, spiritu Dei se abundare ostendit, qui eundem in alios etiam effundi desideravit.

Insignis non invidentis charitas.

15ta populi mansio posita in Rethma, sed luctuosissima ubi à Deo, 603550. hominum immatura morte damnati. Hinc Exploratores in terram promissionis missi, quorum Josue & Caleb præcipui, hi explorârunt terram, fructus ex illa attulerunt: *Absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri.* Num. 13. 24. reversi, inquam, post 40. dies, omni regione circuita. v. 33. *Detraxeruntque terræ* (Josue & Caleb exceptis) *quam inspexerant, apud filios Israel, dicentes: Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos, populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est.* Devorat habitatores (Salian) id est, laboriosissime Exercetur & colitur. Ad malè legatorum narrata murmur ortum in populo, primò contra Moysen, deindè contra

Exploratores in terram promissionis. Num. 13.

tra Aaronem. Ploratus tota nocte, fremitus deinde tantus populi consurgit, ut Moyses & Aaron metu lapidationis, ne hiscere audeant, sed se se in terram coram omni multitudine prosternunt, vel ad turbulentos sedandos, vel ad numen ipsis infimis precibus placandum. Pessimam conditionem suam esse existimârunt seditiosi, dicebant Num. 14. 3. *Nonnè meliùs est reverti in Ægyptum, dixerúntque alter ad alterum: constituamus nobis Ducem, & revertamur in Ægyptum.* Josue deindè & Caleb legationis Sociis benè monentibus lapides intentant, & obruissent innoxios, nisi apparens gloria Domini nefarium intentum dissipasset. v. 10. *Apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israel.* Eam gloriam interpretatur Abulensis, insolitum in columna nubis fulgorem, aut aliqua signa formidulosa. Dixit deindè Dominus audiente plurima multitudine v. 11. *usquequo detrahet mihi populus iste? quousque non credent mihi, in omnibus signis, quæ feci coram eis? feriam igitur eos pestilentia atque consumam.* Oravit deinde Moyses pro populo ferventissimè, donec Dominus dixerit. v. 20. *dimisi juxta verbum tuum*, id est, non delebo universos pestilentia, punivit tamen Dominus nocentiores.

Num. 14.

Seditio populi & pœna. Num. 14.

Secutum divinum decretum nocentes v. 29. *Omnes, qui numerati estis à 20. annis, & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis terram - - - v. 31. parvulos autem vestros, de quibus dixistis, quòd prædæ hostibus forent, introducam, ut videant terram, quæ vobis displicuit v. 36. Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam terram, & qui reversi murmurare fecerunt contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ, quòd esset mala, mortui sunt, atque percussi in conspectu Domini.* Subitam hæc verba mortem significant. Philo ait, 10. Exploratores consumptos esse pestilentia. Rabbi Salomon ait, linguas eorum fluxisse veneno (proportionata sanè esset pœna turbulento verborum profluvio, linguæ fluxus) inflatísque subitam mortem attulisse. Cajetanus divino igne suspicatur coram tabernaculo Domini fuisse consumptos.

Sicut antea ignaviâ, ità deindè stultâ audaciâ peccârunt multi Israelitæ, arbitrati sive propitio sive non propitio Dominô, in Chanaanitidem se posse irrumpere, adierunt Moysen, illóque reluctante, ac in castris cum arca manente, contra Amalecitas & Chananæos progressi, ab illis fusi, multi ciciderunt.

Num. 14. Audaces in consultò Deo, profligantur.

Ann. Mund. 2546. Contigit in Remmomphares, mansione 16tâ jussu Domini, qui specia-

Festum violans lapidatur. Num. 15.

liter à Moyse, reputante levem culpam esse, consulebatur, pœna lapidationis illius, qui Sabbato ligna colligebat. Quam diversum hominum, Deique, levem ad speciem culpam, morte plectens judicium, quod festorum violatores alta mente reponant.

30. *Ann. Mund.* 2547. Seditio contra Moysen & Aaron exarsit, suscitante Core, hic tres viros, Dathan, & Abiron fratres, & Hon allexit & alios 250. viros, qui thuribula ænea sibi compararunt. Rubenitas præcipuè concitabat Core, ex tribu Ruben tanquam primogeniti Principem supra universum populum esse debere prætendens, non Moysen, qui fuit ex tribu Levitica, sufficere illi Sacerdotium; quin & Aaronem indignum Pontificatu dictitabat, qui in adoratione vituli Idololatriâ pollutus erat. Intendebat autem Core per depressum Aaronem Pontificatum acquirere, & Moysen, ne fratri auxilietur, de Summo Principatu dejicere. Hoc ingeniosa perversitas ad involvendos ruinæ innoxios rete nectebat, digito omnipotentis dexteræ aranearum instar rumpendum. Fuit autem Core fratruelis Moysis, & Aaronis, eò tamen inquietum Core pernitiosa abripuit ambitio, ut & cognatam rumperet necessitudinem, & velut per gradus, per depressa fratrum capita, ad mente conceptum honoris verticem ascendere niteretur.

Seditio Core & pœna. Num. 16.

Illos 250. viros fuisse Senatores existimat P. Salianus, nec dubitat, singulos magnam secum turbam clientum traxisse, profuit sanè hæc tumultuantium turba Core, ut graviori ruina caderet.

Insurgit itaque Core in Moysen, dicitque: Num. 16. v. 3. *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus, cur elevamini super populum Domini.* Hoc velô sanctitatis palliata perorabat impietas, nolens ullum agnoscere superiorem præter Deum. v. 4. *Quod cùm audiisset Moyses, cecidit pronus in faciem. v. 5. locutúsque ad Core, & ad omnem multitudinem: Mane, inquit, notum faciet Dominus, qui ad se pertineant, & Sanctos applicabit sibi: & quos elegerit, appropinquabunt ei v. 6. Hoc itaque facite, tollat unusquisque thuribula sua, tu Core, & omne Concilium tuum v. 7. & hausto cras igne ponite desuper thymiama coram Domino: & quemcunque elegerit, ipse erit sanctus: multùm erigimini filii Levi.*

Interim Moyses volens tumultum componere, in concordia efficienda laborabat; Core autem proxima nocte, ut ait Rabbi Salomon, cum suis conjuratis per castra discurrebat, satagens populum in suas partes

partes trahere, quod & confecit. Ità non raró factiosa capita, principe tenebrarum Duce, ac motore, nocte erroris laborant, ingentémque, cujus ambitiosa mente præconceperant Ideam, struunt machinam, eâdem mox obruendi.

Manè, ingenti stipatus multitudine, adfuit Core, apparuit quoque gloria Domini, nube insolito more rutilante, simul intonuit Sonora vox Domini, ad Moysen, & Aaronem. v. 21. *Separamini de medio Congregationis hujus, ut eos repentè disperdam. v. 22. qui ciciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum universæ Carnis, num uno peccante contra omnes ira tua desæviet?* Eorum precibus Dominus acquiescens dixit. v. 23. *Præcipe universo populo, ut separetur à tabernaculis Core, & Datan, & Abiron.* Separavit itáque se jussu Moysis populus, à quo didicerat seditiosos decedente terra perituros. v. 31. *Confestim igitur, ut cessavit loqui, disrupta est terra sub pedibus eorum. v. 32. & aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis, & universa substantia eorum. v. 33. descenderúntque vivi in infernum, operti humô, & perierunt de numero multitudinis.* Id est, (P. Salianus) vivi sepulti in terræ visceribus, ibíque obruti terrâ, extincti, vivi tamen ad Damnationis locum non pervenerunt, aliàs essent immortales, nec in die Judicii resurgerent. Alii verò 250. dum accepissent ex altari in thuribula ignem, erupit undique ignis ex altari, & combussit eos, existimantúrque funditùs consumpti, ità, ut ne cadavera permanerent. Thuribula autem in mortibus peccatorum sanctificata, in laminas producta, in reíque memoriam altari affixa.

Vix hesternum deferbuerat incendium, cùm iterum novum ortum est. v. 41. *Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen & Aaron dicens: vos interfecistis populum Domini;* arbitrabantur enim, ut ait Josephus, Deum in gratiam Moysis ista facere. Quid terribilius, quàm hesterna plaga, nihilominùs stultè contumax populus redit ad ingenium, rati fortassè, si Moysen, & Aaronem de medio tollerent, & interfectorum funera se ulturos, & deinceps Deum omnibus suis sceleribus conniventem habituros. Cùm ergò seditiosus tumultus magìs cresceret v. 43. *Moyses & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis* (vitæ suæ consulentes) *quod, postquàm ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini.* Nubes scilicet rutilans, ut antè, & vox audita v. 45. *Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos.* Dùm esset in tabernaculo

Sedjtio alia. Num. 16.

culo Moyses, divinitùs cognovit, populum eo ipso tempore Deo ulciscente perire, jussítque illicò fratrem sumere thuribulum cum igne & thure, & adire populum, quem populabatur ignis, & orare pro eo. Adiit ille festinus, sumpsit nihilominùs vestes Pontificias, tanta erat etiam externi cultus & observationis ritûs observantia v. 47. *quod cùm fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thimiama v. 48. & stans inter mortuos & viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.*

Inimicorum amor,

Quanto inimicorum amore ardebat Moyses, & Aaron, dum tunc, cùm contra illos iræ incendio æstuarent, pœnæque divinæ igne consumerentur, pro illis deprecabantur, & quantum Deo placuêre preces pro inimicis, eventus, dum cessavit plaga subitô, ostendit. v. 49. *fuerunt autem, qui percussi sunt, 14. millia hominum & septingenti, absque his, qui perierant in seditione Core.*

31.
Virga Aaron frondit Num. 17.

Novô deindè miraculô vult Deus suam Aaronis electionem confirmare, in eo, ut sine ulla perturbatione timoris divinam electionem inspiciant, & sequantur, nec querelis ultra in suam perniciem indulgeant. Res ipsa sic à Moyse traditur Num. 17. v. 2. *Loquere ad filios Israel, & accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, à cunctis Principibus tribuum virgas 12. & uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ v. 3. nomen autem Aaronis erit in tribu Levi, & una virga cunctas seorsum familias continebit v. 4. ponésque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, ubi loquar ad te v. 5. quem ex his elegero, germinabit virga ejus. v. 8. Sequenti Die regressus* (Moyses) *invenit germinâsse virgam Aaron in Domo Levi: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui, foliîs dilatatîs, in amygdalas deformati sunt,* & quidem maturas, ut ex Hebræo liquet, retulit deinde Moyses virgas in conspectum populi, agnovêre miraculum, eique acquievêre. Relata virga Aaron in oraculum, ubi perpetuò virens & ornata fronde, flore, fructúque permansit, si credimus Abulensi.

Aqua Contradictionis Num. 20.

Annô Mund. 2583. tandem aqua, quæ ex petra Horeb fluxit hactenùs, cessavit, quarè murmur contra Moysen & Aaron exoritur. Num. 20.3. *Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino*, scilicet sive in seditione exploratorum, sive cum Core, putabant etenim se acerbiore morte siti scilicet perituros. Orant igitur, nec frustra, Moyses & Aaron: apparuit in nube gloria Domini, terruit populum. v. 7. *locutúsque est Dominus ad Moysen dicens: tolle virgam, & Congrega populum, tu & Aaron*

Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Non dixit Dominus, percute petram, sed loquimini ad petram, quod fortè Moyses ex perturbatione animi non advertens, percussit v. 11. *virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ità ut populus biberet & jumenta.* Præmiserat percussioni Moyses Sermonem ad populum. v. 10. *Audite rebelles, & increduli, num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Apparet, ut advertit P. Salianus, geminum hic à Moyse commissum peccatum, Inobedientiæ & diffidentiæ. 1mô non alloquitur petram. 2. Dubitat, an datura sit aquas. Non tamen dubitavit de divina potentia, sed de ejus erga tam rebellem populum voluntate. Tunc dixit Dominus ad Moysen & Aaron. v. 12. *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Id brevi expletum in Aarone, post tertium enim mensem mortuus est. In Moyse nonnullâ indulgentiâ usus est Dominus, ut qui concessit illi terras trans Jordanem occupare, populo dividere, & reliquas ex præalto monte contemplari. Triste sanè in talibus, tantísque viris spectaculum, post tot divinos favores, in terra, igne, aquis facta prodigia, deliquisse, mortisque immaturæ pœnâ punitos fuisse. Afflixit hæc pœna magnoperè Moysem, sæpè Dominum præcibus compellavit, ut veniam impetraret, sed audivit: Deut. 3. v. 26. *Sufficit tibi, nequaquam ultra loquaris de hac re ad me.* Narravit hanc pœnam populo. Ibidem. *Iratus est Dominus mihi propter vos, nec exaudivit me.*

Aaronis obitus. Num. 20.

Jussu Domini ductus Aaron à Moyse in montem Hor, pontificaliter ornatus, cui valedixit populus, benedictionémque accepit, exuit eum Moyses veste pontificia, induítque eâ Eleazarum filium ejus primogenitum, quo facto, vitâ tandem privatur dispositione divina Aaron, anno 40mô egressionis, cùm esset annorum 123. Tristis accidit hæc utrique fratri tragœdia, qui erant amore, ac tam longa vivendi consuetudine conjuncti, adferebat nihilominùs solatium voluntas divina, dulcedine sua cunctas amaritudines condiens, futuráque ad sanctos aggregatio. Præcessit Aaronis obitus Moysis obitum 8. mensibus, subsecutus mortem ejus luctus 30. diebus. Ex P. Saliano.

Caput quintum.

De reliquo vitæ Moyſis. De ſerpentibus ignitis. De victoria de Sehon Rege, & Og. De Balaam aſina.

32. OBtenta de Rege Aradiorum (qui & ipſi Chananæi erant) Iſraelitæ victoria, circumeunt Idumæos, & cùm illis Idumæam vi pervadere non concederetur, recenti victoria audaciores, ac circuitionis pertæſi contra Deum & Moyſen obloquuntur. Num. 21. v. 6. *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt: peccavimus.*

Oblocutionis pœna igniti ſerpentes. Num. 21.

Igniti illi ſerpentes vel à colore, & externa ſpecie ſimili igni, vel à ſenſu doloris, quem inferebant hominibus, ut illorum corpora inflammarentur, ſic genimina viperarum punita ſerpentibus. Recurrunt ad Moyſen, qui orat, ab illóque exoratus Dominus, jubet fieri ſerpentem æneum, & in ſignum elevari, ut illo conſpectu à ſerpentibus icti ſanarentur. In hoc æneo ſerpente, qui ſpeciem ſerpentis habebat, non naturam, figura Chriſti, ſpeciem peccatoris, non naturam habentis, exprimitur.

Juſſu Domini dicentis. Deut. 2. 24. *Surgite & tranſite torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua Sehon Regem Heſebon Amorrhæum, & terram ejus incipe poſſidere. & committe adversùs eum prælium. Hodiè incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam in populos.* Ad prælium progreſſi Iſraelitæ obtinuerunt victoriam, priùs tamen Moyſes ad eum miſerat nuntios, tranſitum per terram ſuam petituros, quem ille negavit, & obviam cum omni populo venit, victúsque, de qua Victoria. v. 34. *Cunctáſque urbes in tempore illô cœpimus, interfectis habitatoribus earum, viris, ac mulieribus, & parvulis.* Et parvulis, quia, ut ait P. Cornelius hîc, omnes gentes, quarum urbes poſſeſſuri erant Hebræi, totaliter deleri juſſerat Deus, ut patet c. 20. v. 16. *De his autem civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omninò permittes vivere.* Hæc fuit decretoria ſententia ſupremi *vitæ & necis* Domini, cujus judicia abyſſus multa humanis Judicibus & victoribus ſine ſpeciali

ciali divino juſſu non uſurpanda, cùm non omnia licent homini, quæ Deo.

Venit in auxilium Sehonis amici Og Rex Baſan, qui adhuc remanſerat de ſtirpe gigantum, cujus lectus ferreus, Deut. 3. v. 11. *Novem cubitos habens longitudinis & quatuor latitudinis ad menſuram cubiti virilis.* Continebat hic cubitus pedem cum dimipio, ſed & hic Rex profligatus ab Iſraelitis, occiſus, terra illius poſſeſſa, populus ad internecionem cœſus.

Og Regis, cujus lectus ferreus, Clades. Deut. 3.

Hinc metus Balaci Regis Moabitarum, is init conſilium, evocat Balaam Prophetam contra Iſraelitas. S. Hieronymus hunc Balaam refert, primùm virum Sanctum, & Prophetam Dei fuiſſe, qui poſtea depravatus; ad hunc Rex miſit legatos primarios, tam Moabitas, quàm Madianitas; Madian enim erat provincia Moabitidis, hi legati poſcebant, ut malediceret Iſraelitis, obtulerunt munera, quibus illectus Balaam, non ſtatim dimiſit legatos, ſed juſſit expectare divinum Reſponſum: Deus autem illi apparuit per viſum, & dixit. Num. 22. 12. *Noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus eſt.* Manè igitur ſurgens, recuſavit ire. Sed miſſa altera ſplendidior legatio, onerata promiſſis, & muneribus. Sed aureo arieti aliquatenùs reſtitit Balaam v. 18. *Si dederit mihi Balac plenam Domum ſuam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus vel minùs loquar. v. 19 Obſecro; ut hic maneatis etiam hac nocte, ut ſcire queam, quid mihi rurſum reſpondeat Dominus.*

Balaam Propheta à Balaco Rege corrumpitur. Num. 22.

Et hoc, inquit Auguſtinus quæſt. 48. in Num. non eſt ſine gravi peccato, jam enim conſtans eſſe debuit ſemel auditô, quod ipſi dixerat Dominus. Proindè ait idem Doctor Auguſtinus, Dominus videns ejus cupiditatem, captam devictámque muneribus, permiſit illum ire, ut per jumentum, quo vehebatur, ejus avaritiam coërceret. Ah quantum avaritiæ virus, quæ & Prophetæ cor corrupit, & intima viſcera penetravit. Cùm ergò abiret Balaam cum legatis, non tam ſtudio obſequendi Deo, quàm lucri cupiditate v. 22. *Iratus eſt Deus, ſtetítque Angelus Domini in via contra Balaam, qui inſidebat Aſinæ, & duos pueros habebat ſecum. v. 23. Cernens aſina Angelum ſtantem in via, evaginatô gladiô, avertit ſe de itinere, & ibat per agrum. Quam dum verberaret Balaam, & vellet ad Semitam reducere v. 24. ſtetit Angelus in anguſtiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur, quem videns aſina, junxit ſe parieti, & attrivit ſedentis pedem, at ille iterùm verberat eam,* ſed iterum obſiſtit Angelus, quare aſina v. 27. *Concidit ſub pedibus Sedentis, qui*

iratus vehementiùs cœdebat latera ejus. v. 28. Aperuítque Dominus os aſinæ, & locuta eſt. Quid feci tibi, cur percutis me, ecce jam tertiò? reſpondit Balaam, qui commeruiſti, & illuſiſti mihi, utinam haberem gladium, ut te percuterem, dixit Aſina, nonne animal tuum ſum &c. Ut prodigioſa ſit hæc locutio aſinæ, nihil tamen hic mirabilius videtur, ait S. Auguſtinus, quam quod loquente aſina Balaam territus non eſt, ſed inſuper ei velut talibus monſtris aſſuetus, ita perſeveranter reſpondit. Itaque mirabili judicio DEi videt aſina, quòd Propheta non videt, declinans periculum in periculum ruit Propheta, excæcavit nimirum etiam ſapientem auri ſtúlta cupiditas. Sed poſthac & Balaam vidit angelum ſtantem in via evaginatô gladiô, dixitque illi angelus: v. 32. *Ego veni, ut adverſarer tibi, quia perverſa eſt via tua.* v. 34. *Dixit Balaam, peccavi neſciens, quòd tu ſtares contra me, & nunc, ſi diſplicet tibi, ut vadam, revertar. v. 35. ait angelus, vade cum iſtis, & cave, ne aliud, quàm præcepero tibi, loquaris.* Interim Balac occurrit Prophetæ, oſtendit de monte extremam populi partem. Propheta excitat ſeptem aras, in qualibet vitulum, & arietem Domino in holocauſtum offert, in quibus omnibus oblationibus, audiente ægrè Rege, & Optimatibus populum Iſraeliticum ſuggerente Domino benedixit.

Per mulieres corruptus. num. 25

Peſſimum tamen dedit conſilium Regi Balac Balaam, de quo Apocalypſis 2. v. 14. *Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael edere, & fornicari.* Num. 25. 1. *fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad ſacrificia ſua. At illi comederunt, & adoraverunt Deos earum, initiatusque eſt Iſrael Beelphegor.* Hunc Beelphegor Hieronymus Priapum interpretatur, cui ſacrificârunt Iſraelitæ, blanditiis, ac libidine mulierũ allecti. Quare v. 3. *Iratus Dominus ait ad Moyſen, tolle omnes Principes populi, & ſuſpende illos contra ſolem,* id eſt, publicè corã populo. Caveant ſibi viri à ſexu deteriore, qui dũ corripitur, ipſe facilè corrumpit, mollis ſuaviter in vitia flectit, venenum propinat in deliciis; debilior licet, retrahit à DEo, idque etiam DEi populum.

33.
Cenſus populi. num. 26.

Inſtitutus Moyſe & Eleazaro præſentibus populi cenſus. Num. 26. v. 64. *Inter quos nullus fuit eorum, qui ante numerati ſunt à Moyſe & Aaron in deſerto Sinai. v. 65. Prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in ſolitudine, nullusque remanſit ex eis, niſi Caleb filius Jephone, & Joſue filius Nun.* Hujus cenſus cauſa fuit, ut populoſiori Tribui major pars terræ aſſignaretur. Interim denuntiatur Moyſi mors, quam in monte Abarim, ex quo de longè oculis ſolùm terram promiſſionis luſtraverat, erat obiturus. Itaque de populi gubernatione ſollicitus Moyſes dixit. Num.

Num. 27. 16. *Provideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc.* In qua oratione Philo commendat Moyſis virtutem, qui filiorum, nepotum, &c. ratione non habita, magiſtratum ſuum divino permiſit arbitrio; cui Dominus dixit: v. 18. *Tolle Joſue filium Nun, virum, in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum v. 19. qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdote, & omni multitudine. v. 20. & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Iſrael. v. 21. pro hoc, ſi quid agendum erit, Eleazar ſacerdos conſulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur, & ingredietur ipſe, & omnes filii Iſrael cum eo, & cætera multitudo.*

Bellum cum Madianitis. Num. 31.

Ortum interim cum Madianitis bellum, his de cauſis. 1. Quòd Iſraeliticum populum diris devovere voluerunt. 2. Quòd populum ad ſcelera tanta per mulieres pertraxerunt. Elegit igitur Moyſes ex ſingulis tribubus mille viros, pugnârunt electi, idque ita feliciter, ut omnes mares Madianitarum occiderint, Reges quoque illorum nullo ex ſuis deſideratô. Balaam quoque inter optimates hoſtis gladiô Iſraelitarum occubuit. Abductæ in ſervitutem mulieres & parvuli Madianitarum, quo offenſus Moyſes, memor depravationis populi per mulieres, jubet maſculos & mulieres occidi, puellas, & virgines ſervari. Vaſtata Regio, præda magna accepta, ſcilicet, præter ſupellectilem, ovium 675000. boum 72000. aſinorum 61000. puellarum 32000. Præda hæc bifariam diviſa, medietas data pugnatoribus illis 12000, altera reliquæ multitudini. Aurum Domino à milite oblatum in gratiarum actionem, quòd nemo illorum perierit, fuerunt auri quinque talenta, & ferè tertia pars talenti. Terra hoſtilis trans Jordanem tribui Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe, annuente Moyſe ceſſit, ſub conditione, ut tranſierent Jordanem, & fratres juvarent. Antequàm ſuperaretur Jordanis, 42. manſiones expeditæ, ex quo exivit populus de Ægypto.

Militum in Deum liberalitas.

Spolia de Madianitis, & terræ illorum diviſio. Num 32

Tribus Levi nihil poſſidendo fuit dictior.

Tribui Levi, ut obſervat hic P. Salianus, nulla portio terræ promiſſæ aſſignata, aſſignatæ nihilominùs decimæ, ac primitiæ, primogenitorum redemtio, vota &c. ex quibus tantum emolumentum percipiebatur, ut fructus duarum ſortium, vix eis par eſſe poſſet, annîs ſingulis, ut fuſè docet Abulenſis. Levitæ per omnes tribus ſparſi erant, ſive, ut præſto eſſent ad miniſteria, quocunque tabernaculum transferri contingeret, ſive ut ſalutaria monita & exempla populo præberent. Neque tamen precariò inter fratres habitabant, ſed certas habuerunt de-

signatas urbes ad habitandum, etsi illarum dominium non habebant, dignitates tamen in his urbibus ut cæteri obtinebant. Dicuntur hæ urbes Leviticæ, non quòd soli Levitæ in illis habitarent, sed quod in illis solis habitarent, & sinagogis præessent. Habebant suburbia circa urbes per circuitum ad milliare unum ad usum pecorum. Erant urbes Levitis concessæ 48. ex his erant sex urbes refugii, tres cis, & tres trans Jordanem, pro commoditate fugientium, qui cædem perpetrârant per imprudentiam.

Deutronomium promulgatum. Deut. 31.

Promulgatum deinde à Moyse Deutronomium, quasi secunda & iterata lex: in illo repetiit Moyses, tum beneficia DEi, tum leges à DEo latas, adhortatus ad earundem observantiam. Josue successorem constituit per impositionem manuum. Oportebat autem institutionem Josue publicè à DEo comprobari, igitur jussit illum cum Moyse venire in tabernaculum, ut eum ibi alloqueretur, quò cùm venissent Deut. 31. 15. *Apparuitque Dominus ibi in columna nubis, quæ stetit in introitu tabernaculi.* Recitatum deinde à Moyse canticum, quod est Deuter. 32. *Audite cœli, quæ loquor &c.* Eadem die locutus Dominus ad illum, jussitque eum in montem ascendere, ibidem moriturum. Convocavit itaque populum Moyses, benedixit illi, qui magno fletu prosequebatur euntem, voluitque cum illo montem ascendere, sed jussus à Moyse non ultra procedere, solusque senatus eum ad montem Abarim cum Pontifice & Imperatore deduxit, ex hoc monte prospexit Chananitidem terram scilicet promissionis. Deuter. 34. v. 5. *Mortuusque est ibi Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino. v. 6. & sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem. v. 7. Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est: non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.* Quoniam verò non in monte, sed in valle sepultus, putat probabiliter Cajetanus, illum ministeriis angelorum delatum in vallem, in oculis eorum, qui astiterant morienti, qui tamen non viderunt determinatum in valle locum, nube aliquantum spatium terræ obtegente, ut propterea nemo noscere potuerit locum sepulturæ ejus, ne res in idololatriam verteretur. Idque satagebat Dæmon, sed restitit illi Michael Archangelus, & mansit occultus locus. Flevit illum populus 30. diebus. Tantus vir erat Moyses ut incomparabilem scriptura prædicet. Gregorius Nyssenus illum pro exemplari assumit. Philo, Clemens Alexandrinus, ideam quandam Regis, Sacerdotis

Moyses obitus. Deut. 33. & 34.

tis, legislatoris, omnibus fortitudinis, pietatis, ac sapientiæ numeris absolutissimam describunt. Augustinus dixit illum humanæ conditionis dignitatem excessisse, & meritò, utpote DEum Pharaonis, naturæ propemodum Dominum, quam ad nutum regebat, in medio pertinacis, seditiosi populi virorum mitissimum, injuriarum supra humanum morem neglectorem, qui malevolos vinceret beneficiis.

Caput sextum.

De Josue gestis & obitu.

34. Josue cap. 2.

ANn. Mund. 2584. Factis functo Moyse cœpit illicò Josue summum gerere magistratum, misit duos Exploratores versùs Jericho, qui sub occasum solis cum plurimis hanc urbem ingressi, in domum mœnibus proximam, Rahab mulieris vel cauponariæ, vel, ut communior est sententia, meretricis se recepêre, ibi, postquam nocte quievissent, urbem dissimulanter obierunt, attamen circumspicientes conspecti (sic non usquequaque occulta humana circumspectio) ad Regem delati, quæsiti à dicta muliere in solario, sub stipula lini occultati, inquisitorum manus evasêre. Inviserat latitantes hospites mulier, dixitque Josue: 2. 9. *Novi, quod Dominus tradiderit vobis terram, etenim irruit in nos terror vester.* Habuit ista mulier fidem rectam; (P. Salian.) ab exploratoribus juramentum exegit, ut illam salvam præstarent, ac Parentem, sorores, totamque domum. Dant illi in signum coccineum funiculum, quem illa ex fenestra suspendat, dimisit itaque eos per funem de fenestra, consilium dedit, ut triduò essent in latebris, ita postquam inquirentes se eluserunt, ad suos salvi regressi Exploratores. Vacat culpâ proditionis patriæ suæ hæc mulier (P. Salan.) divinam enim voluntatem Patriæ prætulit charitati, quanquam neque eorum vita exitio patriæ futura erat, neque cædes saluti.

Transitus per Jordanem mirabilem. Jos. 3.

Sub hæc contigit mirabilis transitus per Jordanem, præcessit arca duorum millium cubitorum spatio à populo remota, & reverentiæ gratiâ, & ut ab omnibus videri possit. Elegit Josue 40. millia ex tribubus, quæ mansuræ erant trans Jordanem. Josue

ſue 3. 15. *Et pedibus eorum in parte aquæ tinctis - - - v. 16. ſteterunt aquæ deſcendentes in loco uno, & adinſtar montis intumeſcentes apparebant procul.* Progreſſi in medium ſacerdotes ibi ſubſtiterunt, dum totus populus majore fiducia per arentem alvum tranſiret. Stantibus in medio cum arca ſacerdotibûs electi 12. viri,

Joſue 4. qui 12. lapides de medio Jordane tollerent, quos in proximo caſtrorum loco, qui Galgala dictus eſt, in monumentum conſtituerent, eſſentque velut trophea, ſingulis tribubus de ſuperato Jordane. v. 9. *Alios quoque 12. lapides* (S. Auguſtinus ex continenti delatos putat) *poſuit Joſue in medio Jordanis alveo, ubi ſteterunt ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis, & ſunt ibi usque in præſentem diem.* Cúmque tranſiſſet arca & populus, reverſæ ſunt aquæ in alveum, & fluxerunt ut ante. In Galgala caſtris locatis jubet Dominus ſecundò

Circumciſio 2da Joſue 5. circumcidi Judæos, id eſt, circumciſionem longo intervallô intermiſſam, revocari ad praxim, facta hæc circumciſio cultris lapideis.

Poſtquam comederunt de frugibus terræ illius Iſraelitæ, ceſſavit Manna. Cùm autem eſſet Joſue in agro terræ Chanaan, ſeceſſerat aliquantum à caſtris, ita diſponente Domino, ut ſolus à ſolo deprehenderetur. Joſue 5. v. 13. *Levavit oculos* (*Joſue*) *& vidit virum ſtantem contra ſe.* Is erat Angelus, credibile, quod Michael, geſtans ereptum è vagina gladium, quem compellavit Joſue v. 13. *Noſter es, an adverſariorum? qui reſpondit: Nequaquam: ſed ſum Princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Joſue pronus in terram, & adorans ait: quid Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum.* Priusquam enuntiavit cauſam, quid nuntiaturus venerit, jubet eum exuere calceos, & terram angelica præſentia ſanctificatam calcare. Hinc monemur, quanta reverentia, & animi ſubmiſſione adeundæ ſacræ ædes, ſpeciali DEi præſentiâ cohoneſtatæ, & quàm ſanctè ſacra tractanda. Ab hoc Angelo modum expugnandæ urbis Jericho accepit Joſue. P. Salian.

Transactîs paſchalibûs feriîs Joſue urbem Jericho aggreditur, erat illa delicioſiſſima, divitiis, hortis abundans, unde proverbium. Plantatio Roſæ in Jericho. Summo manè ſurrexerat Joſue, & permultis cum imbelli multitudine ad cuſtodiam caſtrorum relictis, reliquam aciem ad circuitionem urbis eduxit. Ordo aciei circumeuntis urbem erat talis: In fronte armatorum agmen, ſive illud 40. millia, ſive aliud, quos ſequebantur ſacerdotes 11, quorum 7. perſonabant tubis, 4. arcam humeris geſtabant, eosque reliqua bellatorum multitudo — Jericho capta. Joſue 6.

ſequebatur. Primis 6. diebus tantùm urbem circuibant in magno populi ſilentio ſolîs ſacerdotibûs tuba clangentibus. Die autem ſeptimo poſt ſeptem circuitiones, datô ab imperatore ſignô ab omnibus contentiſſima voce conclamatur, eumque clamorem ruina murorum ſecuta. Ita vox populi ad Dominum clamantis arietis vicem obiit, ad elevationem pii clamoris cecidêre civitatis muri ſine machinis. Anteceſſerat autem denuntiatio Anathematis ab Imperatore. Joſue 6. v. 17. *Sitque civitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea ſunt, Domino: ſola Rahab meretrix vivat cum univerſis, qui cum ea in domo ſunt, abſcondit enim nuntios, quos direximus v. 18. vos autem cavete, ne de his, quæ præcepta ſunt, quidpiam contingatis, & ſitis prævaricationis rei & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint, atque turbentur. v. 19. quidquid autem auri & argenti fuerit, & vaſorum æneorum, ac ferri, Domino conſecretur, repoſitum in theſſauris ejus.* Dejectis itaque muris, ope videlicet angelorum, unusquisque per locum, qui contra ſe erat, civitatem intrârunt Iſraelitæ, ab his cæſi omnes habitatores, ab infante ad ſenem, oves quoque boves & aſini. Rahab liberata juſſu Joſue per Exploratores, cum Patre, fratribus &c. & cuncta ſuppellectili, extra caſtra locata, per aliquot dies manſit purgatorios, ut ait Cajetanus, in quibus poſt inſtitutionem in fide veri DEi, maſculi circumciſi, fæminæ ablutæ, deinde inter Iſrael tanquam proſelyti habitârunt. Acceſſit honos Rachab mulieri, ſcilicet cum Salmone filio Naaſonis Principis in tribu Juda conjugium.

Lætitiam populi ex tanta victoria, ſacrilegium Achan turbavit: is vidit v. 21. *Inter ſpolia pallium coccineum, valde bonum, & 200. ſiclos argenti, regulamque auream 50. ſiclorum,* & hæc abſtulit abſconditque in terra, propter quod ejus furtum punivit DEus Iſraelitas, nam ad urbem Hai expugnandam miſſa 3000. Iſraelitarum, ex quibus profligatis, 36. cæſi ſunt. Quare v. 6. *Joſue ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cæcidit in terram coram arca Domini usque ad veſperam, tam ipſe, quàm omnes ſenes Iſrael.* Aperuit ſupplici Joſue cauſam cladis Dominus, juſſit reum ſortitione indagari, inventa eſt tribus Juda, familia Zare, Domus Zabdi, & perſona Achan, qui convictus revelatione divina, faſſus crimen, inventa omnia furtô ſublata, dixitque illi Joſue v. 25. *Quia turbâſti nos, exturbet te Dominus in die hac, lapidavitque eum omnis Iſrael, & omnia, quæ illius erant, igne conſumpta ſunt.* At Dominus dixerat: v. 15. *comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua.* Sed notandum cum Saliano apud Hebræos ig- — Achan ſacrilegium. Joſue c. 7. — Turbator turbatur.

gnis nomine, quamvis pœnam intelligi poſſe.

25. Hoc periculô perfunctus Joſue, hortante Domino, qui ipſi modum quoque expugnandæ urbis dederat, aggreditur urbem Hai. Præmiſit noctu quinque millia, qui in inſidiis eſſent, ipſe cum 25. millibus ſecutus, dumque in conſpectum urbis, non omnes licet venêre, erupêre hoſtes, nemine in præſidio relicto: Joſue cum ſuis ſimulavit fugam, hoſtes illum ſecuti; interim ex inſidiis urbs occupata fumo datum ſignum occupatæ urbis, Joſue hoſti ſe obvertit, eundem profligavit, clypeum manu elevatum tenuit, donec interficerentur omnes habitatores Hai cum parvulis, huic enim ſigno elevationis alligavit DEus victoriam. Rex quoque occiſus, urbs diruta.

Civitas Hai capta ex inſidiis. Joſue. c. 8.

Gabaonitæ interim tot victoriis Iſraelitarum perculſi fœdus cum Iſraelitis inire volunt, fingunt ſe in longinquis oris habitare. Iſraelitæ inconſulto Domino cum illis fœdus ineunt, juramento firmant, mox certiores fiunt de fraude, volunt illam ulciſci. Sed juramentum opponunt Gabaonitæ, quod licet, ut S. Auguſtinus cenſet, erat invalidum, quod ſub conditione datum fuerat, ob vitandum nihilominus ſcandalum, converſis Gabaonitis, pœna mortis mutata in pœnam ſervitutis, ut loco omnis multitudinis ligna cœderent in uſum domûs Domini, & ſic intelligenda (P. Salian) illa verba Joſue 9. 21. *Sed ſic vivant, ut in uſum univerſæ multitudinis ligna cædant, aquasque comportent.* Et hi poſtea Nathinæi dicti, propè illi manebant, nam tertia die bellatores ad illos pervenerant.

Quapropter fit conjuratio 5. Regum, nimirum Adoniſedec regis Jeruſalem, cum Regibus Hebronis, Jerimothi, Eglonis, & Lachis, contra Gabaonitas, magno exercitu impetuntur, à Joſue auxilium petunt, hic conſulit Dominum, à quo non ſolùm de divina circa pugnam voluntate, ſed etiam de victoria obtinenda fit certior; conſerunt manus hoſtes cum Iſraelitis, ſed divinitùs conturbantur. v. 11. *Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo, usque ad Azeca, & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filii Iſrael.* Dumque cæderentur gladiis Amorrhæi, veritus Joſue, ne eos tenebræ gladiis hebræorum eriperent, dixit. v. 12. *Sol contra Gabaon ne movearis, & luna contra vallem Aialon v. 13. ſteteruntque ſol & luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in libro juſtorum? Stetit itaque ſol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei.* Per medium cœli alii intelligunt meridiem, alii probabiliùs ſimpliciter cœlum, juxta illam phraſim Pſal.

Joſue contra 5. Reges pugnans ſolem ſiſtit. Joſue c. 10.

Grando lapidum. Joſue c. 10.

100.

100. *Non habitat in medio domûs meæ, qui facit ſuperbiam*, dicuntque tunc ſolem in occaſum inclinatum fuiſſe. Interim 5. illi Reges congregati in unum, in ſpelunca ſe abdunt, at inveniuntur juſſu Joſue, os ſpeluncæ cum illis obturatur grandibus ſaxis, cuſtodia datur, victoria nihilominùs urgetur obtineturque. Revertitur Joſue ad Reges, extrahuntur, petunt ſuppliciter veniam, ſed jubet Joſue ſuos Principes colla illorum calcare, ex conculcatione ferè ſuffocati, confodiuntur, in arboribus ſuſpenduntur, & occidente ſole depoſiti, in ſpeluncā illā conjiciuntur, advolutis ſaxis ingentibus ad os illius. Et alias inſignes obtinuit victorias Joſue, quæ Joſue c. 10. c. 11. & c. 12. recenſentur, ubi numerantur Reges 31. citra & ultra Jordanem per Moyſen & Joſue percuſſi, dum nec parvulis pepercit Joſue, hoc ex inſtinctu egit Domini, ſcelera illius populi juſtè, immò adhuc infra condignum punientis. Reges illi devicti non ſingularium urbium cenſendi fuiſſe Reges, ſed habuerunt multa oppida illis urbibus annexa.

Ann. Mund. 2586. Finis impoſitus bellis communibus toti Iſrael, nam reliqua propriis ſingularum tribuum auſpiciis geſta ſunt.

Anno Mundi. 2589. Reverſus Joſue ad caſtra in Galgala in graveſcente ætate ſua à Domino monitus, ut terram promiſſam in tribus divideret, etſi nondum tota ſubacta fuit. Voluit autem Dominus dividi terram, ut æmulos habentes Iſraelitæ in otio non deliteſcerent, ac de terra tanquam propria curam haberent, ut per hoſtes exercerentur, ac in DEi famulatu & amore perſeverarent. Sic enim neceſſitate, divino auxilio indigentes, ad DEum faciliùs compellimur.

Diviſio terræ Promiſſionis. Joſue. 13.

Ann. Mund. 2590. Sanctuarium in monte, in quo urbs Silo exſtructa erat, in latiore aliqua platea ritè locatum, erectum ſub dio tabernaculum, ibique ad 350. circiter annos permanſit, erat enim ſuis pellibus atque operculis conveſtitum, aut etiam ligneo aliquo tecto coopertum.

Sanctuarium in ſilo. P. Salianus.

Sub hæc conquerebantur tribus aliquæ coram Joſue, quod vel imperitiæ menſorum, vel minus bona fide dimenſio terræ facta; decrevit itaque Joſue eligendos ex 10. tribubus 30. viros, tres ex qualibet, qui exactius dimetirentur. Executi illi injunctum ſibi opus 7 menſium ſpatio, ſine exercitu, non absque ſpeciali DEi providentia, quòd nemo hoſtium exacerbatorum illos impetierit. Poſtquam redierunt ad Joſue, facta ſortitio probabiliter hoc modô: miſſæ 10. ſchedulæ in urnam, (P. Salian) in quibus ſingulæ

L 2 por-

portiones terræ, per suos limites designatæ, ac suis tribubus destinatæ continerentur, in aliam urnam nomina 10. tribuum conjicerentur, sederetque puer parvulus inter urnas duas, & una manu, nomen tribûs unius efferret, & mox altera schedulam eam omnino, quam metatores illi assignaverant Deo rem totam moderante & illorum distributionem confirmante.

Ann. Mund. 2597. Israelitæ aliqui restaurabant bella concussa, aliqui otio delitescentes, tributorum pensitatione læti, familiaritatem cum antiquis terræ incolis contrahebant, quos ex DEi mandato deletos oportebat indeque paulatim ad summam idololatriæ perniciem gradum fecêre.

Ann. Mundi. 2599. Adhuc in præsentia Josue angelica illa visio contigit, de qua judicum 2. locutúsque Angelus ad populum v. 1, *Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua juravi patribus vestris, & pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum v. 2. ita duntaxat, ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus, & aras eorum subverteretis, & noluistis audire vocem meam, cur hoc fecistis. v. 3. quam ob rem nolui delere eos à facie vestra, ut habeatis hostes, & dii eorum sint vobis in ruinam.* Hæc oratio Angeli (credibile Michaelis) cætum populi concitavit, immolavêruntque ibi hostias Domino. Verùm apparet illis contigisse, quod iis, de quibus ait Magnus Gregorius. *Ad horam solvuntur in compunctionis fletus, mox tamen ad priora peccata ita redeunt, quasi ea nunquam ante planxissent.*

Angelus exhortator. Judic. 3.

Ann. Mundi 2600. Devenimus ad ultimum annum Imperatoris Josue, cujus ætas 110. annorum. Sub vitæ finem concionatorem ad populum egit in Sichem vel Silo, in persona DEi, beneficia illis præstita commemorans, conclusitque v. 14. *Nunc ergo timete Dominum, & servite ei perfecto corde, atque verissimo, & auferte Deos, quibus servierunt Patres vestri in Mesopotamia, & in Ægypto, ac servite Domino &c.* Renovavit deinde fœdus DEum inter ac populum, cujus fœderis duo signa reliquit, unum pro litteris in libris suis, alterum verò in usum Idiotarum, prægrandem lapidem erexit, cujus intuitu memoria fœderis renovaretur. Dimissa deinde concione sanctissimam mortem obiit, sepultusque honorificentissimè à populo, de quo P. Bussieres; *Summus Imperator, qui DEo fretus, non rarius vicit, quam pugnavit.*

Josue obitus Josue 24. 1.

Caput septimum.

De exordiis regiminis Judicum. De Adonibezec victo, mutilato. De clade Benjamitarum, de initio servitutis Israelitarum. De Eglon Rege occiso &c.

36. *Annus mundi* 2601. primus est annus Othonielis primi Judicis populi Israelitici. Porro dignitas Judicum, dignitati Regiæ erat dissimilis, quia non per successionem ratione sanguinis, sed per electionem designabantur. Non poterant bellum indicere, tributa imponere, insigniis regiis non utebantur. Non ad certum tempus eligebantur, sed in totam vitam ut cum sum̃a potestate toti Reipublicæ præessent. Hi Judices Judiciorũ, consiliorũ, bellorũ Principatum tenuerunt. P. Salianus.

Judicum authoritas. Othoniel primus Judex.

Ab obitu Josue primo quoque tempore, comitia indicta, consultatum in illis de exterminandis Chananæis, & quoniam in singulis tribubus erant, singulis tribubus contra illos certandum erat, disceptabatur, quænam tribus id opus primò aggrederetur; consultus Dominus per Pontificem, renuntiatum divinô oraculô, ut tribus Juda, quæ erat omnium fortissima, primum belli sumeret experimentum. Pugnatum itaque strenuè à tribu Juda contra Adonibezec; id est, dominum Bezec urbis, hic victus & captus fuit, & quia Israelitæ à vicinis populis edocti fuerant, quanta ille devictos Regulos inhumanitate tractabat, pœna talionis usi, summas illi manus, pedésque absciderunt. Judic. 1. v. 7. *Dixitque Adonibezec, septuaginta reges amputatis manuum, ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi DEus.* Hic brevi ex vulnerum dolore mortuus est.

Adonibezec victus captus, summitatibus manuum ac pedum truncatus. Jud. 1.

Pœna talionis.

Ann Mundi 2604. Movit Caleb arma in habitatores Dabir, sive Cariath Sepher. v. 12. *Dixitque Caleb, qui percusserit Cariath Sepher & vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem. Cúmque cœpisset eam Othoniel - - - v. 13. dedit ei Axam filiam suam conjugem.* Hæc, dum ex paterna domo deduceretur ad sponsum, petiit à Patre agrum certum ad septentrionem aquis irriguum, cum prius arentem ad meridiem accepisset; flexus querelâ filiæ Pater, dedit etiam ampliùs, quam postulârat, terram scilicet, quæ infra, supraque rigabatur. v. 15. *Dedit*

Caleb Axæ filiæ plus det, quam petierat. Jud. 1.

ei ergò Caleb irriguum superius & irriguum inferius. Hoc est charitativum liberalitatis ingenium, etiam plus offerre, quàm postulantis exigit verecundia.

Israelitæ Idololatræ.

Ann. Mund. 2622. Quintus agitur annus, ex quo, post Seniorum obitum, Israelitæ à Domino, veráque fide, & pietate desciverunt, priùs in varia scelera prolapsi, per gradus veluti, ad Iniquitatis summum procedentes. In tres tribus Idololatria invecta, scilicet in tribum Levi, Ephraim, & Dan, Jonathas quoque nepos Moysis factus Idololatra.

Benjamitarum clades ob libidinem. Judic. 19.

Hoc anno contigit cladesBenjamitarum, quam civile bellum intulit. Ortum hoc dissensionum incendium, ob uxorem cujusdam Levitæ, prodigiosa libidine per Gabaonitas (tribûs erant Benjamin) extinctam, cujus corpus à marito in 12. partes sectum, ad singulas tribus portiones missæ, quasi cruentæ litteræ cum luctuosa narratione. Gravissimè hoc inauditô hactenùs scelere moti Israelitæ, factô consiliô Benjamitas impetière, à quibus primò victi, posteà facti victores per duplices insidias Benjamitas maxima clade affecerunt, ad 25. millia cæsa, vix 600. residui ad saxum Remnon effugerunt. Secutus deindè dolor Israelitarum tam funestam cladem, quâ ferè deleta integra tribus Benjamin, quarè iisdem ultrò reconciliati, postquàm præceps & fervidius Consilium irreparabile damnum secutum, permittente numine, in pœnam flagitii fœdas libidinis maculas ferrô expungi, ac balneô sanguinis elui.

Israelitarum servitus, & libertas. Judic. 3.

Ann. Mund. 2623. Initium Israelitarum servitutis sub Cusano Rege Mesopotamiæ. Is habuit causam Israelitas invadendi, vel dominandi libidinem, vel aliorum populorum Israelitis infensorum incitamentum. Quare aggressus Israelitas vicit. Sic in pœnam, Israelitæ, qui tributa Deo improbante à Chananæis avarè exegerant, tributis ab aliis gravati fuêre.

37.

Othonielis obitus.

Ann. Mund. 2630. Libertas populi Israelitici post turbidum servitutis exorta, contra Tyrannum feliciter arma moventis, à quo Cusan Rex victus, immò uti volunt Clemens Alexandrinus, Serarius, etiam occisus, nisi enim occisus fuisset, facilè vires restauràsset, de quo tamen non constat.

Ann. Mund. 2640. Obierunt Othoniel Judex & Phinees Pontifex, sicut olim cum Moyse Aaron, cum Josue Eleazar Pontifices, iisdem annis extremum Diem habuêre. Post obitum Othonielis iterùm in Idololatriam relapsi Israelitæ, existimantúrque in illa decem annis mansisse. Ità duræ cervicis populus,

pulus, etsi sub Judicibus sanctis (Sanctos enim existimat fuisse P. Serarius) excussô Domini jugô, servitutem tartari Tyranni sibi præelegit, ut liberius vocaret sceleribus.

Eglon Rex occisus. Judic. 3.

Ann. Mund. 2669. Aod Judex, populi authoritate, ad Eglonem regem Moab missus, postquàm per modum dicturi aliquid secretò, propiùs accessit, egressóque comitatu, præfatus Judic. 3. 21. *Verbum Dei habeo ad te - - - - tulit sicam de dextero femore suo, infixítque eam inventre ejus. v. 22. Tam validè, ut capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium, sed ità ut percusserat, reliquit in corpore.*

Samgar 600. occidit vomere. Judic. 3.

Ann. Mund. 2720. Ostendit Samgar, non solùm in excolenda terra, sed etiam eradicandis hostibus dexteritatem. Judic. 3. v. 31. *Qui percussit de Philisthiim 600. viros vomere : & ipse quoque defendit Israel.* Hinc ab aliquibus inter Judices numeratur. Quomodò autem occidit Philisthæos, an divisim, ex insidiis, an in aliquo loco congregatos, incertum.

Hebræorum servitus 20. Annorum.

Ann. Mund. 2721. Hebræis impietati frena laxantibus Jabin Chananæus Rex dissolutos in Servitutem compulit, factíque illius tributarii annis 20. donec his elapsis

Ann. Mund. 2741. Israelitæ de more clamarent ad Dominum, qui eorum exaudita prece, suscitavit Debboram & Baracum in salutem populi sui.

Debora Prophetis Sisaram vincit. Judic. 4.

V. 4. *Erat autem Debbora Prophetis uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore, & sedebat sub palma, quæ nomine ejus vocabatur.* Hanc D. Augustinus: D. Hieronymus Judicem absolutè fuisse existimant, alii tamen non minùs probabiliter Judicem tantùm fuisse dandis divinitùs responsis. Venit in societatem victoriæ Jahel, uxor Haber Cinæi, quæ victoria sic contigit. Debbora acceptô divinitùs mandatô, evocatóque Baraco, dixit. v. 6. *Præcepit tibi Dominus Deus Israel, vade, & duc exercitum in montem Thabor - - - - - ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison Sisaram Principem Exercitûs Jabin & currus ejus, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua;* & iteratâ adhortatione Debboræ motus Barac descendit de monte Thabor *v. 14. & decem millia pugnatorum cum illo. v. 15. perterruitque Dominus Sisaram & omnes currus ejus, universámque multitudinem - - - - in tantum, ut Sisara de curru descendens pedibus fugeret.*

Judic. 4.

Confusus Exercitus Sisaræ, credibile ope angeli, ex Israelitis enim vix erat, qui gladium, hastam &c. haberet. V. 17. *Sisara autem fugiens pervenit ad tentorium Jahel uxoris Haber Cinæi.* Exceptus humaniter à Jahele

hele poposcit aquam sedandæ siti, sed oblatum illi lac, quo hausto suavissimè sub pallio occultatus obdormivit. Jahel interim acceptô malleô & prægrandi clavô tabernaculi sui, positóque cautè supra tempus capitis dormientis, eundem clavum v. 21. *Defixit in cerebrum usque ad terram, qui soporem morti consocians defecit, & mortuus est.* Insecutus posthac prosequendo victoriam Barac, Sisaram, sed jam præreptum sibi reliquum victoriæ invenit. Videtur Jahel peccâsse, quòd amicum fugitivum hospitiô susceptum sic tractavit; verùm nullatenùs hac cæde deliquit (P.Salian.) cum bellum esset justum ex parte Hebræorum, imò divinitùs etiam præceptum, necesse est tam Jabinum, quàm Sisaram hostes fuisse legitimos, & hostiliter potuisse tractari ab Hebræis, in quibus erant Cinæi, antiquiórque erat amicitia & fœdus cum Hebræis, quàm cum Chananæis istis.

Servitus Israelitarum Jud. 6.

Ann. Mund. 2760. Obitus Baraci contigit, post quem Israelitæ iterùm in servitutem Idololorum, postea, puniente justè numine, Madianitarum & Amalecitarum prolapsi, acerrimè ab illis, incursiones peragentibus, fructus consumentibus per septem annos attriti. Compulit iterùm ingratos ad Deum necessitas. v. 6. *Humiliatúsque est Israel valdè in conspectu Madian, & clamavit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas.* Nec defuit humiliatis, & ad se refugientibus Deus, excitavit Prophetam, qui, cùm meritò arguisset ingratos, humiliatos tamen in spem erexit.

Caput Octavum.

De Gedeonis, & Abimelechi Judicum gestis.

38. Gedeoni Angelus apparet Judic. 6.

Opitulaturus afflicto populo (creditur Præses Israelitarum Michael) v. 11. *Venit Angelus Domini, & sedit sub quercu.* Josephus ait illum adolescentis benè morati specie se videndum præbuisse. Accedit ad eum Gedeon, hominem viatorem ratus, ut, qui baculum manu gestaret, illíque tanquàm peregrino paravit cibos. Fuit autem Gedeon, etsi de se demissè loqueretur, non aliquis ex plebe, sed qualem significa-

vit angelica illa salutatio. v. 12. *Dominus tecum virorum fortissime.* Quæ vox in Hebræo Heros respondet, neque obstat hujus viri dignitati, quòd, dum venit ad eum Angelus, ipsemet Gedeon purgabat frumenta in torculari, id enim temporum necessitati tribuendum. v. 13. *Dixitque ei Gedeon: obsecro mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia?* Non tamen hæc verba fuerant conquerentis de Deo, vel dubitantis de ejus potestate, sed admirantis; Tunc Angelus Gedeoni dixit: v. 14. *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian: scito, quòd miserim te.* Quibus verbis tanquàm divinitùs prolatis, roboratus Gedeon, non tamen desiit illum hominem existimare, prandium illi paravit, quod tamen postea versum est in sacrificium, dixit enim Angelus. v. 20. *Tolle carnes, & azymos panes, & pone supra petram illam, & jus desuper funde,* ut minùs apta redderetur materia ad comburendum, undè majus excitaretur miraculum; quod cùm fecisset Gedeon, Angelus extendit summitatem virgæ. v. 21. *Et tetigit carnes & panes azymos: ascenditque ignis de petra, & carnes azymósque panes consumpsit.* Quod admirabundus spectans Gedeon exclamavit. v. 22. *Heu mihi Domine Deus: quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. Dixítque ei Dominus: Pax tecum: ne timeas, non morieris. Ædificavit ibi Gedeon altare Domino, vocavítque illud Domini pax.* Cùm Dies abiisset, quo hæc peracta, nocte rursùm proxima apparuit Angelus Domini Gedeoni, jussitque eum, unum & alterum Patris bovem accipere, Aram Baalis evertere. v. 25. *Destruésque aram Baal, quæ est Patris tui, & nemus, quod circa aram est, succide.* Non tamen Baal fuit Pater illius, sed Joas Idololatra, qui aram Baalis habuit. Exstruxit Aram Gedeon jussu Angeli, cujus pars fuerat ille lapis, in quo sacrificaverat Angelus, deindè struem lignorum succensi nemoris composuit, & super illam Taurum utrumque in sacrificium imposuit. Præstititque id una nocte, usus operâ 10. Servorum; ortus indè populi tumultus, sed nihil Gedeoni nocuit, qui voluntatem Domini exequebatur, nec priùs contra Madianitas arma movit, quàm Averni tyrannum in succiso illius loco, & eversâ arâ vicisset.

Ignis de Petra sacrificium consumit Gedeonis. Judic. 6.

Interim Madianitæ & Amalecitæ, in quibus, Ammonitæ, Moabitæ, Syri, congregati maxima copia, contra Israelitas arma parabant, qui vicissim convenêre se defensuri. v. 34. *Spiritus autem Domini induit Gedeon,* quàm felix indutus virtute ex alto, quæ tela ferient

Vellus Gedeonis. Judic. 6.

hac loricâ munitum? Congregatis Iſraelitis petiit Gedeon à Deo duo miracula circa vellus, quibus videlicet exercitui omnis dubitatio eximeretur, vocati à Domino Gedeonis, itáque duabus noctibus factum, ut alterâ ſolum vellus maderet in area, alterâ ſola area ſicco vellere permanente, magno utique myſterio, ut ait Origenes, *ſupra ſolum namque Iſrael ros divinæ legis advenerat, ſiccitatem autem habebant omnes gentes.* Concurrunt itáque ad arma Iſraelitæ, ſed mirabili ſua providentia Deus jubet dimitti meticuloſos. Dimiſſi itaque ex Galaaditis 22000. remanſerunt 10000. ſed neque hac diminutione contentus Dominus reliquum Exercitum jubet duci ad aquas Judic. 7. v. 5. *Qui lingua lambuerint aquas, ſi ut canes ſolent lambere, ſeparabis eos ſeorſim: qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt. v. 6. fuit itáque numerus eorum, qui manu ad os projiciente lambuerant aquas, trecenti viri. Omnis autem reliqua multitudo flexo poplite bibebat. Et ait Dominus ad Gedeon: in trecentis viris, qui lambuerant aquas, liberabo vos. v. 7. & tradam in manu tua Madian.* Inepti ad res bellicas peragendas judicati, qui prono corpore ſine ullo manuum adminiculo biberant aquas. Ità non raró proni ad bibendum ignavi, qui ſe ingurgitant, nec tamen manus ad laborandum apponunt inter Heroes non recenſendi. Hos trecentos incredibili animi robore donatos divinitùs credere par eſt, qui de 135000. hoſtibus victoriam ſperare auderent, cùm ſingulis eorum 450. bellatores vincendi eſſent. P. Salian:

Pauci electi, qui moderatè biberant. Judic. 7.

39. Somnium de Gedeone & pane ſubcinericio. Judic. 7.

Sollicitus de bello Gedeon, juſſu Domini cum Phara famulo ſuo deſcendit noctu in partem caſtrorum hoſtilium, ubi admota aure audit militem referentem ſocio ſuo ſomnium de pane hordeaceo ſubcinericio; qui devolutus in caſtra Madianitarum in tabernaculum Principis irruit, illúdque ſubvertit. Id ſomnium interpretatus Socius: v. 14. *Non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis filii Joas viri Iſraelitæ, tradidit enim Dominus in manu ejus Madian, & omnia caſtra ejus v. 15. Cúmque audiiſſet Gedeon ſomnium, & interpretationem ejus, adoravit, & reverſus eſt ad caſtra Iſrael.* Lætus interpretatione ſomnii, quam à Deo fuiſſe exiſtimavit Gedeon, exiguam illam manum tripartitò diviſit, ut ſimul ex tribus partibus adorire- tur hoſtem, dedit ſingulis tubam, facem & lagenam, ſive hydriam fictilem: iſtæ lagenæ erant in duplicem uſum: ut faces abſconderent, quæ ex improviſo extractæ, ac rutilantes fulgore ſuo aciem oculorum ferient, & confractæ aures crepitanti fragore, undique quaterent.

Gedeon cum 300. vicit 135000. facibus & lagenis. Jud. 7.

Addidit mandatum Gedeon v. 17. *Quod me facere videritis, hoc facite, ingrediar partem caſtrorum, & quod fecero, ſectamini. v. 18. quandò perſonuerit tuba in manu mea, vos quoque per caſtrorum circuitum clangite, & conclamate: Domino & Gedeoni.* Nimirùm pugnamus, aut ut infra habetur. *Gladius Domini & Gedeonis.* Ergo terni Duces cum ſua quiſque centuria v. 19. *Incipientibus vigiliis noctis mediæ* tribus ex locis caſtra invadunt, incipit ipſe Gedeon buccinâ perſonare, ſecuti reliqui Ducis exemplum, fit conſternatio ingens exiſtimantium, tot eſſe turmas, quot buccinas, in tenebris mutuis vulneribus ſe hoſtes conficiunt, malorum concordia in diſcordiam deſinente. Cùm autem fictilia illa vaſa confregiſſent, Iſraelitæ tenebant ſiniſtra faces, & dextris tubas, & alternatim clangebant tubis, & clamabant v. 20. *Gladius Domini & Gedeonis.* His perterriti in fugam vertuntur hoſtes, inſtant fugientibus reliqui etiam Iſraelitæ, ſed præcipuè Gedeon perſequitur hoſtem, Jordanem ſuperat, ac fruſtra à Soccothæis, & Phanuelitis ſubſidium panem petit defatigatus, etiam ab illis deriſus. Perſequitur itaque hoſtem, comminatione gravi apud inurbanos relicta. Zebee & Salmana Madianitarum reges effugerant, eorúmque veſtigia ſecuti fuerant quicunque ex illa nocturna clade, in qua ad 120000. cæſa, evaſerant, quorum numerus ad 15000. aſcendebat, irruit in eos inſperatè Gedeon cum ſuis trecentis, fudit fugitivos, Reges illos Zebee, & Salmana cœpit. Ex hoc bello Gedeon antè ſolis ortum rediit, cúmque matutino tempore poſt victoriam reverteretur, memor promiſſæ Soccothæis animadverſionis, 77. viros illorum Seniores, occupata urbe, quos nocentiores didicerat, comprehendit, & cum ſpinis, ac tribulis deſerti contrivit v. 16. hi enim non ſolùm in Gedeonem, ſed Rempublicam totam Deúmque ipſum peccârant. Reges deindè illos captos memor illorum crudelitatis in fratres ipſius, quos illi ad montem Thabor mactârant, voluit per filium ſuum adhuc puerum occidere, ſed illo timente, & reis rogantibus, qui lentam mortem metuebant, irruit in eos ipſemet Gedeon, eoſdémque trucidavit. Ità Gedeon victor, ut ait Emanuel Theſaurus, *nemine ſuorum amiſſo neminem hoſtium ſervavit, ſtirpitùs evellendi erant impii, nunquàm alii mores fuiſſent, niſi alii homines.* Hac victoriâ etiam Iſraelitarum animos ſummoperè ſibi devinctos reddidit Gedeon. Jud. 8. v. 22. *Dixerúntque omnes viri Iſrael ad Gedeon,*

Judic. 8.

Gedeon Principatum recusat.

deon, *dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filii tui, quia liberasti nos de manu Madian. Quibus ille ait: non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus.* Eximium sanè post hanc victoriam certamen, gratitudinis populi cum modestia ducis, in quo ille fugiendo honorem, victor evasit.

Gedeon inaures postulat ex præda, Judic. 8.

Ne tamen gratam illorum voluntatem rigidè videretur respuisse, inaures ex præda postulavit, assensum libenter præbuere milites, & expansô in terra palliô projecerunt super illud inaures aureas ex præda tantâ copiâ, ut ad 1700. auri siclos pondus ascenderet, id est ad 7083. aureos, prætet ornamenta alia & torques aureos, quorum non modica pars in lucrum Imperatoris cesserat. Hæc tamen non in suum ornamentum, sed in Pontificis ornatum expetiit, opum contemptor Gedeon v. 27. *Fecítque ex eo Ephod, & posuit illud in civitate sua Ephra.* Etsi res paulatim in Idololatriam versa, & ruinam Gedeonis familiæ, culpa tamen caruit, pia intentione decorem sacri apparatus procurans Gedeon; nam quod dicitur v. 27. *factúmque est Gedeoni & Domui ejus in ruinam*, illud & per *id est* interpretandum est. (P. Salian)

Ann. Mund. 2772. Sic florebant Israelitarum res, Madianitarum depressæ.

Gedeonis 71. filii.

Gedeon quoque ex pluribus uxoribus (tunc enim polygamia non vertebatur vitio) unum & septuaginta filios procreavit; magis tamen felix fuisset, advertente Emanuele Thesauro, si uno minus fœcundus fuisset, scilicet Abimelecho, qui, ut patriam perderet, fratres perdidit.

Gedeonis obitus, Jud. 8.

Ann. Mund. 2800. Obiit Gedeon in senectute bona meritis in Rempublicam, & virtutibus clarissimus, sepultus uti volunt in paterno sepulchro, in quo tanti Imperatoris humilitas advertitur, qui sibi splendidum aliquod non exstruxit mausæolum. Pater ejus Joas deseruisse Idololatriam existimatur, aliàs non est credibile Gedeonem cum Idololatra tumulari voluisse.

40. Abimelech impius ambit principatum. 70. fratres occidit. Judic. c. 9.

Ann. Mund. 2801. mortuo Gedeone Abimelech, optimi parentis pessima proles, maximarum inter cives turbarum causa fuit. Memor fortè oblatæ ab Israelitis, Gedeoni filio, & nepoti ejus dignitatis, Principatum malis artibus ambiit; venit in Sichem oppidum Ephraimitarum, illorum primores sollicitavit, ut se in Principem eligerent, meliùs Rempublicam ab uno, quàm à septuaginta promotum iri dictitans. Quòd verò ille potiùs præ aliis eligi deberet, suam consanguinitatem ex matre cum Sichemitis alle-

allegabat; natus enim in hac urbe erat cum Ephraimitis, Gedeonis verò familia ad Manassen pertinebat. Nec mora, à proclamantibus v. 3. *Frater noster est* (tantum cognati sanguinis nexus ad purpuram profuit) Rex eligitur, non satis tamen suam Purpuram splendoris habere censebat, nisi eandem fraterno sanguine imbuisset. Quare collecta sceleratorum manu, paternam quatit Domum. v. 4. *Et venit in Domum Patris sui in Ephra, & occidit fratres suos filios Jerobaal* (qui proprio nomine dictus Gedeon Cornel. à Lapid. Judic. 8. v. 35.) 70. *viros super lapidem unum* truncatis scilicet capitibus. Advertit cum aliis Cornel. à Lapid. Judic. 9. v. 5. quod istum numerum 70. ingrederetur etiam Joatham, quare occisi 69; sed more suo scriptura rotundum perfectúmque numerum assignat, quo uti solet, etiamsi aliquid desit, vel supersit. Evasit tamen eam carnificinam Joathamus Gedeonis filiorum natu minimus. Hac tristi tragœdia potestati suæ prælusit Abimelech, ac reversus, in Sichem constitutus Rex juxta annosam quandam quercum oppido vicinam, præsetulit magni nominis umbram. Gravis sanè Abimelecho fuit corona, cujus ambitu tot in ruinam involuta innocentum capita, nec diu eidem tolerata tot sanguine, terra ad Deum clamante, accelerantéque vindictam.

Joathami parabola de oliva, ficu & vite recusantibus principatum. Judic. 9.

Hæc dum rescivit Joathamus, qui in latebris erat, ad congregatum pro inauguratione Abimelechi populum venit, stetitque in monte Garizim, qui urbi Sichem imminebat, ususque apologo in sermone ad populum de oliva, ficu, & vite inter arbores principatum recusantibus, quô ostendere voluit bonos Principes recusare dominium, per spinosum verò arripientem principatum Rhamum, qui spinas retinet, ut cruentet, & alieno Sanguine sibi paret purpuram, ambientes dominium intellexit, & ad rem accomodabat apologum, exprobrando Sichimitis facinus Abimelechi, quod illi oblatâ pecuniâ promoverunt, prædixitque, inde oritura intestina Reipublicæ mala. Hæc dùm locutus esset Joathamus, circumspexêre se se Sichimitæ, partim Justitiam Joathami querelæ perpendentes, partim fiduciam hominis mirantes. Ille interim ex conspectu illorum se se proripuit, in oppidúmque Bera se recepit, ubi apud amicos Abimelechi vitans furorem, à quo morti se sciebat destinatum, utpotè qui crabrones movisset, latitabat.

Progressus Abimelechi Principatûs ex tam tristibus ortus initiis,

initiis minimè lætus fuit. v. 23. *Miſitque Dominus ſpiritum peſſimum inter Abimelech, & habitatores Sichem*, Diabolum ſcilicet jam ſponte ad nocendum paratum, permittendo turbare impiorum pacem. Itáque cœperunt deteſtari Abimelechum, quem antea inordinato amore Sichimitæ proſequebantur; inita contra eum conſilia interveniente Gaale Obedis filio, quæ tandem in apertam conjurationem eruperunt: ſed primò victor evaſit Abimelech, urbem Sichimitarum incendit, deſtruxit. v. 45. *Porrò Abimelech omni die illo oppugnabat urbem, quam cœdit, interfectis habitatoribus ejus, ipsáque deſtructa, ità ut Sal in ea diſpergeret*, hócque ſucceſſu lætior, oppidum Thebes expugnavit, mox quoque turrim in medio oppidi ſitam, ad quam Principes civitatis ſe contulerant, obſedit, cúmque appropinquans oſtio ignem ſupponere niteretur v. 53. *Una mulier fragmen molæ deſuper jaciens, illiſit capiti Abimelech, & Confregit cerebrum ejus v. 54. qui vocavit citò armigerum ſuum & ait ad eum: Evagina gladium tuum, & percute me: ne fortè dicatur, quòd à fœmina interfectus ſim, qui juſſa perficiens interfecit eum.* Proſtratus debili mulieris manu, qui muliebri impotentia dominatum concupiverat, molâ contritum verſutum mali germinis caput multorum ſclandalorum origo, perverſi capitis perturbatum cerebrum, quod corpus Reipublicæ turbaverat. Attulit ultimò necem ſceleſto gladius, ut extremus actus vindicativæ Juſtitiæ cenſeretur. Cecidit tandem corona, quæ inquieto capiti diſtortè adhæſerat, ſuperbæ felicitatis haud in ſolido fundamento ſubſiſtentis, proindéque non diuturnæ fulgur evanuit. Atque ità juſtus Dominus Abimelechi Idololatræ cum ipſo opera perdidit, ſimúlque Sichimitas idololatriâ infames: everſam illorum urbem conſperſerat ſale Abimelech, cùm ipſe ſalis prudentiæ pateretur defectum.



Caput

Caput Nonum.

De Ruth, tum Geſtis Jephte.

41. Ruth hiſtoria Ruth. 1. ANn. Mund. 2810. Orbata Elimelecho marito, & filiis (qui uxores in Moabitide duxerant) Noemi, decennio in exteris verſata, quo ſe ob famem in patria ſua populum affligentem receperat, domum in Bethlehem reverti ſtatuit: amore illius duæ captæ nurus avelli ab ea, etiam illas dimittente, nolebant. Tandem illarum una Orpha neceſſitate perſuaſa, domum rediit, Rutha verò, quæ jam divinâ providentiâ ad magni myſterii participationem vocabatur, deſerere ſocrum noluit, cum illa vivere & mori, ejúsque religionem amplecti ſtatuit, hócque decretum jurejurando firmavit. Venerunt itáque in Bethlehem verno tempore, quô ibi hordea metebantur. Manebat tunc in Bethlehem vir potens, Elimelechi, quondam mariti Noemi, conſanguineus nomine Booz. Ruth cum bona ſocrûs veniâ, Deo greſſus dirigente in agrum Boozi venit, ſpicáſque remanentes, ſequens meſſorum veſtigia, petitâ priùs & obtentâ ab illo, qui meſſoribus præerat, veniâ (licèt id jure gentium permiſſum fuerat, immò Judæis divinitùs præceptum) colligebat. Quod cùm Booz accepiſſet, & inſuper ejus ſedulitatem & diligentiam, ut quæ totum diem in opere ſuo poneret, ne tantillum domum digreſſa, factus illi benevolentior, præſertim cùm accederet affinitas, quam Booz grandis natu minimè ignorabat. Itáque egit cum illa blandiùs, juſſit ſpicas in agro ſuo colligere, quin & præcepit famulis, ut cum illa colligente indulgenter agerent, ultróque cibum illi obtulit & potum. Ruth grata & humilis. Ruth. 2. v. 10. *Cadens in faciem ſuam & adorans ſuper terram, dixit ad eum: undè mihi hoc, ut invenirem gratiam antè oculos tuos. v. 17. Collegit ergò in agro usque ad veſperam, & quæ collegerat, virgâ cædens & excutiens invenit hordei, quaſi ephi menſuram, id eſt, tres modios.* Noemi, bono tam bonæ nurûs Ruthæ providens matrimonium cum Booz ſuadet, qui dat fidem de conjugio, ſi alius propinquior det de matrimonio

con-

consensum. Itaque Booz ad portam urbis judicii causa sedit, ibi, cùm proximum illum prætereuntem vidisset de emptione agri post Elimelechum & filios ejus defunctos derelicti, monuit ac ut deindè cum agro, & Rutham duceret, qui recusavit, ac coram testibus cessit jure propinquitatis. Booz itáque Rutham uxorem duxit, inter præcipuas ejus dotes numerans, humilitatem, laborísque studium.

Servitus Israelitarum sub Ammonitis & Philisthæis annorum 18. Judic. 10.

Ann. Mund. 2832. Initium fuit servitutis Israeliticæ sub Ammonitis & Philistæis, quæ duravit annis 18. Hujus mali immissi causa Idololatria, de qua scriptura Jud. 10. 6. *Filii autem Israel peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conspectu Domini, & servierunt Idolis Baalim & Astaroth &c.* Hæc gravissima scelerum catena plurima traxit mala, divinámque accersivit vindictam, quam sentientes dixerunt. v. 10. *Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum.* Is clamor censendus est universi populi, maximè autem exaudiebatur in Silo, ubi erat arca Domini, ibi Pontifex & Sacerdotes pro avertenda populi calamitate preces, vota, & hostias offerebant. Sed difficiliorem ad exaudiendum præstitit se illis Deus, irato enim similis, visus est recusare auxilium. v. 13. *Non addam, ut ultrà vos liberem, ite & invocate Deos, quos elegistis, ipsi vos liberent in tempore Angustiæ.* Populus tamen instat, Idololatriam execratur, fœdus renovat, placaverúntque Deum v. 16. *Qui doluit super miseriis eorum.* Ità DEi misericordiam provocant nostræ miseriæ, si illas agnoscendo ad eundem recurrimus, Patrem benignissimum agit, qui postquam perterruit flagellis, suscipit in gratiam recurrentes.

42. Jephte in Judicem eligitur. Judic. 11.

Suscepta spe divini auxilii Israelitæ, ipsi quoque operi manum admovent, conventum celebrant, bellum cum hostibus decernunt, Dux seu Judex Jephte eligitur, de quo scriptura Judic. 11. v. 3. *congregatíque sunt ad eum viri inopes, & latrocinantes, & quasi Principem sequebantur.* Id expendens Cornelius à Lapide putat ex margine in textum irrepsisse *ly latrocinantes*, additque ad *inopes*, inopes enim milites sæpè rapinis & latrociniis vivunt.

Milites latrones.

Quarè latrones hi, quibus præfuit Jephte, fuêre milites & prædones, qui fortè antea injustè rapiebant aliena, sed postquàm Jephte secuti sunt, non nisi justas, puta ab Ammonitis & Philistæis prædas agebant. Notandum ex prædicto Cornel. quòd latro priscis idem erat, quod miles, qui dictus est latro, quasi latero, quòd lateri ducis

ad-

adhæreret, vel à latendo, quòd latenter & ex insidiis ad prædandum irrueret. Ità Varro, Festus &c.

Ann. Mund. 2850. Aggreditur grande opus eliberationis populi Jephte, petit ab Ephraimitis auxilia, sed non impetrat; quarè Dominum sibi placaturus antè prælium, quod commissurus erat cum Amonitis. v. 30. *Votum vovit Domino dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas v. 31. Quicunque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihíque occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* Ejus porrò voti æquitas apud graves authores ambigua est. P. Salianus illis accedit, qui rem totam Dei inspiratione factam arbitrantur, idque non obscurè scriptura ipsa significat: v. 29. *Factus est ergo super Jephte spiritus Domini, & circuiens Galaad & Manasse, Maspha quoque Galaad, & indè transiens ad filios Ammon, votum vovit Domino &c.* Ubi vides receptionem spiritûs Domini directè ad votum referri, illa enumeratio locorum quasi in transitu obiter attingitur, ipsa autem *victoria fuit effectus voti.* Sed dicent contrarium sentientes: immò non voti sed pœnitentiæ. Nihilominùs dico, tam populum, quàm Ducem victoriam promeruisse, illum pœnitendo, hunc vovendo. Deindè in re dubia (P. Salian) cùm neque scriptura, neque ratio in contra pugnat, æquius est, in mitiorem partem propendere, cùm de viris sanctis agitur, & scriptura hominem nullibi reprehendit, ubique laudat. Quæcunque autem à patribus de hoc voto contra Jephte dicuntur, exsplicanda de voto, si hoc ex propria voluntate, non ex Dei inspiratione fecit. Idem sentiit Hieronymus, qui Epist. 34. ad Julia: inquit: *Jephte obtulit virginem filiam, & ideò in enumeratione Sanctorū ponitur.* Consentaneum fuit, ut ait Serrarius, ut Dominus Exemplum aliquod ederet, in quo non solùm religiosa voluntas, sed ipsa etiam effectio cerneretur, útque figura esset clarissima illius mortis, quam Christus Dominus, non voluntate tantùm & desiderio, sed re etiam ipsa passurus erat. Editô votô pugnavit contra filios Ammon v. 32. *Quos tradidit Dominus in manus ejus,* dúmque rediret victor in patriam, plausúque populi exciperetur, subituro domum Parenti, occurrit unigenita filia cum tympanis, & sociarum puellarum choris, qua visâ conturbatus imperator scidit vestimenta & ait: v. 35. *Heu me filia mea decepisti me, & ipsa decepta es.* At filia mirabilis. v. 36. *Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi, quodcunque pollicitus es.*

Jephte votum. Judic. 11.

Qui-

Jephte filiæ virtutes. Judic. 11.

Quibus verbis non solùm non peccavit, sed specialia virtutum exempla edidit, scilicet religionis in Deum, reverentiæ in parentem, pietatis in patriam, constantiæ, ad quam illa quoque petitio duorum mensium pertinet, ad levamen doloris paterni, & deplorandam virginitatem suam.

Judic. 12. Ephraimitarum superbia, mendacium & clades

Dum autem isti duo menses in luctu abeunt, interim Ephraimitæ contra Jephte insurgunt, superbiâ stimulati. v. 1. *Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocare nos noluisti, ut pergeremus tecum? igitur incendemus domum tuam.* Quibus Jephte modestè respondet, sed simul falsitatis accusat v. 2. *vocavique vos, ut præberetis mihi auxilium, & facere noluistis.* Sed impatientes moræ Ephraimitæ ad arma ruunt, magnóque fastu viam monstrante, Jordanem superant, sed mox superantur, obsidentibus vada Galaaditis (quos revocaverat jam dimissos) post priùs gloriosum certamen contra Ephraimitas Jephte regrediuntur; sed jam transeundi potestatem non inveniunt, ne quidem, se Ephraimitas negantes, salvantur, fortè prius mendacium asserto fidem ademit, occiduntur, cæsa in prælio & fuga ad 42000. Ità depressus fastus, quô tumebant, mendaciúmque superbiâ palliatum detectum, ac punitum.

Jephte filia à patre occisa.

Elapsis duobus mensibus, filia Jephte Jud. 11. v. 39. *Reversa est ad patrem suum, & fecit ei, sicut voverat.* Lyranus, Pagnin: Scribas, & sapientes Hebræorum existimâsse, non jugulatam, sed Deo dicatam ad perpetuæ castitatis custodiam. Sed Josephus, vera morte jugulatam & crematam censet, citátque P. Cornel. à Lapid. multos pro hac sententia Doctores. Non enim Jephte voverat spirituale sacrificium, rem nondum usitatam, nec esset necesse bimestri spatio virginitatem deflere. S. Chrysostom. dat rationem, quarè hæc mors à Deo non impedita, ut olim Isaaci, ne scilicet omnes idem sperantes idem temerè voverent, Deúmque tentarent. Philo ait nomen hujus filiæ fuisse Seilam, æterna utique memoria dignum, quòd sanguis virgineus consignavit: Græcis facinus placuit, ut advertit P. Bussieres, *qui Iphigeniam his temporibus ab Agamemnone mactatam asserunt, ità Dæmone, per omnia satagente ad imitationem Dei assurgere.*



Caput

Caput decimum.

De ortu, & gestis Samsonis.

43.

Initium servitutis Judaicæ & Samsonis ortus. Judic. 13.

ANn. *Mund.* 2860. Initium fuit servitutis Judaicæ, omnium, si Ægyptiacam excipias, longissimæ. Judic. 13. v. 1. *Rursùmque filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini, qui tradidit eos in manus Philisthinorum 40. annis.* Hæc tamen servitus non cruenta fuit Israelitis, tributô enim contenti Philisthæi, suo illos more, arbitratúque vivere permittebant. Causa servitutis, pœna peccati Idololatriæ. Ità Deus liberas gentes, jugum Dei excutientes, defectúque fidei laborantes, hostili premit jugô, ut tandem libertatem filiorum Dei respiciant. Attamen misericors Dominus, sub initium servitutis Hebræorum, liberatorem fecit oriri Samsonem. Præcessit illius ortum instinctu Angeli, oblatum Deo à Manue Patre sacrificium, positus supra petram hœdus. v. 20. *Cùmque ascenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit.* *Ann. Mund.* 2861. natus censetur Samson.

Ann. Mund. 2880. Judicâsse Israelem, id est (Salian) vexâsse hostes dicitur Samson.

Samson Leonem occidit, & uxorem ducit. Judic. 14.

Hic uxorem ducturus cum parentibus in Thamnatha Philisthæorum civitatem abiit, dúmque aliquatenùs à via declinâsset, horrendum Leonem obvium habuit, cui nudas manus injecit, apprehensùmque in frusta discerpit, reversus ad parentes heroicum suum actum reticuit; in quo non minorem animi jactantiam comprimentis, quàm corporis prosternendo leonem fortitudinem ostendit. Post aliquot dies, dum iterum reverteretur cum parentibus, invisit cadaver occisi à se Leonis, ut in illo philosopharetur, ad aliquod videlicet ænigma de more convivis proponendum, & ecce examen apum in ore Leonis erat, ac favus mellis, quem cùm sumpsisset in manus, comedebat in via, & eundo parentes consecutus dedit illis partem cibi sui. Venerunt itaque in oppidum, ubi celebratæ Samsonis nuptiæ, propositum à sponso super mensam ænigma inter 7. Convivii dies explicandum propositô præmiô 30. sindonum, sive indusiorum, & toti-

N 2

totidem tunicarum: Ænigma verò tale fuerat. v. 14. *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Cùm post triduum non possent assequi sensum, neonuptæ persuaserunt, ut ex marito secretum excerperet, recusavit ille primò, deindè importunis precibus uxoris victus, eidem incendium domus paternæ ab illis, qui solvere non poterant, minitantibus, metuenti communicavit arcanum, quod olim, ne parentibus quidem aperuerat. Dúmque à muliere edocti solvissent

Samson in urbe Philisthæorum Ascalone 30. viros occidit Jud. 14.

Ænigma v. 18. *Quid dulcius melle, & quid fortius Leone,* irruit spiritus Domini in Samsonem. v. 19. *Descenditque Ascalonem, & percussit ibi 30. viros. Quorum ablatas vestes deditiis, qui problema solverant.* Hæc cædes non juxta rationes humanas examinandæ, quæ jussu supremi Domini perpetrata fuit. Deseruerat ad tempus uxorem, eidem offensus Samson, ad quam dum posthac rediisset reconciliationis gratiâ, cámque jam alteri marito traditam à Parentibus didicisset, licèt illi offerretur Soror Junior, justam iram concepit, dixítque

Judic. 15.

Jud. 15. v. 3. *Ab hac die non erit culpa in me contra Philisthæos, faciam enim vobis mala.* Itáque captis

Samson vulpes colligat Judic. 15.

300. vulpibus, comparavit 150. faces, & binis quibusque ad caudæ initium colligatis longiusculo fune, ne facilè mutuo in cursu impedirent, mediam alligavit facem, flammæ tenacem, sícque dimisit, sed nec omnes simul, ne se impedirent, nec eodem loco, sed in idoneis locis, in quibus solis Philisthæis noceret, hôc pactô incendit segetes, vineas, oliveta &c. Observat Cornel. à Lapide Jud. 15. v. 4. Samsonem æquè callidum fuisse, ac fortem, utpotè qui vulpes adeò dolosas, dolo superarit, addítque, Deum per Angelum secundantem actus Samsonis has vulpes collegisse eô locô & modô, quo sciebat, illas facilè à Samsone capiendas, sicut animalia omnia adduxit ad Noë. Serarius opinatur ex hoc facto Samsonis orta esse vulpinalia Romæ, ubi Aprili mense, dum celebrarentur ludi equestres, vulpes ardenti tœda exurebatur. Accendit factum Samsonis Philisthæorum iram, quarè frendentes domum uxoris illius accenderunt, quo incendiô illa quoque periit, quæ antehac timens incertum incendium secretum prodiderat, igne nesciente latere punita, quæ secretum tegere nesciverat. Dúmque ipsum Authorem tot damnorum obruere volunt, ipsi obruti, *percussítque eos ingenti plagâ.* v. 8. Jam suas satis ultus injurias, quiescere voluit Samson *habitavit in spelunca petræ Etam.* v. 8. apparet illum locum fuisse naturâ munitum, ubi propter oppor-

opportunas angustias unus multis posset resistere, nec defuit petræ proximus torrens, ut tradit Andrichomius. Subodorati Philisthæi, ubi esset, statuunt illum justo exercitu aggredi, aut certè populum ejus, si fortè illum in manus suas tradere detrectarent, mittit ad Philisthæos legationem tribus Juda, conqueritur, quòd à privato acceptam injuriam publica calamitate resarcire vellent; illi respondent se tantùm Samsonem petere, ac extraditionem illius. Itáque tria millia de tribu Juda destinantur, qui vel vo-

Samson ligatus traditur philisthæis, eorumque 1000. mandibula occidit. Judic. 15.

lentem, vel nolentem traderent, is divini auxilii conscius, satisfacit suorum voluntati, vinciri se permittit, duobus funibus ligatus traditur Philisthæis. Læti illi ad comprehendendum concurrunt, sed ruptis funibûs liber evadit, inventáque è facili maxillâ asini, illâ mille viros occidit. Tot hostes unica consumpsit mandibula, ósque mortuum mortuos reddidit, quod virilis vividáque manus impressit; fatigatus tanto labore admirandus heros. v. 18. *Sitiénsque valdè clamavit ad Dominum, & ait: tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam, en siti morior, incidámque in manus incircumcisorum. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxillâ asini, & egressæ sunt ex ea aquæ, quibus haustis refocillavit spiritum. & vires refecit.* Adfuit divinum auxilium postulanti, qui primam victoriam Domino tribuerat, elicuit secundum Dei beneficium, qui primum gratè susceperat. Porrò erupit hic fons, ut notat Cornel. à Lapid. ex terra in maxillam, indéque scaturiit, ut majus appareret miraculum. Fontem hunc ad sua perdurâsse tempora, tradit S. Hieronymus in Epitaph. Paulæ. v. 19. *Idcircò appellatum est nomen loci illius: fons invocantis de maxilla.*

Samson portas movet. Judic. 16.

Ann. Mund. 2884. Venit Samson 44.
Gazam alterius negotii gratia, & occasionaliter (quantum vitanda mali occasio) lapsus est. *Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingressúsque est ad eam &c.* Quod dum advertunt Philisthæi, portas urbis claudunt, custodiis muniunt, optatam jam in casses incidisse feram arbitrati, sed hic circa noctis medium, Dei gratiâ etiam peccatores excitante, evigilans, edoctúsque de imminenti periculo, surrexit, &. v. 3. *Apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis, & serâ, impositásque humeris suis portavit ad verticem montis.* Mirum est, neminem ausum saltem cominùs telô aliquô Samsonem petere, Dei sanè providentia, quæ Samsoni vires & animum addiderat, eundem incolumem conservavit.

Ann. Mundi. 2899. 20mus hic, idémque postremus Principatûs seu Judiciariæ potestatis, vitæ 39nus Samsonis Annus, servitutis quoque apud Philisthæos ultimus. Et quis sanè sine dolore animi hominem tot donis Dei illustrem amore mulieris captum, ac dementatum Samsonem commemoret? Amavit is mulierem nomine Dalilam, genere Philisthæam, conditione meretricem, quamvis eam quidam uxorem putârint. Ad eam veniunt Principes Philisthæorum, illius operâ scire cupientes, in quo fortitudinem habeat Samson, singuli 1100. argenteos pollicentur; quare necdit dolum astuta mulier, precibûs extorquere secretum satagit. Elusit mulierem semel iterùm & tertio Samson, vincula, quibus ab illa ligabatur, velut fila telarum rupit. v. 16. *Cúmque molesta esset ei, & per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, & ad mortem usque lassata est. Tunc aperiens veritatem rei dixit ad eam: ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus, id est, consecratus Deo sum de utero matris meæ, si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea.* Quàm mirabilis Dei omnipotentia, quæ tenuibus capillis vim tantam alligaverat, si tectum crine secretum Samson conservare scivisset: sed ut advertit Emanuel Thes. Sagacissimus Quæsitor fœmina blandè torquendo verum extorsit, tergi versari difficile fuit, cùm apparitor Cupido faces admovit. Ah qui sapit, apparitoris istius manus fugiat, quàmque vult procul esse ab interritu, tam sit procul ab igne. Persuadebat sibi Samson curiositate muliebri ductam Dalilam, experiundi tantùm gratiâ velle extorquere secretum, & re cognita quietam fore, quarè secretum aperuit, quô cognitô dolosa mulier. v. 19. *Dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocavitque tonsorem, & rasit 7. crines ejus, & cœpit abigere eum, & à se repellere: statim enim ab eo fortitudo recessit.* Cœpit abigere viribus destitutum, tam facile meretricis amor vertitur in odium, cùm virorum vires, opésque exhauserit. Venit itáque Samson in manus Philisthæorum, adductus Gazam, excæcatus (visu, ait S. Hieronym. in caput 28. Ezech. quia malè fuerant usi, Samson & Sedecias privantur) in pistrinum conjectus, ubi asinariam versare molam, qui mandibulâ asini tot stravit Philisthæos, mirabili humanarum rerum revolutione, compellitur, stimulis vexatur. Advertit insidias veneris, cùm oculis caruit, victor Leonis à lupa superatus, agnoscit simul justissimam in

Samson captus ac deceptus amore Dalilæ excæcatus cum philisthæis ruinâ obrutus moritur. Judic. 16.

se animadversionem divinam, pœnitentiam agit, præsentem calamitatem in satisfactionem offert pro peccatis, (P. Salian) in gratiámque Dei recipitur. Externa autem illa fortitudinis gratia paulatim cœpit cum capillis redire. Interim Principes Philisthinorum convenerunt in unum, ut immolarent hostias Dagoni Deo suo, epulis, lusibus, cantibus indulgentès in complimentum lætitiæ Samsonem adduci jusserunt, ut & ipse luderet, simúlque ab illis illuderetur. v. 25. *Qui adductus è carcere ludebat ante eos, fecerúntque eum stare inter duas columnas, qui dixit puero regenti gressus suos, dimitte me, ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & recliner super eas & paululum requiescam, domus autem erat plena virorum, ac mulierum, & erant ibi omnes principes Philisthinorum, ac de tecto & solario circiter tria millia utriusque sexûs spectantes ludentem Samson: At ille invocatô Dominô - - - - apprehendens ambas columnas: quibus innitebatur domus, alterámque earum dexterâ, & alteram levâ tenens ait: moriatur anima mea cum Philisthiim, concussísque fortiter columnis, cecidit Domus super omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat, multóque plures interfecit moriens: quàm antè vivus occiderat.* Mortem sibi sine peccato acersivisse Samsonem, plerique Sanctorum tradidère juxta S. Augustinum: ex speciali instinctu spiritûs Domini, quo adjutus tot patrabat miracula, hoc fecit. Deindè Samson non sibi manus injecit, sed Philisthæis hostibus publicis Domini, licèt per accidens cum illis passus fuit ruinam. Immò S. Paulus ad Hebr. 11. 32. Sanctis eum aggregat: *Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.* Nec deest de sanctis, ut advertit P. Salianus, qui eum martyrem vocet. Multi censent juxta Cornel. à Lapid. ex historia Samsonis, gentiles mutuatos esse gesta, fabulásque sui Herculis, cùm revera alius non fuerit Hercules. Ita D. Augustinus lib. de civit. c. 19. *Hebræorum Judex Samson, cùm mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules.* Non discrepat ratio temporum, gesta Herculis similia recensentur, ut Leonis occisio, duæ Herculis columnæ, apud Omphalem servitus, iteratæ per Thestium & Eumolphum expiationes, ac Eleusiniorum sacrorum initiationes, quid, nisi Samsonis pœnitudinem, sacríque Nazaræatus religionem, ac renovationem indicant.

Caput Undecimum.

De Heli & Samuelis Judicum gestis.

45. Annæ votum de Samuele & Heli censura 1. Reg. 1.

ANn. Mund. 2900. Anna Elcanæ uxor venit in Domum Dei in Silo, ibi oravit, & adjecit votum, scilicet, si impetraret filium, promisit Domino se illum divino famulatui perpetuò mancipaturam. Vovit autem sub conditione ratihabitionis tam parentis, quàm ipsius filii (P. Salian) postquàm juris sui factus fuisset: ad famulatum autem adjecit Nazaræatum, qui conservationem comæ, & abstinentiam à vino comprehendebat. Dum post epulas (nam etiam pars Sacrificii, quod Deo offerebatur, offerenti cum suis ad vescendum cedebat) ferventiùs orat Anna, ebria ab Heli, vel juxta Septuaginta, à servo ejus judicatur, quam illa censuram insigni patientia tolerat, & modestè refutat; quarè benedicit illi Heli; (quam mansueta injuriæ tolerantiâ benedictionem meretur) precatúrque vel prophetat fœcunditatem. Et sortita effectum benedictio, postquam abiit Anna ex Silo, sterilis licèt, concepit Samuelem, cujus ortus in Annum Mundi 2901. incidit.

Ann. Mund. 2903. Ablactatus Samuel, post duos annos ætatis & aliquot menses, vel (ut Cajetanus) triennis oblatus, educabatur sumptibus parentum à Sacerdotibus Sanctuarii, de quo dicebat Anna 1. Reg. 1. 28. *Idcircò & ego commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino.* P. Cornel. à Lapid. in hunc locum. *Commodavi id est tradidi, ut vertit Chald. Donavi, ut eum mihi Deus donavit, quasi dicat: Deus mihi illum dedit, quare & ego illum Deo reddo, & dedico.* Dedit insigne liberalitatis in Deum specimen Anna, quæ primogenitum Deo obtulit, qui brevi pro uno Samuele dedit illi tres filios, & filias duas. Ità liberalitatem in se humanam Deus rependit. Imitandum sanè parentibus Exemplum, qui non jacturam sed lucrum existimare debent, dum ad suum servitium in Religionem eorum liberos Deus vocat. Hortatur ad id eximiè mellifluus Doctor Bernardus Epist. 110. parentes alloquens: *Si filium vestrum Deus facit, & suum, quid vos perditis? aut ipse quid perdit? fit de Divite ditior, de nobili generosior, clarior de*

1.Reg.1.28.

Status Religiosus commendatur.

de illustri, &, quod his omnibus majus est, sanctus de peccatore. 1. Reg. 2. 26. *Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat & placebat tam Domino quam hominibus.* Rarissima sanè felicitas, cordi esse tam Deo quàm hominibus. Sub id tempus crescebat quoque filiorum Heli nequitia, ob quam nec Deo placebant, nec hominibus; sacrificia per vim rapiebant, nec rapinâ contenti, in scandalosam diffundebantur libidinem.

1. Reg. 2.

Ann. Mund. 2911. Molliter nimìs, alioqui vir bonus Heli arguebat filios, qui dum nec Deum timebant. v. 25. *Non audierunt vocem patris sui: quia Dominus voluit occidere eos.* (P. Salian) ly *Quia* non causam, sed consecutionem significat. Accusant omnes Patres nimiam Heli in filios indulgentiam, quos levibus verbis pro grandibus delictis arguere satìs esse ducebat, cùm illos post objurgationem è conspectu suo ejicere, à ministerio templi excludere, Judicibus plectendos tradere, juxta legem Domini Deuter. 21. opportuisset. Ita sentiunt Hieronym. Theodoret. Chrysost.

Indulgentia nimia perniciosa. 1. Reg. 2.

Samuel quater à Domino vocatur. 1.Reg. 3.

Ann. Mund. 2913. Exactô duodecimô Samuelis annô, facta eidem Samueli apparitio, per evocationem dormientis intra septa Sanctuarii. Censetur autem Angelus vocem suam ità attemperâsse, ut Pontificis esse videretur vocatus igitur semel, iterum ac tertiò Samuel ad Heli venit, qui viarum Domini non ignarus dixit. v. 9. *Vade, & dormi; & si deinceps vocaverit te, dices: loquere Domine, quia audit servus tuus.* Abit puer, & dormit, *& venit Dominus, & stetit, & vocavit.* &c. *stetit*, apparens scilicet ei (P. Salianus) specie quadam aspectabili, & illustri, tum Samuel memor præcepti dicit: *loquere Domine* &c. Hic Dominus v. 11. *Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus* &c. ut contingit in clamore subito & vehementi. Per *verbum* verbera scilicet (juxta P. Salian) intelligitur clades, quæ post 26. annos contigit, in qua Arca Domini capta, Heli domus funeribus repleta &c. cujus rei conjicit causam Dominus in prætermissam ab Heli correptionem filiorum. v. 14. *Idcircò juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domûs ejus victimis & muneribus usque in æternum.* Pœna culpæ hic intelligitur (P. Salian) non culpa, quæ legitimo dolore expiatur, uti accidisse in Heli censetur: præclaram enim illam edidit vocem. v. 18. *Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat.* Quæ verba tanquàm à contrito corde & voluntati Dei conformi pro-

profecta, meruêre laudem, &, ut censetur, Heli veniam.

46. *Ann. Mund.* 2939. Philisthæi contra Hebræos insurgunt, permittente Deo, ac scelera filiorum Dei puniente. Pugnatum cum Philisthæis infeliciter, primo certamine cæsa v. 2. *Quasi quatuor millia virorum.* Secundo certamine v. 10. *Ceciderunt de Israel 30. millia peditum, & arca Dei capta est, duo quoque filii Heli mortui sunt Ophni, & Phinees.* Ubi hæc nuntiata in Silo, ex quo loco adducta fuit Arca Domini, & quò jam nunquam rediit, fit magna consternatio, ac mœror de capta Arca Domini.

Pœna peccati Philisthæi Hebræos cœdunt, arcam capiunt. 1. Reg. 4.

Præstolabatur mente præsaga infelicem nuntium Heli. v. 14. *At ille festinavit, & venit, & nuntiavit Heli* &c. v. 18. *Cúmque ille nominasset Arcam Dei (captam) cecidit de Sella retorsum juxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est.* Annorum 98. erat Heli, cùm extremum infelici casu clausit diem. Hic dies tot cladibus cumulatus à Judæis deinceps jejuniô celebratus est. Probabilior pia sententia Heli salvatum esse existimans, cùm multa pœnitentiæ ejus appareant indicia, secùs tamen dicendum de filiis Heli, cùm eos Gregor. Magnus in exemplum reproborum ponat. Nurus quoque Pontificis Heli prægnans audito infortunatô nuntiô subito dolore pressa peperit filium Ichabod, quem Abulensis ait mox cum parente extinctum.

Heli mors. 1. Reg. 4.

Ann. Mund. 2940. Fatis functô Heli, omnium oculi & affectus in Samuelem eximiis virtutibus conspicuum versi, electus Judex populi, fueritne simul Pontifex, controversum, affirmant Clemens Rom. Cyprian, Chrysost. August. negant alii apud P. Salianum. Hieronymus tamen in 1. ad Cor: vult Samuelem divinô privilegiô factum fuisse Sacerdotem, etsi non fuerit de familia Aaronis. Turbatissimus tunc fuit status Israelitarum, hac tamen calamitate pressi ab Idololatria recessêre. Redierunt interim Philisthæi post victoriam læti 1. Reg. 5. v. 2. *Tuleruntque Philisthiim Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon & statuerunt eam juxta Dagon.* Cúmque Deum suum Dagonem, quasi oblatione Arcæ honorare voluissent, & Deo Hebræorum insultare, postridiè inventus est Dagon pronus jacere in terra ante Arcam Domini, quasi invitus eam adorare cogeretur, in signum debellatæ à vero Deo Idololatriæ, sed mox alterum certamen cum Dagone; nam Sacrificuli hôc animadversô, honori Dei sui consulentes, antequàm casus ejus vulgaretur, restituerunt illum in locum suum. Sed ecce v. 4. *Die altera consurgentes invenerunt Dagon jacentem*

Arca Dagonem prosternit. 1. Reg. 5.

super

super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon & duæ palmæ manuum abscissæ erant super limen: porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Ita iteratus contra divina ausus majori pœna punitus. Porrò idolum istud Dagon (P. Salian) parte sui superiore speciem humanam referebat, pars verò ejus inferior erat in piscem deformata, & hæc pars in loco suo remanserat. Divulgata ignominia Dagonis, ac in posteros propagata, non audebant stulti Idololatræ limen templi sui pedibus attingere, sed transilientes transiliebant juxta septuaginta; nimirum saltu in fanum suum profani ingrediebantur, atque saltu iteratò discedebant, hacque ridiculâ cæremoniâ lapsus multorum, & cachinnus excitabatur.

Propter arcam retentam plagîs afficiuntur Philisthæi cámque remittunt. 1. Reg. 6.

Dum magnis plagis propter arcam retentam affligerentur à Deo Philisthæi, cum muribus & anis aureis (muribus enim & fœdô morbô puniebantur) consiliô suorum Sacerdotum, postquam 7. mensibus apud illos fuisset Arca Domini, eandem per vaccas lactentes, & novum plaustrum remiserunt. Fortuito eventui rem commiserant, arca plaustro imposita ab indomitis vaccis trahenda. Mirum, quòd indomita animalia sine rectore, quô opus erat, arcam trahebant, &, ut ait Theodoretus, arca illis pro onere erat, & auriga, ibant in directum per viam, quæ ducit Bethsames, & quidem istæ vaccæ vitulos habebant in stabulo, quorum mugitu retrahebantur domum, materno amore revocante, attamen incœptum iter non intermittebant. Rectè autem divina providentia deduxit Arcam in terram Bethsames, quæ erat urbs levitica. Porrò Bethsamitæ metebant triticum in valle, quod mense Majo ferè contigerat, & elevantes oculos viderunt arcam, quam globus Philisthæorum sequebatur, qui tamen pacificum suum adventum Bethsamitis testati. Porrò v. 14. *Plaustrum venit in agrum Josue Bethsamitæ, & stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plaustri, vaccásque imposuerunt super ea holocaustum Domino.* Quinam imposuerint, dubium, probabilius Philisthæi, quorum illæ res erant, victima enim hæc erat contra præceptum Mosaicæ legis, cùm lapis ille pro fanus altare non erat. Sequitur luctus Bethsamitarum ob curiositatem punitorum à Domino. v. 19. *Percussit autem de viris Bethsamitibus, eò quòd vidissent arcam Domini: & percussit de populo 70. viros, & 50. millia plebis, quòd vidissent*, id est, (P Salian) curiosè introspexissent in arcam Domini, ut ex Hebræo habe-

Bethsamitarum 70. ob curiositatem puniti. 1. Reg. 6.

tur, vel curiositate sola incitati, aut studiò cognoscendi, an aliquid Philisthæi abstulissent vel attulissent. Addit Josephus, non solùm visam, sed etiam profanis manibus tractatam, cùm sacerdotes non essent. Perculsi hac clade Bethsamitæ cives Cariathiarim advocarunt, ut arca ad illos deferretur.

Arca deducitur in domum Aminadab. 1. Reg. 7.

Ann. Mund. 2941. Traducta igitur in Cariathiarim Arca, ubi 50. annis mansit, donec à Davide aliò transferretur, inducta in domum Aminadab privati, cùm ibi sanctuarium non esset, ejus custodiæ præfectus Eleazarus filius Aminadab Levitæ. Sanctuarium quoque ex Silo monitu forte alicujus Prophetæ translatum in Nobe cum supellectili sua, scilicet mensa panum, candelabro &c. Hic in sanctuario ordinaria sacrificia fiebant, extraordinaria in Cariathiarim, ubi erat Arca. A morte Heli Samuel, ait Lyranus, per totum Israelem discurrebat, populum docebat, ad verum cultum reducebat. &c.

47.

Samuel Comitia celebrat, ubi facta abnegatio idolorum. 1. Reg. 7.

Ann. Mund. 2960. Sublatîs Idolîs, & inclinata totius populi in Deum voluntate, indixit Samuel generalia comitia in Masphat; ubi facta publica abnegatio Idololatriæ. Ibi hauserunt aquam, & effuderunt in signum effusi penitùs de corde amoris Idolorum, fecerunt quodammodò confessionem. v. 6. *Peccavimus Domino*, atque satisfactionis nomine obtulerunt jejunium. Ibidem *& jejunaverunt in die illa.*

Certiores facti Philisthæi de his comitiis, metuentes, ne Israelitæ illorum jugum excuterent, collecta festinè armatâ manu, adhæc comitia properant. Per subitos nuntios de adveniente hoste edocti Israelitæ, trepidant, ad Samuelem recurrunt, ut ad Dominum clamet. Is non solùm oravit, sed & holocaustum obtulit. v. 9. *Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino.* Et verò instant Israelitis Philisthæi, sed Dominus obstitit cæco furori. v. 10. *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israel.* Ità non solùm jugum excussêre Israelitæ, sed etiam aliquot civitates proprias ductu Samuelis recepêre, pax cum Philisthæis confecta. Quâ constitutâ meliùs administrabat Rempublicam Samuel, at filii ejus in finibus Regni constituti Judices, haud rectè munus suum gessêre. 1. Reg. 8. 3. *Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus, sed declinaverunt post avaritiam, acceperúntque munera, & perverterunt Judicium.* Hic videmus, quàm non quilibet filius Patris gloriosa assequitur

Corruptione Judices filii Samuelis infames. 1. Reg. 8.

tur vestigia, dúmque hæc vitat, deviat & aberrat. Pessimè munus Judicis tolerârunt, qui munera acceptâvere; perversum Judicium, quod corruperant munera & gravârant.



Liber quintus.

Æætas Mundi Quinta, quasi Virilis Regum Hebræorum.

Terræ Sanctæ Summaria Geographica Descriptio.

48.

Terra Sancta, quæ à parte sui, quam Palœstini incolebant, & Palœstina dicitur, à Seor monte, & mari mortuo, sive salso, seu lacu Asphaltidis, ubi quondam erant urbes Sodoma, Gomorra &c. Extenditur à meridie ad septentrionem versus montem Libani, à gradu latitudinis 31. ad 34. & $\frac{1}{2}$ ad milliaria germanica circiter 50. ab ortu versus occasum ad 30. milliaria germanica circiter protenditur. Urbs ejus principalis Hierosolyma sub gradu circiter 32. elevationis poli, aut latitudinis consistit. Habitabatur olim 7. populis, Amorrhæis, Chananæis, Gergezæis, Hethæis, Hevæis, Jebusæis, & Pherezæis. Posteà divisa fuit in Galilæam, Samariam, Judæam, & Judumæam, quæ dicitur Edom. Palœstina vocatur à Palœstinis populis, qui partem ejus incolebant, quos sacra scriptura vocat Philisthiim.

Deut. 7. v. 1.

Reges Hebræorum ante ſciſſum Regnum. Ex Moreri Dictionario.

1. SAul regnavit ann. 18. 2. David reg. ann. 42. 3. Salomon regnavit annis 40.

Reges Hebræorum poſt ſciſſum Regnum.

Reges Judæ.

1. ROboamus regn. ann. 17. 2. Abiam reg. 3. 3. Aſa reg. 41. 4. Joſophat. regn. ann. 25. 5. Joram reg. 6. 6. Ochozias 1. 7. Athalia. 6. 8. Joas. 40. 9. Amaſias 29. 10. Ozias. 52. 11. Joatham 16. 12. Achaz. 14. 13. Ezechias. 29. 14. Manaſſes. 55. 15. Amon. 2. 16. Joſias 31. 17. Joachaz aut Selom menſibus 7. 18. Joakim 11. 19. Jechonias 3 Menſibus. 20. Sedecias aut Mathanias. 11.

Reges Iſraelis.

1. JEroboam regnavit ann. 21. 2. Nadat. 1. 3. Baaſa 23. 4. Ela 1. 5. Zambri aut Zimri 7. diebus. 6. Amri. 11. 7. Achab. 21. 8. Ochozias. 1. 9. Joram. 12. 10. Jehu 28. 11. Joachas. 16. 12. Joas. 16. 13. Jeroboam 2dus 41. Interregnum 11. Annis. 14. Zacharias 6. menſ. 15. Sellum 1. menſe. 16. Manachem 10. aut 13. dies. 17. Phaceas. 2. 18. Phacee 20. 19. Oſee 18. 20. Herodes Aſcalonites. 40. 21. Archelaus 6. aut 10. Romanis poſtea ceſſit Regnum Hebræorum.

Caput primum.

De Saulis Unctione, Electione in Regem &c.

Regem volunt Iſraelitæ. 1. Reg. 8.

ANn. Mund. 2962. Cùm 20. annis onus adminiſtrandæ Reipub. ſuſtinuiſſet ſolus Samuel, tandem bonos filios quaſi coadjutores ſibi adſcivit, ſed gubernationem illorum, haud probando populus, immò & majores natu Iſraelis congregati in Rhamata petierunt Regem. 1. Reg. 8. v. 5. *Ecce tu ſenuiſti, & filii tui non ambulant in viis tuis, conſtitue nobis Regem, ut judicet nos, ſicut & univerſæ habent nationes.* Et verò callida petitio, cum laude Patris jungunt filiorum vituperium, ut ſi fortè offenderetur filiorum perſtrictione, ſui encomiô placaretur, & quamdam ſui exauthorationem minùs acerbô animô ferret. Quo pactô non ſolùm Samueli, ſed Deo ipſi fuerunt ingrati & injurii Deo, quod ſe ex immediato ejus regimine ſubducerent, Samueli, quia tot ejus meritorum obliti, nec filiis ejus ad emendationem dant ſpatium. Æquô nihilominùs animô vir Sanctus Samuel tulit injuriam, ad Deum recurrit. v.

1. Reg. 8.

7. *Dixit autem Dominus ad Samuelem: audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi, non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Annuit quidem Dominus poſtulatis populi, eidem tamen perſuaderi vult, propoſito jure regio, ut ab intento deſiſtat. Propoſuit itaque Samuel jus Regis, enumeravit plura incommoda, & gravamina, quæ à Regibus ventura erant. Quod filios eorum facturus eſſet centuriones, tribunos, præcurſores quadrigarum, aratores, filias unguentarias, focarias &c. agros, oliveta opima accepturus, greges addecimaturus &c. Sítne juſtum hoc jus regis controverſum apud Cornel. à Lap. hìc. v. 9. S. Gregor. l. 4. c. 2. & S. Thom. l. 3. de regim. Princ. cenſent jus eſſe juſtum non abſolutè, ſed reſpectu hominum proclivium ad mala, ut hoc jus ſit frœnum, & pœna cupiditatis. Alii hoc jus cenſent iniquum, ut pro libitu filios, ac filias, agros &c. abripiat, & ideò puniti Achab, & Jezabel. Quarè Deus hoc jus non ſancit, nec approbat, ſed prædicit, ejus acerbitatem proponit, & graphicè

phicè describit. Porrò verum, æquúmque jus regis fidelibus imperaturi describit Deus per Samuelem 1. Reg. 10. 25. & Deut. 17. Seneca Philos. l. 1. de Clem. c. 18. *Non civium servitutem Regi traditam, sed tutellam* & cap. 19. *Rempublicam non esse Principis sed Principem Reipublicæ.*

v. 19. *Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: nequaquam, rex enim erit super nos, & erimus nos quoque, sicut omnes gentes, & judicabit nos Rex noster, & egredietur antè nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Retulit dicta populi domino Samuel, cui Dominus. v. 22. *Audi vocem eorum, & constitue super eos regem.* Tunc v. 22. *ait Samuel ad viros Israel: Vadat unusquisque ad civitatem suam.* Quasi dicat (P. Salian) confecta res est, eritis voti compotes, primo quoque tempore dabit vobis Deus regem. Intereà Dominus secretò Samueli Saulem declaravit, & ab eodem seorsim ab omnibus ungendum curavit, deindè in comitiis per sortitionem manifestum reddidit.

Saul quærendo asinas Regnum invenit. 1. Reg. 9.

Fuit Saul ex tribu Benjamin: hic, dum asinæ Patri ejus Cis perierint, easdem quærendo divinâ providentiâ Regnum invenit. Porrò venit is in urbem, ubi erat Samuel Propheta; hunc primò adire non ausus, urgente licet famulo, quæsiturus de perditis asinis, eò, quòd non haberet, quod honoris causâ offerret viro Dei, sed mox inventa in manu famuli quarta pars stateris ad offerendum. Quarè ascendit Saul cum famulo ad civitatem, cúmque pervenissent ad medium, occurrit illis Samuel. v. 17. *Cúmque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi, ipse dominabitur populo meo.* Ubi autem propiùs accessit Saul ad Samuelem, dixit v. 18. *Indica, oro, mihi, ubi est Domus videntis.* v. 19. *& respondit Samuel Sauli dicens: Ego sum videns, ascende ad me in excelsum, ut comedatis mecum hodiè, & dimittam te manè, & omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi.* Dixit deindè Samuel causam Sauli, ob quam se in viam dederat. v. 20. *Et de asinis, quas nudius tertiùs perdidisti, ne solicitus sis, quia inventæ sunt.* 1. Reg. 9. Deindè de Principatu illi innuit: v. 20. *Et cujus erunt optima quæque Israel? nonnè tibi, & omni domui Patris tui.* Hic tamen non intendit dicere illi licitum fore pro placito quæque cuique accipere vi juris regii, sed quòd omnes populares suos antecessurus sit divitiis, honore &c. (P. Salian) facilè intellexit Saul, obscurum licèt, de regno Sermonem, quòd propinqua Regis creatio omnium tunc Sermonibus jactabatur. Utque conjecturam daret Samuel, in capite om-

nium

nium invitatorum, qui erant quasi 30, collocavit Saulem, & præ reliquis specialiùs tractavit. Post convivium locutus est cum Saule in solario ea, quæ ad Dei timorem &c. pertinebant. v. 25. *Stravítque Saul in solario, & dormivit:* v. 26. *Cúmque manè surrexissent, et jam illucesceret, vocavit Samuel Saulem in solario dicens: Surge, & dimittam te. Et surrexit Saul: egressíque sunt ambo, ipse videlicet & Samuel v. 27. cúmque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero, ut antecedat nos, & transeat: Tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini:* Voluit scilicet semotô arbitrô loqui.

49. Saulis unctio in Regem. 1. Reg. 10.

Unxit deinde secretò Samuel Saulem, non tamen existimandum in via, sed in aliquo idoneo loco, extra conspectum hominum, ne fortè advertens aliquis Core insurgeret, populúmque tumultu repleret. 1. Reg. 10. 1. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super Caput ejus, & deosculatus est eum, & ait: Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus.* Lenticula olei erat vas unguentarium ex lentis figuraità nuncupatum, quod quidam aureum, alii argenteum, alii eburneum existimant fuisse (P. Salian.) Extraordinarii Reges, uti fuit Saul, David, Jehu, Azael, à prophetis inungebantur, quibus nota erat extraordinaria Dei voluntas; ordinarii verò principes, puta ex successione legitima à Summo Pontifice initiabantur, & quidem oleô sacrô, sive unguentô artificiosè compositô, quo ipsi quoque Pontifices atque Sacerdotes & vasa aurea inungebantur. Dicti autem Reges videntur inuncti communi oleô, quamvis ex tempore à Propheta consecratô. Certè oleum sacrum diligenter in sanctuario conservabatur, nec inde petere ad secretam unctionem sine multorum suspicione licuisset. Osculatus est Samuel Saulem, non solùm in signum benevolentiæ, sed etiam divini amoris, fuit enim tunc Saul in gratia. Et quoniam osculum est signum pacis, hôc etiam osculô significari vult Gregorius à P. Saliano citatus. Ad Regis officium pertinere, pacem Deum inter & homines conciliare cum populo suo. &c. Antequam dimisisset Samuel Saulem, ad insperatam dignitatem attonitum, prædixit illi signa tria, scilicet occursuros illi duos viros nuntiaturos inventas asinas, Item tres viros, quorum unus tres hœdos, alter tres tortas panis, tertius lagenam vini portaret. Tandem occursurum gregem Prophetarum, cum quibus ille prophetaret,

&

& mutaretur in virum alium.

Reg. 10. v. 9. *Itáque cùm avertisset humerum suum, ut abiret à Samuele, immutavit ei Deus cor aliud.* Id est interprete Theodoreto, cùm priùs fuisset ingeniô, ac moribus rusticanis, spiritum regium accepit, spiritum fortitudinis, latitudinis cordis &c.

Evenêre deinde prædicta signa, Saul insiliente in illum Spiritu Dei prophetavit. Undè proverbium v. 11. *Num et Saul inter prophetas.* Cornel. à Lapid. in 1. Reg. 10.9. Is etiam afflante spiritu Dei, easdem laudes Deo cecinit, quas ceteri prophetæ canebant. Cessante autem influxu illo prophetico cum prophetis ascendit in excelsum, unde illi venerant, gratiásque Deo egit. Domum reversus illa solùm, quæ non erant arcana, uti de asinis, de prophetæ humanitate dixerat, quæ tamen ad regnum pertinebant, hæc ille vel invidiæ metu, vel propria demissione vel secreti fidelitate texit. Optimâ sanè providentiâ abditos sensus, velut gemmas, ídque coronæ, obvolvit silentio, & imô pectore conservavit.

Saul sorte eligitur. 1. Reg. 10. *Ann. Mund.* 2963. Agitata, magnâ tribuum frequentiâ, ut fit in re nova, ex indictione Samuelis, in Masphat Electionis Regis comitia: probabile est, juxta traditionem Hebræorum, quam probat Hieronym. allatam illuc fuisse ad breve tempus Arcam Domini. Inter Congregatas tribus adfuit tribus Benjamin, quâcum aliæ tribus, ac familiæ nobiliores, ac populosiores essent, nunquam Samuel & Saul, qui te tribu Benjamin fuit tantæ invidiæ ferendæ pares fuissent, nisi Deus ipse, qui sortes erat temperaturus, quem ipse elegisset in regem, sortitione minimè suspecta patefecisset.

Hæc porrò Sortitio hoc modô contigisse censetur (P. Salian) divisæ fuerant tribus; singularum tribuum nomina in chartulis æqualibus scripta; fuerunt chartulæ 13. complicatæ, hæ conjectæ in sinum vel urnam, qua aptata, in omnium oculis, puerulus aliquis innocens, ut fit, jussus unicam ex omnibus Schedulam educere, Benjaminiam tribum eduxit. In tribu deindè Benjamin simili ratione familia metri, in hac domus Cis, in eáque persona Saulis educta est. Dúmque Saul non 1. Reg. 10. appareret, rei futuræ utique conscius. v. 21. *Quæsierunt ergò eum, & non est inventus.* Et consultô à Samuele Dominô, an quærendus esset, & ubi, & an ultrò venturus, respondit Dominus illum domi latere inter vasa. Itaque inventus in domo Patris Cis, deducitur ad comitia, stetítque in medio populi, & apparuit staturâ tam excelsa, ut universos toto capite superaret. v. 23. *Altior fuit universo populo ab humero & sursum.* Facta acclamatio plaudentium, vitam precantium v. 24. *Vivat Rex.* Credibile (P. Salian) additam novam inunctionem, etiam oleô Pontificiô è proxima Nobe petitô, illámque unctionem à Samuele quoque peractam existimat Sulpitius. Habita à Samuele oratio, in qua & officium Regis erga subditos, & horum erga regem reverentia exponebatur, ut vult Gregor. Mag. in 1. Reg. c. 10.

His peractis dimittuntur comitia, redit Saul domum in Gabaa, ibíque penè ad privatam vitam rediit, ut, qui post unum mensem, boves de agro revertentes sequeretur. At extiterant quidam filii Belial improbi scilicet, & ad seditionem parati, qui dixerunt v. 27. *Num Salvare nos poterit iste? & despexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ille verò dissimulabat se audire.* Nec postea, obtentâ de hoste victoria, ultus injuriam, instigantibûs licet amicis. Et verò in Exordiis regni Serenissimum Saulem ostendit mansuetudinis virtus, qui non in fulgura prorupit, & fulmina contra refractarios, sed præcipua regentibus arte dissimulavit injuriam, & speciali moderamine animi, quam exercere posset, cohibuit vindictam.

Caput secundum.

De gestis Saulis ante inunctionem privatam Davidis in Regem.

50. Naas Rex Ammonitarum dextros oculos exigit, at vincitur á Saule. 1. Reg. 11.

OBlata novo Regi belli materia. Naas Rex Ammonitarum Jabesitas invasit, tantâ audaciâ & fiducia, ut servitutem tributariam respueret, sed oculos dextros omnibus civibus eruere vellet. v. 2. *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, námque vos opprobrium in universo Israel.* Voluit eruere dextros oculos, ut illos ineptos bello redderet, quemadmodùm vult Josephus. Pulchrè in tropologico sensu expendit id D. Gregor. Naas (hebraicè idem quod *serpens*, diabolúmque designat) dextros oculos suorum eruit,

quan-

quando abstinentibus, à se devictis, sic per gulam prævalet, ut carnalia sola cupiant, & spiritualia, quæ amare solebant, non attendant. S. Nilus in ascetico. Naas Ammonites, qui serpentem significat, Israeli perspicaci omnem oculum dextrum effosurum se minatur, ut nulla dextra cogitatio, ad ullam dextram actionem dirigatur.

Bonam intentionem Dæmon depravat.

Voluit insuper Naas (P. Salian) hac ignominiosa excæcatione Jabesitas ceteris Israelitis propinare deridendos. Infensus autem erat præcipuè Jabesitis ob specialem aliquam injuriam ab illis, Ammonitis verbô vel factô irrogatam. Impetrârunt tamen Jabesitæ 7. dierum inducias, ut tantæ rei nuntius posset omnes tribus percurrere. Acceptô nuntiô Saul, cùm insilivit in eum spiritusDomini, ut habetur v. 6. v. 7. *Assumens utrumque bovem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum dicens: quicunque non exierit, & secutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus ejus. Invasit ergò timor domini populum, & egressi sunt quasi vir unus.* Hæc pœna nec summa fuit, ne à principio severior videretur, neque exigua, cùm omnes ferè opes hujus populi gregibus armentisque constarent: prudenter quoque facta mentio Samuelis propter eximiam ejus authoritatem, & virtutem, faciliùs enim sequitur vulgus, si aliquis, quem sua fecit virtus illustrem, exempli boni facem præferat. Ad mandatum Saulis magna celeritate confluxit non contemnendus exercitus, ex sola tribu Juda 30000. bellatorum, de reliquis verò 300000. Saul itaque divisit has copias trifariam, hostem noctu iisdem circumdedit transitô in silentiô Jordane (quàm stupendum tantæ multitudinis Silentium) ac vigilia matutinâ ipse Saul in castra hostium irruit, cœdibus illa replevit, victus hostis, ità, ut nec fugam liberam, undique circumstantibûs copiis haberet. Ad mandatum Saulis uti promptè confluxerant, ità insignem sanè obtinuerant victoriam Israelitæ. v. 7. *Qui egressi sunt quasi vir unus*, nam hostes v. 11. *dispersi sunt, ità, ut non relinquerentur in eis duo pariter.* Sic obediens ductoribus concordia,hosti terribilis, triumphalem victoribus nectit coronam. Hâc obtentâ victoriâ, felici occasione usus, confirmationem sui in regno obtinuit Saul, persuadente id Samuele. *v. 14. Venite & eamus in Galgala, & innovemus ibi regnum.* Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino. Credibile est (P. Salian) adductam illuc fuisse ad hanc cæremoniam arcam

Samuel hortatur populum ad ad reverentiam, & obedientiam Regi præstandam 1. Reg. 12.

cam Domini. Ibi quoque Samuel verba ad populum fecit,docuit, peccâsse quidem populum, quod regem voluisset, hócque ipsum dictum prodigiô insolitô, scilicet subitô orto fragore nubium imbre, confirmavit. Cæterùm adhortatus ad servandam in posterum fidem regi, & obedientiam, ad timorem Dei. V. 24. *Igitur timete Dominum, & servite ei in veritate, & ex toto corde vestro. Vidistis enim magnifica, quæ in vobis gesserit. Quòd si perseveraveritis in malitia; & vos & Rex vester pariter peribitis.*

51. Saulis innocentia 1. Reg. 13.

Ann. Mund. 2964. Primum Saulis Regni biennium adeò intemeratum fuit, ut de illo dicatur 1. Reg. 13. v. 1. *Filius unius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit super Israel.* Sic enim erat innocens, quando regnare rœpit, ait Hieron. sicut est filius anni. Hanc expositionem amplectitur Gregor. Mag. Theodoretus, & Rupert. Quomodo autem duobus annis regnâsse dicitur, controvertitur ab authoribus apudCornel. à lap. Hebræi insedet, Arias &c. Censent Saulem per biennium duntaxat fuisse Regem, & in fine biennii in prælio occubuisse, verùm difficile creditu, Saulem biennio gessisse, quæ gessit.

Deindè S. Paulus Actor. 13. 21. videtur velle illum regnâsse annis 40. *Dedit illis DEus Saul --- annis 40.* Hos tamen annos varii variè inter Samuelem & Saulem partiuntur. Salianus Octodecim annos regimini ejus tribuit. Quarè putat Cornelius ly *duobus annis jungendum* cum sequentibus, & *elegit tria millia*, quasi dicat, inquit Genebr. *Cùm Saul regnasset duobus annis, elegit sibi tria millia* Tropologicè S. Gregor. *Licèt multis annis regnaverit, illis solis regnâsse dicitur, in quibus innocens ac humilis fuisse perhibetur. Et paulòpost. Illo ergò solùm tempore nos vixisse gaudeamus, quo humiliter & innocenter viximus, nam illa tempora, quæ in sæculi vanitate & fluxâ carnis vitâ consumpsimus, quasi perdita, minimè memorantur.*

Anni vitæ hi computandi, quibus innocenter, & humiliter viximus.

Visum deinde Samueli, populo, & Sauli, tria hominum millia retinenda, ac sumptu populi alenda, quo & securitati regiæ provideretur, & subitò hostium incursui occurreretur. Trifariam hoc suum præsidium divisit Saul, ex quo mille dedit Jonathæ Primogenito suo, in Gabaa tenendum, ubi etiam erat Præsidium Philisthinorum, quod Jonathas captato tempore ex integro delevit; & jam hoc fuit pacem cum philisthæis abrumpere, & jugum servitutis prorsùs excutere. Itaque Saul prævidens philisthæos ad arma convolaturos, ipse quoque classium canit, in Galgala populum convocat, illuc convocandum

dum in subito periculo à Samuele edoctus. Philisthæi vicissim ingentes copias contrahunt, etiam Tyriorum militibûs auctas. Dumque Israelitæ multò majores copias hostium animadverterent, è castris dilabi, quærere latebras cœperunt. Saul interim cum paucis residuus varia versat animô, cùm jam septimus esset dies, & Samuel quasi ex industria, in tantis rerum angustiis moram traheret in Rhamata; probabat scilicet hâc morâ Dominus, patientiam Saulis, & obedientiam in re aspera. At non exspectato adventu Samuelis Saul v. 10.

1. Reg. 13. *Obtulit holocaustum.* Cúmque complesset holocaustum, ecce Samuel venit, processit illi obviam Saul, cui ille. v. 11. *Quid fecisti?* quarè scilicet sacrificandi tempus prævertisti. Excusat se Saul, quòd dilaberetur populus, quòd non veniret ipsemet Samuel juxta placitos dies. Hîs tamen non obstantibûs dixit Samuel v. 13. *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui.* Cornel. à Lapid. ut scilicet expectares adventum meum per 7. integros dies, ac per me sacrificares, & consuleres Deum, ut tibi Deus per me præceperat. Ità Angelom. Abulens. Cajet. &c. v. 13. *Quòd si non fecisses, jam nunc præparâsset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum.* *In sempiternum* non absolutè, sed

Præcepta Dei non observare quàm perniciosum.

respectivè, quamdiu scilicet durabit Respublica, (Cornel. à Lap.) observat tamen Salianus, quòd non hæc adæquata causa fuit abdicationis à Domino Saulis, adhuc enim post hanc culpam Deus eum pro Rege habuit, spatium & occasionem benemerendi, ac oblitterandi priorem notam dedit.

Vix autem 600. cum Saule in castris remanserant, nec inveniebatur gladius & lancea in manu totius illius populi, puta illorum sexcentorum, præterquàm Saulis & Jonathæ, mirabili planè Dei consilio factum, quòd omnes armati ex castris dilapsi fuerint inermibus relictis, quò magis Deo tribueretur victoria. Isti Sexcenti carebant licèt gladiis & lanceis, non carebant tamen missilibus, si eminùs, nec stipitibus duris, sudibúsque præustis, si cominùs res ageretur. 52.

Interea Philisthæi consederant ad Machmas, & Gabaa, ubi ingenti ausu extitit celebris Jonathas Saulis filius, is animadverso loco in castris hostilibus, aditûs propter prærupta difficillimi, exindéque minimè suspecti, credibile instinctu divino, non delata re ad Patrem & Seniores, unô stipatus famulô exercitum hostilem aggreditur. Voluit tamen priùs, ex verbis illorum, divinæ voluntatis captare indicium, dixitque: v. 8. *Ecce nos tran-*

Jonathæ ingens ausus, unô stipatus famulo castra hostium invadit. 1. Reg. 14.

transimus ad viros istos Cúmque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos: manete, donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint: ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. Cúmque excubitores Philisthæorum dixissent. v. 10. *Ascendite ad nos.* Ascendit ad eos Jonathas v. 13. *Manibus ac pedibus reptans.* Mysticè S. Gregor. *In manibus opera solent significari, reptat manibus pastor, quandò peccatoribus viam non præfert Sapientiâ verbi, sed exemplô conversationis.* Credibile (P. Salianus) Summô manè, jam enim conspici poterant â dicentibus. v. 11. *En hebræi egrediuntur de cavernis, in quibus absconditi fuerant.* Nihilominùs Jonathas & armiger ejus Philisthæos vigiles invadunt, cœdunt proximos quoque. v. 14. *Percussit Jonathas & Armiger ejus quasi viginti virorum in media parte jugeri, quam par boum in die arare consuevit.* Cornel. à Lapid. *Hoc est brevissimo terræ spatio - - - quasi dicat, unitos occidit, non palantes, & sparsos: dicit hoc, ut augeat miraculum Dei & fortitudinem Jonathæ.* Facta divinitùs consternatio in castris, turbati hostes ipsi sibi manus inferebant. Saul re cognita, etiam pro Jonatha, quem abesse didicerat, solicitus, classicum canit, congregantur ad eum Israelitæ etiam illi, qui

Exemplum bonum ad ardua excitat.

fugerant, ad 10000. collegit hominum, ita etiam ignavi in prosperis audent: Jejunium ad vesperam indixit, hostium tergo institit, ac maximâ plagâ percussit. Jejunium illud interdixerat, gravissimâ maledictionis pœna interminata, quod cùm non ritè observaverit Jonathas, morti à Patre fuerat destinatus; qui non omninò inculpabilis censendus (P. Salianus) nam & divina sors illum culpabilem ostendit, & Dei non respondentis silentium, & totius populi abstinentis exemplum, & publica filii, de patris lege coram populo obmurmuratio. Ita sensêre S. Chrysost. Tertullian. Ambros. Gregor. laudat S. Ambrosius Zelum Saulis, *videte quanta apud Saulem Regem fuerit Religionis observantia, qui offensum Deum optavit, etiam parricidio mitigare.* Inclinante in vesperam die, cessatur à persecutione hostis; populus illegitimè ex bobus, ovibus, &c. in terra dissectis, non expresso benè sanguine cibum sibi parat, dissimulavit tamen Dominus delictum fracti laboribus populi. v. 35. *Ædificavit autem Saul altare Domino* in gratiarum actionem scilicet: dúmque sumptâ refectione populus hostem persequi desiderat, Saul interim per Pontificem consulere statuit, quid facturus esset. v. 37. *Num persequar Philisthiim? si tra-*

Religionis observantia in Saule. 1. Reg. 14.

des

des eos in manus Israel? & non respondit ei in die illa. Non dubiò iræ vel offensionis signo. Quare vehementer commotus Saul, causam inquirit, paratus Deo, quantovis cum damno suo satisfacere. v. 39. *Vivit Dominus Salvator Israel, quia si per Jonatham filium meum factum est, absque retractatione morietur.* (P. Salian.) negari non potest, ingentem fuisse hunc zelum, sed fatendum quoque est, hoc jusjuarndum inconsultum fuisse ac præceps. Quòd autem nemo contradixit è populo, id fuit signum non approbantis, sed altô silentiô trepidantis populi, sorte enim inquirebatur reus, quæ sors Jonatham ostendit. v. 43. *Dixit autem Saul ad Jonatham; indica mihi, quid feceris, & indicavit ei Jonathas, & ait: Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce morior. Et ait Saul: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Jonatha.* Septuaginta addunt, *Hodiè.* His dictis confirmavit Juramentum Saul, sed populus conatibus ejus obstitit. v. 45. *Dixítque populus ad Saul: Ergóne morietur Jonathas, qui fecit salutem hanc magnam in Israel, hoc nefas est, vivit Dominus, si ciciderit capillus de capite ejus, quia cum Deo operatus est hodiè.* Ità Jusjurandum jusjurando oppositum, & quidem mortifero salutare. Cùm ergò vis parata

Jonathas periclitatur de vita ob non servatum jejunium. 1. Reg. 14.

videretur, cessit Saul non invitus postulatis populi. Eâque vi, se religione solutum interpretatus, fortasse (P. Salian) & pontifex præsens irritum jusjurandum declaravit. v. 45. *Liberavit ergò populus Jonatham, ut non moreretur.* Recessit igitur Saul versùs Gabaa, nec persecutus est Philisthæos, veritus, ne Dominus, qui in proximo silentio signum dederat offensionis, victoriam victis daret. Ità periclitatus est Jonathas, quòd non satis præceptum Patris de jejunio observasset. In quanto salutis versantur periculo, qui matris Ecclesiæ, idque pervicaciter de servandis jejuniis negligunt, immò contemnunt mandatum. At verò opponunt jejunio fautores abdominis hæretici illud Matth. 15. v. 11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* At carnes intrant in os, ergo &c. Sanè, si Adam & Eva scivissent hunc modum argumentandi, potuissent tam rotundè juxta adversarios de suo pomo discurrere. Nec satis sobriè syllogismus procedit, qui favet etiam Ebriosis, de quibus tamen Sanctus Paulus 1. Cor. 6. v. 10. *Neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Respondendum deinde directè: in cibo & potu sumendo duo spectari possunt, 1. Ipse cibus & potus secundùm natu-

1. Reg. 14.

naturam & substantiam suam. 2. Animus sumendi cibum & potum. Igitur cibus & potus primò modô sumptus non coinquinat hominem, cùm sit creatura Dei, nam Tim. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* At animus sumendi potest coinquinare, idque dupliciter. 1. Si sit animus intemperans, qui desiderat plus cibi aut potûs, quàm ratio præscribit, & sic coinquinantur ebriosi, gulosi &c. 2dô: si sit animus inobediens, qui contra Dei vel Ecclesiæ præceptum desiderat cibum & potum, sic Adam & Eva coinquinati, sic coinquinantur hæretici diebus prohibitis esu carnium.

Ann. Mund. 2965. Quæ sequentibûs annîs Saulis auspicio pro Republica acta sunt, brevibûs scriptura expedit: v. 47. *Et Saul confirmatô regnô super Israel pugnabat per circuitum adversus omnes inimicos ejus, contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & reges Soba, & Philisthæos, & quocunque se verterat, superabat.*

Varia Saulis felicia bella 1. Reg. 14.

Sub hæc tempora contigisse fertur Rubenitarum, cæterorúmque Israelitarum, qui trans Jordanem manebant, de Agareis victoria. 1. Paralip. 5. v. 10. *In diebus autem Saul præliati sunt contra Agareos, & interfecerunt illos, habitaverúntque pro eis in tabernaculis eorum.* Insignem hanc obtulit victoriam Deus, in auxilium vocatûs. v. 20. *Traditique sunt in*

Victoria insignis Rubenitarum &c. quia Deum invocaverunt. 1. Paralip. 5.

manus eorum Agarei (id est Saraceni P. Cornel. à Lapid.) *& universi, qui fuerant cum eis; quia Deum invocaverunt, cùm præliarentur, & exaudivit eos, eò quòd credidissent in eum. Ceperúntque omnia, quæ possederant, camelorum 50000. & ovium 250000. & asinos 2000. & animas hominum 100000. vulnerati autem multi corruerunt, fuit enim bellum Domini.*

Ann. Mund. 2968. Circiter demandatur divinitùs Sauli bellum contra Amalecitas, qui latronum more invadebant Israelitas, præceptum autem tale fuit. v. 3. *Nunc ergò vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus, non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum atque lactentem, bovem & ovem, camelum & asinum. Præcepit itáque Saul populo, & recensuit eos, quasi agnos ducenta millia peditum, & 10. millia virorum Juda.* Monuit simul Saul Cinæos, viros religiosos, ab Amalecitarum moribus alienos, qui seorsim à populo in desertis locis habitare solebant, ut è medio Amalecitarum emigrarent, ne belli incommoda paterentur. Apparet hanc monitionem licitam fuisse, cùm à Propheta non vituperetur. Affecit itáque Saul horrenda clade Amalecitas. v. 7. *Percussítque Saul Amalec - - - & apprehendit Agag Regem Amalec vivum: Omne autem vulgus interfecit in*

53. Saulis bellum contra Amalecitas. 1. Reg. 15.

in ore gladii. Servavit Agag, ut duceretur in triumphum, advertente S. Gregorio, vel miſericordia motus ſuper conditione perſonæ. v. 9. *& pepercit Saul & populus Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum & veſtibus, & arietibus, & univerſis, quæ pulchra erant, nec voluerunt diſperdere ea, quidquid verò vile fuit, vel reprobum, hoc demoliti ſunt.* Ideóque exturbavit eos Dominus, imprimíſque Saulem, qui ſervando Regem Agag præivit malo exemplo toti populo. Poſt victoriam Saul venit in Carmelum, ubi *erexit ſibi v. 12. fornicem triumphalem*, in monumentum victoriæ, indéque ſacrificiorum gratiâ deſcendit in Galgala. v. 12.

Præceptum Domini prævaricatus Saul fruſtra ſe excuſat. 1. Reg. 15.

Venit ergò Samuel ad Saul, & Saul offerebat holocauſtum Domino, de initiis prædarum, quæ attulerat ex Amalec. v. 13. Et cùm veniſſet Samuel ad Saul, dixit ei Saul: benedictus tu à Domino, implevi verbum Domini, dixítque Samuel. v. 14. Et quæ eſt hæc vox gregum, quæ reſonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio? v. 15. & ait Saul: de Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ovibus, & armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo, reliqua verò occidimus. Excuſavit ſe Saul, quæſivítque prætextus nequitiæ, devolvebat in populum culpam, cujus ipſe author extitit, ſed ſapientiam mundi in illo refutavit Samuel. v. 22. *Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potiùs, ut obediatur voci Domini? melior enim eſt obedientia, quàm victimæ.* Subjungit deindè debitam ſceleri pœnam Samuel v. 23. *Pro eo ergò, quòd abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus, ne ſis Rex.*

Propter inobedientiam Saul regnum amittit, & quô modò 1. Reg. 15. 54.

Oritur hìc Quæſtio digniſſima, num ſic abjectus à Domino Saul penitùs Rex eſſe deſiit? Reſpondet P. Salianus: Saulem hac Dei ſententia rejectum amiſiſſe jus regni, dicitur enim in præſenti. Abjecit *ne ſis.* Regni tamen poſſeſſionem non amiſiſſe, quia nullus erat alius Rex à Deo vel Republica conſtitutus, ipſe etiam ſe ſpoliare dignitate non tenebatur. Et conveniens fuit communi bono, retineri ab eo poſſeſſionem regni, quâ ſine graviſſimis turbis ſpoliari non poterat, neque dandum erat exemplum poſteris inſurgendi in reges ſuos quocunque prætextu. Adde, quòd David, quem Deus regno deſtinaverat, adoleſcentulus erat, regni ergò Procurator fuit Saul, & Davidis Vicarius dici potuit. Huic ſententiæ favere videtur S. Chryſoſt. de David cum Goliath dicens: Saulem regem putari, Davidem verò eſſe.

Alii exiſtimant, Saulem nunc privari regno, quaſi in actu primo, non ſecundo, hoc eſt poteſtate regia illum dejici, ſed permitti tamen illi ipſius uſum & adminiſtrationem, aut potiùs denuntiari illi privationem regni, cujus privationis realis executio paulò poſt facienda erat in ejus clade & morte. Nam Saulem manſiſſe Regem usque ad mortem patet 1. quia continuò regnum gubernavit. 2. quia populus eum pro Rege habuit. 3. Quia David ſemper profeſſus Saulem eſſe Regem. Nec aliud voluit citatus Chryſoſtomus dicens Davidem Regem eſſe, ſcilicet à Deo deſignatum, ut Sauli abdicato, morienti ſuccederet, ac regnum in poſteros transmitteret.

Denique ipſe Samuel poſt hanc regni privationem Sauli regium honorem detulit, eúmque ut Regem ſecutus eſt v. 23. Quòd ergò ait Samuel *abjecit te, ne ſis Rex*, hoc eſt abjecit te, ne diu in regno perſeveres, brevi regnum cum vita amittes, non tui, ſed Davidis poſteri in Regnum ſuccedent.

Pœnitentia propter temporalia non proficua. 1. Reg. 15.

Poſtquàm verò Saul intellexit peccatum ſuum longè opinione ſua majus, ſive ex ipſius natura, ſive ex pœna, dixit: v. 24. *Peccavi, quia prævaricatus ſum Sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum.* Cur tamen illi pœnitenti non dictum, ſicut Davidi: *tranſtulit Dominus peccatum tuum.* Nimirùm (P. Salian) non ingemuit à ſe offenſum tam bonum Dominum, ſed timuit duntaxat pœnam, vel illum ad pœnitentiam deduxit timor pudoris, & ignominiæ publicæ, ſi fortè Samuel, uti privatim cœperat, eum coram Senioribus populi argueret, & regnô excidiſſe diceret, eóque teſtimonio, ut erat ſummæ in populo authoritatis, eundem ab ipſo averteret. Hinc illud. v. 25. *Sed nunc porta quæſo peccatum meum, & revertere mecum* (ſcilicet ad populum, à quo paulò ſeceſſerant) *ut adorem Dominum*, ſed noluit Samuel, tanquàm cum excommunicato ſacrificare, aut orare, conversúsque eſt, ut abiret domum, tunc Saul v. 27. *Apprehendit ſummitatem pallii ejus, quæ & ſciſſa eſt* (ea vis non tribuitur Sauli, cùm fuerit quaſi inter neceſſarios) *& ait ad eum Samuel, ſcidit Dominus regnum Iſrael à te hodiè, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Voluit ſcilicet Dominus hanc ſciſſionem accipi, ut ſignum ſciſſionis regni.

Inſtitit nihilominùs Saul humiliter. v. 30. *Peccavi, ſed nunc honora me coram Senioribus populi mei.* Ne igitur in deſperationem ageret regem. v. 31. *Samuel ſecutus eſt Regem.* Adorante autem Saule Dominum, jubet Samuel ad ſe adduci Amalecitarum regem Agag, nihil reſiſtente aut deprecante pro illo Saule. v. 32. *Et oblatus eſt illi Agag pinguiſſimus & tremens, & dixit Agag: ſiccinè ſeparat amara mors. v. 33. & ait Samuel: ſicut fecit*

Agag Rex à Samuele occiſus pœnam talionis ſolvit. 1. Reg. 15.

absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua, & in frusta concidit eum Samuel. Non per se, ut vult Serarius, sed dissecari illum jussit in frusta membratim Samuel, ità P. Salian. P. Cornel. à Lap. *siccinè separat amara mors*, quasi dicat (P. Cornel. à Lap.) ô quam amara est mihi delicato, & in deliciis enutrito ista mors. Hoc est, quod ait Ecclesiasticus: 41. *O mors quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, & cujus viæ directæ sunt in omnibus.* Tropologicè S. Gregor. *recens conversi, dum à solitis suis voluptatibus separantur, dolorem instar mortis sentiunt, quia in eis carnalitas sine magna tribulatione minimè necatur. Quasi enim visis austeritatibus, quibus subdenda est,* dicit menti sensualitas sua: læta pro tam tristibus spernis?

Post hæc abiit Samuel in Ramatha v. 35. *Et non vidit Samuel ultrà Saul usque ad diem mortis suæ* (P. Salian: id est, non eum adiit officii causa, etsi postea casu obiter viderit) *verùmtamen lugebat Samuel Saulem.* (sed de immutabilitate sententiæ divinæ certior factus, prorsùs obmutuit, ne sciens, & prudens cum divina voluntate pugnaret.) *Quoniam Deum pœnitebat, quòd constituisset eum regem super Israel.* P. Salianus: pœnitere dicitur Deus, quia ità se gerit, ut homines solent, quos facti pœnitet.

Caput tertium.

De privata inunctione Davidis in Regem, & Saulis in eum favore, ac occultô odiô.

55. Inunctio privata Davidis in regem inter alios fratres minimi 1. Reg. 16.

ANn. *Mund.* 2969. Lata in Saulem abjectionis sententia ad inungendum alium regem jubet se accingere Samuelem Deus. 1. Reg. 16. v. 1. *Imple cornu tuum oleô, & veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi regem.* Ipsa verba abundantiam gratiæ dandæ Davidi demonstrant, *Imple*, non lenticulam, sed cornu, ut advertit Rupertus. Per cornu, vas scilicet solidum designatur soliditas regni futuri, sicut lenticula fragile Saulis designavit. Oleum non quidem sacrum: ex sanctuario enim sumendum esset, quod non la-

teret

teret Saulem, speciale tamen aliquod fuit, aliàs vulgare etiam in Bethlehem acquiri posset. Isai, seu alio nomine (Cornel. à Lapid.) Jesse vir primarius fuit de tribu Juda, ex cujus filiis providit sibi Deus Regem, *providi mihi*, quasi mortales Reges immortalis essent vicarii. v. 2. *Et ait Samuel, quomodo vadam, audiet enim Saul, & interficiet me.* Ergône Samuel à Saule, tot annorum familiaritate, & amicitia sibi conjunctô metuit? Non adeò fidendum etiam familiaribus, & amicis, quos inflat ambitio, & amittendi honoris metus exagitat. Dictis verbis non dubitat Propheta de protectione divina, sed modum quærit, qui illi offertur. v. 2. *Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices, ad immolandum Domino veni.* Hôc pactô & occultavit Samuel veritatem, quæ tegi potest, cùm eam revelandi, non subest necessitas, & mendacium non commisit, id enim verum erat, etsi primaria inungendi regis intentio taceretur. Pergit autem Dominus v. 3. *Et vocabis Isai ad victimam, & ego ostendam tibi, quid facias, & unges, quemcunque monstravero tibi.* Executus omnia juxta voluntatem Domini Samuel venit in Bethlehem, convocavit familiam Isai, jussit senem disponere ordine filios. Statuitur primô Eliabus, formâ, staturâ decorus, qui ad regnum natus videbatur, tunc Propheta v. 6. *Num Coram Domino est Christus ejus?* sed negavit Dominus, rectè autem putat Abulens: allocutionem hanc, Deum inter & Samuelem, externam fuisse, & utriusque vocem ad circumstantes pervenisse, ne electionem hanc audientes, non à Domino factam, sed à Samuele fictam arbitrarentur. Itaque fratres omnes cum Parente conscii erant electionis (P. Salian) tacebant tamen à Saule sibi metuentes, illorúmque intererat taceri rem. Sistuntur alii ordine, sed inter septem fratres, nullus adhuc fuit regno destinatus v. 10. *Non elegit Dominus ex istis.* Ventum ad octavum, qui evocatus è pascuis, ubi curam ovium gerebat. Ad simplicitatem enim illorum temporum referendum, quòd, etiam principalibus orti familiis oves pascebant &c. Tales quoque fuerunt Romani, de quibus Ovid. lib. Fastor:

Jura dabat populis, posito modo Prætor aratro,
Pascebátque suas, ipse Senator oves.

Adest ergò David, non sine innata verecundia, & erat, qui placere posset. v. 12. *Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoráque facie.* Nec immeritò David dictus: David Hebraicè, id est, di- David ex pascuis ad unctionem evocatus. 1. Reg. 16.

dilectus, vel amor, dilectio (P. Cornel. à Lap.) v. 12. *Et ait Dominus, Surge, & unge eum, ipse est enim.* Ità spretus ab hominibus David, specialiter à Deo dilectus, & electus, spretus inquam, nam inquit S. Ambros. Serm. 18. in Psalm. 118. *Patris oves pascebat, vili ablegatus obsequio, non est oblatus Sacerdoti (Samueli), quasi indignus, qui ungeretur in regem.* Minimus fratrum, ut sit pater patriæ, destinatur, abjectus in paterna privatâ domo, ut præsit toti Reipublicæ Populi Dei, evehitur. Pastoritiæ arti, campi incommodis, arcendis feris, subeundis pro tutando privatæ domûs bono periculis assuetus, ut sit pastor numerosi populi, ut martiâ exerceatur arenâ, ut hostes patriæ propulset, & publico totius regni bono prospiciat, è solitudine ad solium, è caula ad palatium, à pastorali clava ad sceptrum, ab officio pastoris ad regni regimen evocatus, dissimili humanis judiciis, divinô judiciô designatur Rex.

Postquàm igitur breviter instruxerit de divina voluntate Samuel Davidem v. 13. *Tulit ergò Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus.* Sequitur sanctæ hujus unctionis effectus. v. 13. *Et directus est spiritus Domini à die illa in David & deinceps.* Per spiritum istum (P. Salian.) intelligendum vel augmentum donorum, vel spiritûs fortitudinis, vel spiritûs prophetiæ, vel certè spiritus regius & principalis.

Unctus in Regem David rediit in pascua, per quod insigne fundamentalis virtutis humilitatis specimen dedit. Ibi pietatis, & fortitudinis exercitio operam dabat; bonámque partem psalmorum, ab illo tunc compositam idonei scriptores prodidêre. An omnium psalmorum, qui exstant, author fuit David, controversum: P. Salianus accedit iis, qui existimant omnium authorem fuisse solum Davidem. Cæteri, qui in initiis psalmorum inscribuntur authores, cantores illorum Psalmorum censentur, ut eleganter disseruit in procemio psalmorum D. Chrysostomus.

56\. Saul vexatur à spiritu nequam, liberatur ab eo ad sonitum citharæ Davidis.

1\. Reg. 16. v. 14. *Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* (P. Salian.) à malo dæmone vexatum fuisse Saulem communis est, tam antiquorum Patrum, quam recentiorum Scriptorum sententia, qui melancholica corporis ipsius dispositione abutebatur, quæ, cum per musicam harmoniam mitigaretur, dæmonis quoque eum affligentis actio, quæ se corporeæ dispositioni accomodabat, temperabatur. Ità de hoc Saulis morbo: Joseph: Tertullian. Clemens Alex. Augustin. Hieron. Rupert. Gregor. &c.

&c. Porro vim naturalem inesse musicæ ad depellendum morbum ex melancholia profectum docet quotidiana experientia, ut recenset P. Cornel. à lap. hic. Italos præsertim in apulia, eos, quos momordit Tarantula, & stupefecit, ut lethargo correpti somnum lethalem dormiant, ni evigilent, nulla medicorum arte excitari posse, nisi carmine modulato, quod in varios numeros & harmoniam flectunt, donec illam inveniant, quæ morbo & stupori huic quasi medicina respondeat. Illi deindè canendo insistunt, excitatur æger in vigiliam, & tripudium, saltu sudorem elicit, itaque venenum omne dispellit, ac sibi & menti sanitatique restituitur. Describit eandem tarantulam P. Caspar Schott part. 2. mag. natur. de sono. Atque tarantulam esse insectum instar scarabæi, morsu violento pestiferam perniciem afferens, cujus morsu inditum venenum per totum corpus diffunditur, & usque ad ipsum cor spirituum sedem penetrat, huicque morbo mederi, per sonum qualitati veneni proportionatū. Additque Tarantatos, id est, infectos à Tarantula, variis etiam coloribus affici, alios fulgore armorum delectari, alios sonô musicæ, non tamen quocunque, alios sonô tympanorum, explosione bombardarum, sonô pulsatæ citharæ &c. Etiam ipsæ tarantulæ afficiuntur musicâ, qualitati suæ proportionatâ. Esse autem diversarum tarantularum diversa venena, adeò, ut unum alteri contrariari videatur, id exemplum, quod refert P. Kircherus, demonstrat: Hispanus quidam Tarenti commorabatur, huic cùm relatum fuisset, de contrariis diversarum Tarantularum venenis, sumpturus experimentum, duas tarantulas colore, & qualitate diversas manui imposuit, ultróque lacessitas ad morsum provocavit, pertulitque ab ambabus ictus, ad correptum morbô convocati varii musici, varia tentata harmoniarum genera, tandem infirmus ab uno modulo sensit se fortiter ad saltandum solicitari, sed frustra, quantum enim unius venenum tarantulæ ad saltum solicitabat, tantùm alterius venenum utpote totâ substantiâ contrarium, resistens, à saltu retrahebat. In hac igitur qualitatum contrariarum luctâ, dum nullum remedium inveniret, vivere desiit.

Tarantulæ morsus musicâ sanatur.

Ann. Mund. 2970. Sed Saulem morbô suô laborantem revisamus. Dum ingravesceret morbus illius, jucundum ab aulicis excogitatum huic malo remedium: v. 16. *Jubeat Dominus noster, & servi tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere citharâ, ut, quandò te arripuerit spiritus Domini malus, psallat manu* 1. Reg. 16.

manu sua, & levius feras. Annuit Saul: quæsitus, & inventus David, vigesimum tunc agens annum missus à Patre cum muneribus ad Regem. v. 21. *Et venit David ad Saul, & stetit coram eo, ac ille dilexit eum nimis, & factus est ejus armiger. v. 23. Igitur quandocunque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat.* Sacros hymnos, ut ait Josephus, psallebat David, quò simul harmonicus concentus, noxiis & melancholicis humoribus degravatum caput relevaret, simul etiam sacri hymni in Dei honorem à S. Juvene decantati dæmonis actionem, Domino miserante, deprimerent: Dæmon enim, qui melancholica dispositione gaudet, eáque ad incitamenta peccati abutitur, eâ discussâ indirectè & ex accidente, vel abigitur, vel impeditur, sed præcipua hujus remedii vis ex ipso psalte pendebat, qui motu divino in illa psalmodia agebatur. Reversus deindè David ab aula ad caulam; quamdiu verò apud Saulem commoratus, incertum.

57. Bellum cum philisthæis, in illóque Davidis cum Goliatho certamen & victoria. 1. Reg. 17.

Ann. Mund. 2971. Ortum gloriosum Davidi cum philisthæis bellum, qui septennio reparatîs viribûs iterum ad redigendos in servitutem Israelitas aspirabant, uti ex illis verbis Goliath colligitur 1. Reg. 17. v. 8. *Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen v. 9. si quiverit pugnare mecum, & percusserit me, erimus vobis servi: si autem ego prævaluero, & percussero eum, vos servi eritis, & servietis nobis.* Occasio belli fuit fortasse non ignorata regis ægritudo. Domini autem consilium fuisse videtur, Davidem reddere gloriosum, & primum illi gradum ex depresso Goliatho ad imperium ponere. Veniunt utrinque exercitus, castra ità locantur, ut vallis inter utraque intercederet, certant inter se clamoribus. Philisthæi singulari certamine rem volebant decerni, cùm talem bellatorem haberent, quali par in toto exercitu Israelitarum non inveniebatur. Is fuit Goliathus, gente philistæus, patriâ Getheus, genere spurius, staturâ 6. cubitorum, & palmi; id est (P. Salianus) novem pedum cum triente robore tanto, ut facilè loricam æream 208. librarum cum triente, hastam, cujus ferrum 25. librarum erat, ferre posset. Is sua inflatus superbiâ, quoditiè per dies 40. mane ac vespere ad singulare certamen provocabat, quem nemo ex Israelitis aggredi ausus est, ne ille quidem Jonathas, qui olim et secundus exercitum hostilem aggressus fuerat. Ut ad hunc heroicum actum aliquem è suis alliceret Rex, constituit

præmium, filiæ suæ conjugium. Venit interea in castra David, qui in pascuis commorabatur, & tribus fratribus suis, qui militiam sectabantur, victualia attulerat, is, dum & hostis audacem superbiam, & sui exercitûs ignominiam, & præmium audit, cùm v. 11. *Omnes Israelitæ, sermones philisthæi hujuscemodi, stupebant, & metuebant nimis,* Zelo divini honoris accensus, spretis dissuasionibûs immò perstrictionibûs ait ad Saul v. 32. *Non concidat cor cujusquam in eo, ego servus tuus vadam, & pugnabo adversùs Philisthæum.* Cui, cùm opponeret imbecillitatem illius, ac immaturam ætatem Saul, ad refutandam Regis dissuasionē modestè illas suas de Leone, ac urso victorias narravit. v. 36. *Leonem & ursum interfeci ego servus tuus.* Quod perpendens D. Chrysostomus in Psal. 50. ait: *Non robore corporis, sed virtute fidei ursos & leones gregem suum invadentes occidebat.* Benè ergò precatur Rex illi, animum generosum juvenis magnoperè æstimat, ne tamen corpus ejus temerè objiciatur periculo, armis suis (Salianus cum aliis putat, suis hoc est, ex regio armamentario depromptis. Cornel. à Lapid. cum aliis putat, ipsiusmet Saulis vestimentîs & armîs indutum) induit. v. 38. *Et induit Saul David vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput ejus, & vestivit eum loricâ.* Obsecutus quidem Sauli David, sed cum his armis uti non posset, dixit: *v 39. Non possum sic incedere, quia non usum habeo. v. 40. & deposuit ea, & tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit adversus philisthæum,* qui videns adolescentem non armatum, nec staturâ spectandum. v. 42. *despexit eum,* dixítque. v. 43. *Nunquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Davidi philisthæus in diis suis.* v. 44. *Dixítque ad David: veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestiis terræ. v. 45. dixit autem David ad Philisthæum: tu venis ad me cum gladio, & hastâ, & clypeô, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, quibus exprobrâsti* v. 46. *Hodiè, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadavera castrorum philisthiim hodiè volatilibus cæli, & bestiis terræ.* Ex acuta utrinque verbis irâ, accingit se philisthæus certamini, David quoque eductum è pera lapidem fundæ aptat. v. 49. *Et circumducens, percussit Philisthæum in fronte, & infixus est lapis fronti ejus, & cecidit in faciem suam super terram.* Et quo clarior esset victoria, accurrit David, capútque illud superbum præcisione

ne humiliavit. v. 51. *Et interfecit eum, præciditque caput ejus.* Ita humilitatis ariete Paſtor David turrim carneam proſtravit, ſuorúmque animos erexit, immò fundâ excuſſo unico lapide fundavit Rempublicam: plurimùm ſe æſtimabat caput illud ſuperbum, ſed exiguus lapis, velut lydius, probavit, & quid valeret, oſtendit. Fronti impreſſus lapis, quæ ſe ſe cum faſtuoſô ſupercilio, etiam contra ſuperos exporrexerat. Allegoricè D. Auguſtinus typum Chriſti in Davide advertit Serm. 197. de tempo: *Quòd David non habens gladium aſcendit ſuper Goliath, & eum propriô interfecit gladiô, deſignatum eſt, quòd in adventu Chriſti ſuô gladiô Dæmon victus eſt, qui per nequitiam ſuam, & injuſtam perſecutionem, quam exercuit in Chriſtum, omnium in eum credentium perdidit principatum.* Proſtratô Philiſthæô fugam arripiunt Philiſthæi, hos animô reſumptô inſequuntur Iſraelitæ, magna clade afficiunt, 30000. cæſorum numerat Joſephus. Poſt victoriam deductus ad Regem David, honorificè, ut par erat, exceptus, attulítque ſecum apprehenſum longa cæſarie hoſtis publici caput.

58. Omnium, ſed præcipuè Jonathæ animum ad ſe pellexit David. 1. Reg. 18. v. 1. *Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Jonathas, quaſi animam ſuam*, præcipuas tum animi tum corporis dotes in eo notans, inſuper in ſignum benevolentiæ. v. 4. *Expoliavit ſe Jonathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam David, & reliqua veſtimenta ſua usque ad gladium & gladium ſuum usque ad balteum.* Inſuper. v. 3. *Injerunt autem David & Jonathas fœdus.* Acceſſit conſuetudo vitæ. Saul enim vel ſpontè vel annitente Jonathâ retinuit apud ſe Davidem. v. 5. *Poſuítque eum Saul ſuper viros belli* (P. Salian) puta non exauthorato Abnere, ſed in aliquo alio inferiori gradu, quod probabile.

Jonathæ in Davidem amor. 1. Reg. 18.

Fugatîs Philiſthæîs revertebatur cum triumphô Saul, excipiebatur ubique populi plauſu. v. 6. *egreſſæ ſunt mulieres de univerſis urbibus Iſrael, canentes, chorósque ducentes - - - -* v. 7. *& præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: percuſſit Saul mille, & David decem millia.* Sic Aureliano Imperatori, qui ſuamet manu Sarmatas 48. interfecerat, & diverſîs diebûs ultra 950. acclamatum eſt à pueris die feſto ſaltitantibus *mille mille mille, mille mille, mille decollavimus, unus homo mille mille, mille decollavimus mille, mille, mille vivat, qui mille, mille occidit, tantum vini habet nemo, quantum fudit ſanguinis. Ità Theoclius apud Vopiſcum.*

Graviter has mulieres, decuplo factũ inſigne Davidis præ Saulis præferentes, per imprudentiã deliquiſſe, negari non poteſt, cùm enim etiam inter æquales comparatio, multò magìs prælatio odioſa, quantò magìs in ſupremo gradu conſtitutis, grave eſt minoribus comparari, aut poſtponi. Juſtè ergò (P. Salian.) indignatus eſt Saul, ſed injuſte exarſit contra Davidem, optimè de regno meritum, quô inſciô hæ cantilenæ ortæ, potiùs beneficiis afficiendus erat, ut nocere non poſſet. Patuit hoc odium Saulis, fortè conjicientis, in Davidem transferendum Regnum. v. 9. *Non rectis ergò oculis Saul aſpiciebat David à die illa, & deinceps.* Sed brevi ſecuta ſua pœna nocentem. v. 10. *Poſt diem autem alteram invaſit ſpiritus Dei malus Saul, & prophetabat*, ſive ut vertit Chaldæus, *inſaniebat*, & fanda, nefandáque loquebatur.

Saulis in Davidem injuſtum odium. 1. 18.

Aſt non intra verba furor ſtetit, cùm enim David intermiſſum repeteret miniſterium 1. Reg. 18. v. 10. *David autem pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos dies, tenebâtque Saul lanceam*, v. 11. *& miſit eam, putans, quòd configere poſſet David cum pariete, & declinavit David à facie ejus ſecundò.* Elegit autem potiſſimum hoc tempus (ut advertit P. Salian) Saul, exiſtimans, intentionem ſuam occultam fore, cùm putaretur ab omnibus inſanire. Ità non raro ſcelesti infirmitate palliant iræ furorem, qui eò cum majori erumpit in publicum admiratione, quô magìs doloſa arte tectus fuerat, & compreſſus. Quare à conſpectu Saulis proripuit ſe David, nec apparuit in conſpectu illius, donec ab illo revocatus eſt, profitente, molitionem hujus facinoris, à ſe extra ſe poſitô contigiſſe; facilè credidit candidus Juvenis, qui nunquam didicerat, quid fraudis, atque perfidiæ ambitio parturiret. Rediit ad Saulem David, ſed & Saul ad malignum rediit ingenium, cúmque nec ſuâ, nec ſuorum, qui Davidi addicti erant, manu poſſet perdere innocentem, alienâ ſtatuit, ſub prætextu ſcilicet beneficiorum, eidem molitus interitum.

Saul Davidem beneficiis vult capere. 1. Reg. 18.

Antèhac poſt occiſũ Goliathũ Centurionem, nunc Tribunum ſupra mille viros illum conſtituit, filiam ei ſuam deſpondit uxorem, ut fortiſſimum Juvenem hîs intricatum illiciis in ea conjiceret diſcrimina, quæ perniciem adferrent, inopinanti. Incolumem tamen Dominus inter tot pericula conſervavit Davidem, quæ ille forti animô aggrediens ſuis ductu prudentiæ præibat exemplô, præcavens, ne illos temerè objiceret periculis, & verò proſperè rebus bellicis ſuccedentibus, famam, ſe, ac ſuos ſervavit in integro.

Anno Mundi 2973. Promiſerat Saul Davidi Merob majorem

natu filiam, sed mox mutavit consilium, illa enim v. 19. *data est Hadrieli Molathitæ uxor.* Tanquam non sensisset injuriam David, uti defactò, indignum talibus nuptiis se putabat, adjecit animum requisitus, ad nuptias filiæ Junioris Michol, quæ vicissim eum diligere cœpit. Micholem ergò à Rege de more postulavit, & appromisit Rex, sed sub conditione, si 100. præputia Philisthinorum sibi attulerit. Admisit, & adimplevit superabundanter conditionem David, ducenta enim præputia percussorum Philisthinorum attulit. v. 27. *Dedit itàque Saul ei Michol filiam suam uxorem.* Quam absque regii verbi jactura negare non poterat.

Caput Quartum.

De apertis Saulis in Davidem, & ratione illius in Sacerdotes odiis, eorúmque Sacerdotum horribili laniena.

59. A*Nn. Mund.* 2973. Dolosis hactenùs artibus tecta Saulis in Davidem malevo-

Saulis in Davidem aperta odia 1. Reg. 19.

lentia, tandem nunc erumpit in publicum, ipsum etiam Jonatham Davidi addictissimum Saul (nescius fœdus inter illum Davidémque intercessisse) in necem Davidis impellebat. 1. Reg. 19. v. 1. *Locutus est autem Saul ad Jonatham filium suum, & ad omnes servos suos, ut occiderent David.* Pseudopoliticus persuadebat Jonathæ: ipsius maximè interesse, mori Davidem. 1. Reg. 20. v. 31. *Omnibus enim diebus, quibus Isai filius vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum.* Non consensit tamen maligni patris sceleri bonus filius, immò reconciliari illi patrem omnimodè studuit. Dixítque 1. Reg. 19. v. 4. *Ne pecces Rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt tibi valdè. &c.* Valida fuit hæc persuasio Jonathæ, reconciliatúsque Saul Davidi. v. 6. *Juravit: vivit Dominus, quia non occidetur.* Verum fuit Juramentum regium, placatus enim erat Saul, sed postea reliquis sceleribus adjecit perjurium. v. 9. *Et factus est spiritus Domini malus in Saul, sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam.* Ferè enim perpetuò etiam in lecto manibus lanceam gerebat, apparet, illam fuisse brevem, & à rege facile, peritéque tractatam. *Porrò David psallebat manu sua,* nihil mali suspicatus post reconciliationem. v. 10. *Nisúsque est Saul configere David lanceâ in pariete, sed declinavit David à facie Saul.* Nec solùm ab ictu lanceæ, sed absolutè à Saule declinavit, periculum' enim erat, ne eum statim à satellitibus suis occidi juberet, nec vanus metus fuit. v. 11. *Misit ergò Saul satellites suos in domum David, ut custodirent eum, & interficeretur manè.* Officiosa tamen Michol monet maritum, prospiceret sibi v. 11. *Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris.* Addit Joseph. l. 5. c. 14. Eúmque secutus abulensis quæst. 11. & 12. Saulem constituisse judices, qui Davidem manè ad Judicium evocatum capite damnarent, ut scilicet videretur, non ex privato Saulis odio, sed justâ judicum sententiâ damnatus & occisus. Eò impudentiæ processerat iniquitas, ut etiam sub velô æquitatis & justitiæ in publico comparere gestiret. Septa erat satellitibus domus, cùm David è cælo suppetias flagitârat, constat enim, in hoc periculo constitutum Davidem composuisse psalmum 58. *Eripe me de inimicis meis Deus meus.* Interim verò, dum orat David, Michol expeditè ad viam necessaria paravit marito, dúmque quid ageretur, exploraret, non voces, sed ronchos stertentium satellitum, Divinâ Providentiâ consopiente vigiles, audivit, quarè reversa ad David, quæ agerentur, edixit, fenestram ad latus incustoditam ostendit, hácque David fortasse per funem incustoditus evasit, nec ad suos in Bethleem, sed ad Samuelem rectà tetendit. Michol interim, ut plus temporis Davidi ad fugiendum concederet, fallaciam ingenuosè commenta est. v. 13. *Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus, & operuit eam vestimentis.* Cùm verò ad multam diem frustra præstolati essent custodes, retulerunt ad regem, qui misit apparitores, ut raperent David. Hìc mulier excusat mariti morbum, quod, cùm ad Regem defertur, jubet eum vel cum lecto adferri, ne scilicet illi, si eum occidere jussisset, in sui absentia parceretur. Veniunt satellites, sed illusi, mox ad regem revertuntur, qui filiam Michol advocari præcipit, utique puniendam, sed hæc adornatæ scenæ revelat mysterium: quæsita à Patre v. 17. *Quarè sic illusisti mihi & dimisisti inimicum meum, ut fugeret?* Excusavit metum, qui non solùm in fœminam, sed etiam in constan-

ſtantem virum caderet. *Ipſe locutus eſt mihi, dimitte me, alioquin interficiam te.* Atque ità officioſô mendaciô, quod in tali neceſſitate fortè licitum putabat, iram à ſe patris avertit.

Prophetant etiam mali 1. Reg. 19.

David porrò fugiens venit ad Samuelem, tanquàm à Patre petiturus conſilium, edocetúrque à Propheta de occultis fraudibus Saulis; abierunt uterque in Najoth, quam domum doctrinæ Caldæus interpretatur, ubi Samuel docebat eos, qui mox dicuntur prophetâſſe. At intra breve tempus Regi ſtudioſè indaganti, innotuit, ubi lateret David, quarè miſit lictores, qui eum raperent, ſed hi, viſo Samuele, & prophetis v. 20. *Prophetare cœperunt.* Id eſt, ut docti Interpretes vertunt, *Deum laudare.* quod cùm reſciverit Saul, miſit iterum alios nuntios v. 21. *Prophetârunt autem & illi*, quod & tertiis evenit. Saul quoque ipſe viam in Najoth ingreſſus v. 23. *Prophetabat usque dum veniret in Najoth.* Quàm mirabile hìc & ſuave divinum in humanas voluntates apparuit imperium, etiam duro regis malitioſi corde in manu Dei commutato. Vehementiùs autem ſpiritu propheticô impulſum Saulem, patet ex eo, quòd illo incitante depoſuit veſtimenta ſua; in qua depoſitione myſterium agebatur, nam ſpoliando ſe veſtibûs regiîs, ei, quem perſequebatur, regnum ſe relicturum ſignificabat, teſte Procopio, Theodoro: Ruperto, non cenſendus tamen, omninò nudus remanſiſſe.

60. David fugit Saulem, Jonathas œnigmatica locutione ſagittarum illum monet. 1. Reg. 20.

Cùm Saul jaceret ſui impos, diem, noctémque, interim ſibi fugâ conſuluit David, ad Jonatham confidenter recurrit, ac conqueſtus dixit. v. 1. *Quæ eſt iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum.* Promittit ſuam opem afflicto fidus amicus Jonathas. v. 9. *Neque enim fieri poteſt, ut ſi certè cognovero completam eſſe patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi.* Modus autem monendi clam Davidis, ex condicto talis erat; ut latente David ſive in ſpelunca, ſive in caſa quadam in agro juxta ſaxum Ezel, Jonathas ad eundem agrum cum puero veniret, & ſagittis moneret, quas citra puerum, quem præcurrere juſſiſſet, mitteret, ſi res Davidis benè haberent, aut ultrà ſi ſecùs. Superflua videtur hæc œnigmatica per ſagittas locutio, cùm nihilominùs Davidem Jonathas eſſet ibidem allocuturus, ut infra patebit, ſed non fuit ſuperflua, per illam enim proviſum eſt in omnem eventum neceſſitati, ſi aut ultrò ingerentibus ſe amicis, aut caſu ſupervenientibus, non poſſet Jonathas ad Davidis abituri conſpectum venire.

nire. Poſt hæc David latebras in triduum petiit, ibi pernoctabat in oratione Dei, pſalmos meditabatur, quos deinde ſcriberet, cogitabatque, quid ſibi ultrà gerendum?

Interea veniunt Calendæ, qui dies fuit primus menſis, non fuit quidem feſtus, (Cornel. à Lap.) apud Hebræos, ſed tamen ſacrificiîs celebris, & ut feſtus ex devotione populi colebatur, in illo die ab opere ceſſabant, ac ſacrificiis, epulíſque vacabant. Ità Abulenſ. qui citat S. Auguſtinum dicentem:

Saltus reprehenditur impudicus.

Meliùs facerent Judææ mulieres, ſi in neomeniis nerent, quàm in his impudicè ſaltarent. Cúmque ad menſam regis deeſſet David, quæſivit Saul ex Jonatha, ubi ille eſſet, quem per contemptum filium Iſai hominis plebei vocavit, excuſat Jonathas abſentiam, dicítque, excurriſſe illum in Bethlehem patriam ſuam ad ſolenne ſacrificium cum familia ſua. Excepit Saul excuſationem non ſolùm cum ira, ſed etiam cum procaci in filium

Saulis in Jonatham ratione Davidis ira 1. Reg. 20.

ſermone. v. 30. *fili mulieris. virum ultrò rapientis* (ſcilicèt P. Salian: adulteræ) *Nunquid ignoro, quia diligis filium Iſai in confuſionem tuam,* concitabátque eum contra Davidem v. 31. *Omnibus enim diebus, quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque regnum tuum. Itáque jam nunc mitte, & adduc eum ad me, quia filius mortis eſt.* Hic incaluit ira Jonathæ flabellô amoris excitata & reſpondet patri: *Quarè morietur? quid fecit?* & arripuit Saul lanceam, ut percuteret eum. v. 34. *Surrexit ergò Jonathas à menſa in ira furoris.* v. 35. *cúmque illuxiſſet manè, venit in agrum* ſagittas juxta condictum ultra puerum jaculatus eſt, clamavit poſt tergum pueri, ut exaudiret David, qui ſedulò attendebat. v. 37. *Ecce ibi eſt ſagitta porrò ultrà te.* Ità ingenioſus Jonathæ amor, arcu & ſagittîs uſus in defenſionem dilecti Davidis, ſed ſimul cor Davidis illarum meta fuit. Cúmque abiiſſet puer, accepto arcu & ſagittis, in civitatem, ſurrexit David de latebris ſuis. v. 41. *Et cadens pronus in terram adoravit tertiò, & oſculantes ſe alterutrum fleverunt pariter, David autem ampliùs.* Tandem ſecuta valedictio.

61. David profugus in Nobe panes ſanctificatos comedit. 1. Reg. 21.

Digreſſus à Jonatha David, venit in civitatem Nobe ad Achimelech Sacerdotem, ut ibi in ſanctuario pro ſe conſuleret Dominum. Solus porrò cenſetur David veniſſe, etſi comites alio in loco habuerit. Fingit commiſſum ſibi à rege negotium, quod clam & citò peragendum eſſet; petit viaticum, nominatim panes, dantur illi panes ſacri, neceſſitate id, etſi non extremâ, poſſent enim, licèt paulò tardiùs, aliundè acquiri, exigente;

gente; munditiam tamen requiſivit Sacerdos, illámque adeſſe reſcivit, quantò magis hæc à manducantibus panem cœleſtem requiritur. Aderat tunc ibidem caſu Doëg Idumæus præfectus paſtorum regiorum, qui mox rem omnem Saul magno Sacerdotum malô patefecit. Gladium quoque David, quo Goliathum occiderat eúmque Domino conſecraverat, ex tabernaculo accepit, de quo dixit v. 9. ***Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum.*** Undè colligit Cornel. à Lapid. Davidem procero, vaſtóque fuiſſe corpore, utpotè qui gladiô Goliathi uteretur, & pugnaret. Quòd verò non fuerit armatus David, dat rationem Abulenſis: quòd ſcilicet in agrum cum Jonatha inermes deſcenderint, ne peregrè diſcedere putarentur, idque mox defererretur. Acceptîs panibûs & gladiô David non traxit moram ibidem, ne à ſubmiſſis à rege raperetur, profectúsque eſt ad Achis Gethæum in Palœſtina regem; audaci profectò conſiliô, ſive ſpectemus regem Palœſtinorum, infenſiſſimorum Iſraelitis hoſtium, ſive Gethæum Davidi peculiariter inimicum, à quo Gethæus ille Goliath interfectus; videtur ergò vitandæ charybdis gratià in ſcyllam incidiſſe, ſed factum id conſiliô Dei, quem David per Sacerdotem conſuluit, ibi enim ignotus extra ſuſpicionem latere potuit, propter notabilem mutationem. Deindè etiamſi agnitus fuiſſet, hoſti quoque, ob virtutem eximiam honori poterat fuiſſe; uti Hannibal apud Pruſiam; occidit quidem Gethæum, ſed virtute, non fraude, occidit provocatus. Probabilius, quòd ſolus David ad illam aulam pervenit, hoc enim pactô faciliùs latere poterat. Ibi tamen, cùm in ſuſpicionem venerat. V. 11 *Nunquid non iſte eſt David Rex terræ?* prudentiſſimô conſiliô ſimulavit ſtultitiam, ſalivam inſtar Epileptici ejiciebat ex ore, os contorquebat. &c. *v. 14. Et ait Achis ad ſervos ſuos, vidiſtis hominem inſanum, quarè adduxiſtis eum ad me.* Itaque ejectus, oblata occaſione fugit aliò. Peccaverítne David fingendo ſe ſtultum, controvertitur apud Cornel. à Lapid. hìc, affirmant alii, quia ut docet S. Thom. 2.2. q. 111. fictio eſt mendacium non verbi, ſed facti, undè D. Thomas ibidem non aliter Davidem excuſat, quàm quòd fictio hæc fuerit figuralis; fuit enim figura Chriſti; de quo S. Aug. in tit. Pſal. 33. *Inſanire Chriſtus videbatur Judæis, dum diceret: niſi manducaveritis Carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Mitiùs Abulenſis & alii cenſent, Davidem non peccâſſe. Quia David actiones deliras faciens, ipſo factô

David ad Getheum Regem ſe recipit 1. Reg. 21.

David ſimulat ſtultitiam 1. Reg. 21.

Peccavitnè per hoc?

non dicebat ſe eſſe ſtultum, ſed ſe id duntaxat ſimulare, hoc autem erat verum. Porrò ſic ſimulare non eſt mendacium, ſed ſilentium duntaxat veritatis, ſive diſſimulatio, qua quis aliam quaſi perſonam, alios mores induit juſtâ de causâ. Et hoſtes, ſi adeò perſpicaces fuiſſent, advertere potuiſſent. Sic Sancti ſimulabant ſtultitiam. S. Simeon cognomentô Salus. S. Franciſcus &c. ut docerent honoris, mundíque contemptum, ac mundi ſapientiam meram eſſe ſtultitiam, undè S. Paul. 1. Cor. 4. Nos ſtulti propter Chriſtum. Noſter S. Ignatius: *Sis mundo demens, ut ſapias Domino.* Et Cato:

Inſipiens eſto, cùm tempus poſtulat, aut res,
Stultitiam ſimulare locô, prudentia Summa eſt.

David in ſpelunca Odolla latet 1. Reg. 22.

Ex aula Achis Regis fugit David in ſpeluncam Odollam. v. 1. *Quod cùm audiſſent fratres ejus, & omnis domus patris ejus, deſcenderunt ad eum illuc.* Metuebant enim, ne Saul illos bonîs & vitâ privaret. Multi quoque calamitate aliqua preſſi, alieno ære gravati, illi ſe adjunxere. Plerique etiam de tribu Gad viri fortiſſimi: quorum operâ paratâ uti potuit David in vexatione ſua, ſuorúmque longè injuſtiſſimâ, ut ſe, atque ſuos ſervaret incolumes.

62.

David ad Regem Moab recurrit. 1. Reg. 22. ejúsque cura circa parentes.

Ann. Mund. 2974. Cùm David ſatìs ſe valida fortium virorum manu cingi adverteret, nec tamen potentiæ regiæ diutiùs ſe poſſe reſiſtere cenſeret, ſecuritati præcipuè provectorum parentum conſulens, vicináque regna circumſpiciens, Moabitas elegit, ad eóſque legationem expedivit. V. 3. *Maneat oro pater meus, et mater mea vobiſcum, donec ſciam, quid faciat mihi Deus.* Ei poſtulationi cùm Rex annuiſſet, contulit ſe illuc David, illúmque, Toſtatus exiſtimat, ibi cum ſuis ex præda vixiſſe, in hoſtes Moabitarum, ſi quod contra illos bellum erat, excurriſſe. Dúmque ſe ibi putat ſecurum ſubſiſtere David, monetur à Propheta Gad, ut in terram Juda redeat, obſequitur ille, licèt in re ardua voci ejus. Suſpicatur Abulenſis Moabitam illi molitum fuiſſe interitum, Deum autem direxiſſe illum in terram Juda, ut ibi magnarum virtutum ſpecimina populo oſtenderet. Cùm verò David cum ſuis veniſſet in ſaltum Hareth, Saul tunc morabatur in Gabaa, ubi fuit nemus, in quod Saul animi gratiâ veniebat. Ibidem Saul exprobravit aulicis vehementi oratione, quòd contra ſe conjuraſſent, quòd Regi ſuó non patefacerent, ubi eſſet, & quid conſilii haberet David. De Jonatha quoque filio acerbiſſimè conqueſtus, quòd cum hoſte ſuo fœdus inierit, hoc qui-

dem ille neſcivit, ſed ex ſuſpicione dixit. Orationem Saulis triſte ſilentium conſecutum, donec Doeg Idumæus factus eſt unguis in ulcere. v. 9. *Vidi, inquit, Filium Iſai in Nobe, apud Achimelech filium Achitob ſacerdotem, qui conſuluit pro eo Dominum & cibaria dedit ei, ſed & gladium Goliath Philiſthæi dedit illi.* Ea aſſertione, verâ licet, ſed peſſimô animô dicta, exacerbatus v. 10. accerſit ſacerdotem cum univerſa familia. v. 11. *qui univerſi venerunt ad Regem.* Etſi enim unum tantum accuſavit Doeg, exiſtimavit tamen Saul omnes eſſe conſcios. Conſurgit ergò primò in Pontificem Saul. v. 12. *Audi fili Achitob*, cui Pontifex humiliter: *præſto ſum Domine. Dixitque ad eum Saul, quare conjuraſtis adverſum me, tu & filius Iſai, & dediſti ei panes & gladium &c.* Obſtupuit ad hæc Pontifex, dixitque. v. 14. *& quis in omnibus ſervis ſicut David fidelis, & Gener Regis &c.* ſed nullas excuſationes admittens x. 16. *morte morieris Achimelech tu & omnis domus patris tui.* Nec mora, jubet prætoriam cohortem in ſacerdotes arma ſtringere. v. 17. *Noluerunt autem ſervi Regis extendere manus ſuas in ſacerdotes Domini, & ait Rex ad Doeg: convertere tu, & irrue in ſacerdotes, converſusque Doeg Idumæus, irruit in ſacerdotes, & trucidavit in die illa octoginta quinque viros veſtitos Ephod lineô*, quod genus veſtis Eccleſiaſtico, quod vocant, ſuperpelliceo reſpondet. v. 19. *Nobe autem civitatem ſacerdotum percuſſit in ore gladii, viros & mulieres, & parvulos, & lactentes, bovemque & aſinum, & ovem in ore gladii.* Doeg videlicet tantæ cladis author extitit. Maturè tamen ex ejus manibus evaſit Abiathar filius Pontificis, ad Davidem miſerorum aſylum.

Saulis in ſacerdotes crudelitas. 1. Reg. 22.

Oppugnati à Philiſtæis Ceilani, evocârunt in auxilium Davidem, qui conſuluit DEum per aliquem Prophetam, num pugnaturus eſſet contra Philiſtæos, annuente Domino pugnavit. v. 5. *Et percuſſit illos plagâ magnâ; & ſalvavit David habitatores Ceilæ.* Opima ex prædonibus iſtis reportavit ſpolia. Et ecce Abiathar ad Davidem ex victoria lætum, triſtem nuntium attulit de trucidatis ſacerdotibus. v. 7. *Nuntiatum eſt autem Sauli, quod veniſſet David in Ceilam, & ait Saul: Tradidit eum DEus in manus meas, concluſúsque eſt, introgreſſus urbem, in qua portæ & ſeræ ſunt. Et præcepit Saul omni populo, ut ad pugnam deſcenderet in Ceilam.* David ergò non ſolùm de ſe, ſed de tot capitibus ſolicitus, conſulit Dominum per novum Pontificem Abiatharem, duóſque requiſivit: alterum, an venturus eſſet Saul in Ceilam, reſponditque Dominus, venturum. Alterum, an Ceilani tradituri eſſent ipſum. v. 12. *Dixitque David: ſi tradent me viri Ceilæ, & viros, qui ſunt mecum, in manus Saul? & dixit Dominus: tradent.* Ex quo loco rectè colligunt Theologi, contingentia ſub conditione futura, re ipſa tamen nunquam futura ſub divinam cognitionem cadere & ad ejus, quam vocant, ſcientiam mediam pertinere. v. 13. *Surrexit ergò David, & viri ejus, quaſi ſexcenti, & egreſſi de Ceila huc atque illuc vagabantur incerti.* Nec Saul ergò venit in Ceilam, nec Ceilani tradidere David; Saul enim edoctus de fuga David, diſſimulavit ire in Ceilam. Nec paſſus eſt Dominus excandeſcere Saulem in Ceilanos, ſicut in ſacerdotes, & Nobe civitatem, nam in hos pondus domus Heli incumbebat, & non in illos.

David Ceilanos à Philiſthæis liberat. 1. Reg. 23.

Ann. Mund. 2975. Latuit David in deſerto Ziph, perſecutionem Saulis fugiens, ibi eum Jonathas ſecreto inviſit, probabile pecuniis juvit, dixitque ei: v. 17. *Ne timeas, neque enim inveniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis ſuper Iſrael, & ego ero tibi ſecundus, ſed & Saul pater meus ſcit hoc.* (P. Salian.) Unde hoc ſcivit Jonathas? an fortè David hoc illi ſub ſecreto dixerat, quod etſi incertum, non videtur abſurdum, Saul verò conjecturaliter ſciebat. Jonathas verò ex affectu Davidis colligebat, ſi ſuperviveret, ſe fore ſecundum in regno. Ziphæi autem Saulis gratiam captantes primò nuntiant illi Davidem apud ſe commorari, deinde promittunt illi ſe eum prodituros, nec moratus Saul, Davidis exiguam illam manum, jam ferè exercitu circumdat in deſerto Maon (parte deſerti Miph) ſed in maximis anguſtiis conſtituto David ſubvenit DEus, Saulem aliò avertit, nuntiatum eſt enim illi, Philiſtæos terras illius invaſiſſe, ad hos igitur, è manibus plane emiſſâ prædâ, feſtinat, illosque inſperatè adveniens fundit. Tunc Davidi adfuit auxiliator DEus, cùm hominum deeſſent auxilia, uti contigit & Philoni, is miſſus à Judæis ad Caium Imperatorem, ne Judæos cogeret ſe adorare ut Deum, cum à Caio ſperneretur, converſus ad ſuos dixit: *Confidite ſocii, nam tunc vicinum eſt DEi auxilium, cum deeſt humanum.* Itaque factum, nam paulo poſt Caius interiit. P. Cornel. à lap. hic. S. Chryſoſt. Hom. 46. in Geneſ. *Maxima ſecuritas, & inexpugnabilis murus eſt gratia DEi. Videmus, quomodo David de loco in locum tranſiens, & quaſi erraticus vagans, manu ſupperna munitus fuerit.*

David in deſerto Ziph latet, inviſitur à Jonatha liberatur à DEo ex anguſtiis. 1. Reg. 23.

Ann. Muud. 2976. Diffidens Ziphæis David 1. Reg. 24. v. 1. *habitavit in locis tutiſſimis Engaddi.* Per iſta tutiſſima loca intelliguntur prærupta inacceſſa, aditus peranguſti. Sed mox res ad Saulem delata, quare aſſumptis 3000. electorum virorum. v. 3. *Perexit ad inveſtigandum David, &* 63.

David oram Chlamydis Saulis abſcindit 1. Reg. 24.

Parcit inimicis.

viros ejus, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus (capris silvestribus) *perviæ sunt*. David interea certior factus de Saulis intento, forte per Jonatham, vel Micholem, ad DEum per preces confugit, intrat speluncam cum viris suis viæ proximam, ut Saul minimè suspicaretur, ibi eum latere, & cum exercitu præterire, sed ecce eventus mirabilis. Ventris necessitate adactus Saul illam intrat speluncam, visus, agnitus, neminem, ut fit in tenebras intrantibus, advertit. Stimulatus à suis David (P. Salianus) ut Saulem occideret, recusavit. Sed tantùm v. 5. *præcidit oram chlamydis Saul silenter.* Dedit hic David insigne specimen moderationis animi: tanti æstimat hunc Davidis actum heroicum D. Chrysost. ut circa hoc integram de Davide, & Saule scripserit homiliam, cui præfixus titulus: *Quod David magnificentius erexit tropheam parcendo Sauli, quam occidendo Goliath.* Eleganter de parcendo inimicis Seneca cap. 5. de clement. *Magni animi est proprium, placidum esse, tranquillum, & injurias atque offensiones semper despicere. Muliebre est furere in ira, ferarum verò nec generosarum quidem mordere, & urgere projectos.* Præcipua magni animi nota amor inimicorum, & injuriarum condonatio. Audi Martinum Episcopum Dumensem: *Si magnanimus fueris, nunquam judicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices: non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit, & cùm illum in potestate tua videris, vindictam putabis, vindicare potuisse; scito enim, honestum & magnum vindictæ genus esse, ignoscere.*

Injurias condonare inimicis regium.

Egressum de spelunca Saulem secutus David v. 9. *Et egressus de spelunca clamavit post tergum Saul, dicens: Domine mi Rex, & respexit Saul post se, & inclinans se David pronus in terram adoravit.* Præivit exemplo David tot sanctis viris, qui etiam sævos & tyrannos, quasi Christos Domini reverentiâ prosecuti. Sic Moyses veneratus est Pharaonem, Isaias Manassen, Daniel Cyrum, Jeremias Nabuchodonosorem, Jaddo Alexandrum, S. Paulus Neronem &c. quos enumerat Cornel. à lap. Deinde dolorem suum aperuit coram Saule David, pietatem suam in illum enarravit. v. 11. *Et cogitavi, ut non occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus, dixi enim, non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est. Quin potiùs pater mi, vide & cognosce oram chlamydis tuæ, in manu mea.* v. 15. *quem persequeris Rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem unum.* Rapuit in admirationem Saulem tanta Davidis submissio, emolivit cor, quamvis obduratum compositus in modestiam sermo. Nam v. 17. *Dixit Saul, Nunquid vox hæc tua est fili mi David?*

Amicitia Saulis cum Davide, redintegrata 1. Reg. 24.

& levavit Saul vocem suam, & flevit, dixitque ad Davidem: justior tu es, quam ego. Id perpendens S. Chrysost. *vides, ut suam ipsius damnet malitiam, ac justi virtutem prædicet, nulloque cogente se se purgat, idem tu facito, cum hostis inciderit in manus tuas, noli accusare illum, sed te ipsum purga, ut illum perpellas ad sui ipsius damnationem.* Perrexit Saul v. 20. *Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo, quod hodie operatus es in me. Nihil poterat condigne pro hac gratia Saul præstare Davidi, ne, si regno quidem cessisset,* ut ait Abulensis, subdit deinde Saul v. 21. *Et nunc quia scio, quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel, jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum, de domo patris mei.* O Principum inconsultissimum, si certò id novit, quare frustra nitebatur, ut everteret, quod DEus immutabiliter stabiliverat. Juravit itaque illi David, quod petiit, quod tamen juramentum non impediebat, ne, si filii Saul deliquissent, puniri possent.

Redintegratâ porrò amicitia inter Saulem & Davidem, non tamen reditum ad pristinam vitæ consuetudinem, nec ad illam Saul Davidem invitavit, cùm id se frustra facturum intelligeret. Expertus enim David inconstantiam Saulis, non potuit prudenter se illi committere. Saule itaque revertente in domum suam v. 23. *& viri ejus asenderunt ad tutiora loca.*

Annus. Mund. 2977. Contigit mors Samuelis, celebratum funus solennissimè in Rhamatha, ossa deinde ejus, à Christianis tempore Arcadii Cæsaris translata in Silo, ibique templum majestuosum excitatum. Septuagesimum septimum agebat annum Samuel, cùm obiit; præstans judicis forma, & exemplar; à Saule ad Davidem regimen populi transtulit, nam, ut advertit Emmanuel: timendi sunt reges, qui DEum non timent. Duos inunxit reges, ipse corona dignissimus, qui absque regis titulo prudentissime rempublicam gubernavit. 64.

Samuelis mors. 1. Reg. 25.

Eodem anno David legationem expedivit ad Nabalem cognomentô Carmelum, qui habitabat in monte Carmelo (diversô à Carmelo tribûs Isachar, qui ad mare usque mediterraneum protenditur) obibant legationem decem juvenes, qui etiam, si quid ex ejus liberalitate offerretur, adferre possent. Ii salutato Nabale exposuerunt, quomodo David tutaretur ab excursione Arabum pastores ejus. (P. Salianus) Sed legati isti contumeliosam responsionem, & inurbanam recusationem retulerunt, v. 10. *Quis est David? & quis est filius Isai? hodie increverunt servi, qui fugiunt Dominos suos.* Quô offensus David injuriam ulcisci Satuit,

in familiam Nabalis arma corripuit, & per hanc voluntatem peccavit. Non peccâsse tamen Davidem mortaliter censet P. Lancicius opusc. 16 de fuga peccatorum venialium. Tum, quia de Davide dicitur 3. Reg. 15. *Propter David dedit ei* (scilicet Abiæ impio) *DEus suus lucernam in Jerusalem, ut suscitaret filium ejus post eum, & statueret Jerusalem v. 5. eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinâsset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone* (id est juxta Phrasin S. Scripturæ *factô* circa Uriam) *Uriæ Hethæi*, hoc est, ut ait S. Basilius concione de pœnitent. *Excepta concupiscentia uxoris Uriæ, & ejus interfectione.* Causa autem excusans illum à peccato gravi nulla alia potest assignari, quàm vehementia iræ, qua fuit commotus. Passio enim vehemens causans inadvertentiæ rationis excusat à peccato mortali, uti omnes Theologi docent, quæ diu potest durare, & suppeditare rationes apparentes, exequendi aliquid, quod in se grave malum sit, ut per earum rationum vivam repræsentationem non sit tanta advertentia rationis, quanta requiritur ad peccatum mortale.

David Nabali offensus. 1. Reg. 25.

De hoc tamen Davidis intento aliquis pastorum monuit Abigailem uxorem Nabalis, quare prudentissima mulier, non consulto Nabale, ne impediret ejus iter, acceptîs muneribûs, quæ offerret Davidi jam in excidium Nabalis cum 400 viris tendenti, occurrit, emollit verbis prudentibus offensi cor, munera offert, dicit humiliter Davidem venerata. v. 24. *In me sit Domine mi, hæc iniquitas*, persuadet, ne vir tantus Nabalem ex nomine etiam suo stultum, quasi idoneum adversarium sibi delegisse videatur. Placatus David gratias agit DEo de suscitata hac muliere, cujus mitissima oratione flexus, à cogitato crimine abductus esset, per quod in populo malè audiisset. Dimittit itaque Abigailem humaniter David, quæ reversa ad maritum convivium celebrantem v. 36. *Erat ei convivium in domo ejus, quasi in domo Regis, & cor Nabal jucundum.* Hac die temulento prudenter nihil proposuit, sequenti die stupore attonito rem patefecit. Hic Nabal post decimum diem mortuus est, DEo illius inhumanitatem in Davidem vindicante. v. 38. *Cúmque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* Post mortem Nabalis David legitimè, notam sibi ex prudentia & forma Abigailem, postquam dies luctus ejus elapsi, duxit uxorem. Michol tamen primum sibi vendicabat locum, quæ magno patris scelere in diuturna Davidis absentiâ data in uxorem Phalti filio Lais. Nec

Mi-

Michol culpâ caruit, quæ coacta licet consensit in alium conjugem, seu potiùs adulterum: non potestque dici, Davidem à Michole repudiatum, sive quia id jus uxoribus nunquam fuit, sive quod illa diligebat Davidem.

Caput quintum.

De resumptis post reconciliationem in Davidem Saulis odiis, illorumque cum vita ejusdem Saulis fine.

65. Saul in Davidem iterum insurgit 1. Reg. c. 26.

ANn. *Mund.* 2978. Post aliquot menses obliteratâ beneficii memoriâ ad ingenium rediit Saul à Ziphæis certior de Davidis mora in Hachila factus, illuc cum exercitu perrexit, sed jam ex illo colle inspirante Dominô in interiorem solitudinem paulò abscessit, deinde auditô Saulis adventu, credibile non absque divinâ inspiratione, ingens ausus est facinus. v. 5. *Surrexit David clam, & venit ad locum, ubi erat Saul: cumque vidisset locum, in quo dormiebat Saul* agnovit tentorium regium, & statuit ad ipsa castra Saulis penetrare. Assumptô itaque secum Abisai nepote suo ex sorore, ivit noctu in castra. v. 7. *Et invenerunt Saul jacentem, & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput ejus, Abner autem & populum dormientes in circuitu ejus.* Tanta oportunitate motus Abisai Davidi ad aurem insusurrat v. 8. *Conclusus DEus inimicum tuum hodie: nunc ergò perfodiam eum lancea in terra, semel, & secundo opus non erit.* Sed prohibitus à Davide jurante etiam v. 10, *Vivit Dominus quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit, ut moriatur, aut in prælium descendens perierit, propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.* Laudat Chrysost. hanc Davidis in Saulem indulgentiam, eam præfert illi, qua Principes utebantur in eos, qui illos offenderant, priusquam ad regnum evecti fuissent. Dixit itaque David v. 11. *Nunc igitur tolle hastam, quæ est ad caput ejus, & scyphum aquæ, & abeamus.* Istum scyphum Serarius putat esse clepsydram horariam ad vigilias noctis Sauli indicandas, nam Julius Cæsar, & prisci duces olim in castris ad illum finem clepsydris utebantur, teste Vegetiô lib. 3. Josephus ait, hunc scyphum fuisse ad lavandum. v. 13. *Cumque transisset David ex adverso, & stetisset in vertice montis de longe, & esset grande intervallum inter eos, v. 14. clamavit David ad populum, & ad Abner filium Ner di-*

David tanto inimico iterum parcit.

cens

cens : - - - v. 16. vide , ubi sit hasta regis , & ubi sit scyphus aquæ , qui erat ad caput ejus , cognovit autem Saul vocem David , & dixit : nunquid hæc vox tua fili mi David , & ait David: vox mea Domine mi Rex. Expostulavit iterum cum rege , addiditque v. 19. *Si Dominus incitat te ad versum me , odoretur sacrificium: si autem filii hominum , maledicti sunt in conspectu Domini.* Tunc Saul agnovit culpam suam v. 21. *peccavi , revertere fili mi David , nequaquam ultra tibi malefaciam , eo quòd pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie.* Tum David restituit Sauli hastam & scyphum , ne videretur spolium de rege sumere, ac valedicens: v. 23. *Dominus autem retribuet unicuique secundum justitiam suam , & fidem &c.* Saul verò v. 25. *benedictus tu fili mi David ,& quidem faciens facies , & potens poteris.* (P. Salian.) id est, res tibi succedent è sententia , id enim meretur eximia virtus tua. *Abiit autem David in viam suam , & Saul reversus est in locum suum.* Et hoc erat jam ultimum Saulis cum Davide colloquium. Nihilominus David Sauli non fidens, in desertisque cum tot viris vivere arduum sibi esse censens, misit ad Achis Regem Gethæum , eique suam , suorumque operam obtulit , is postulatis non ægrè consensit , speravit enim , se operâ Davidis contra Saulem usurum.

David apud Achis re- gem profugus. 1. Reg. 27.

Ann. Mund. 2979. Migravit David in Palæstinam cum sexcentis viris ad Achis regem Gethæum , præcipuum humanitate inter Philisthæos ; perhumaniterque ab illo exceptus. Ab illo petiit David pro se & suis locum extra urbem regiam , idque prudenter, tum , ne sui in idolatriam ex conversatione cum Gethæis laberentur, tum , ne notum fieret regi , ex quibus ille prædas agebat. Dedit ergò Achis Davidi Sicelec , & quidem non ad habitandum solùm , sed jure perpetuo. Facti certiores Israelitæ de commoda mansione Davidis , illi se associabant : Saul quoque jam animum deposuit , persequendi tam tutò locô permanentem. An Philisthæos deprædabatur David , controversum , affirmat Hieronymus , & probabile facit , mox congregatus universæ gentis exercitus contra Hebræos , à quibus se multis excursionibus vexari putabant: cùm enim prædones istos , vel ex lingua Hebræos esse cognoscerent , & fugam Davidis ad Achis ignorarent , putabant se à subditis Saulis , ejusdem jussu vexari. Et cùm Achis vice versa nihil audiret querellarum , putabat omninò Israelitas à Davide vexari. Et contrarium quoque non minus probabile. Designat autem scriptura & definit regionem , in quam David impressionem fecerat , 1. Reg. 27. v. 8. *Et ascendit David , & viri*

David prædas agit. 1. Reg. 27.

ri ejus , & agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi , & de Amalecitis. Hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus euntibus Sur , usque ad terram Ægypti (P. Salian.) hic tractus totam Arabiam Petrejam & desertam amplectitur , in qua præter populos Gessuri , & Gerzi & Amalecitas Idumæi, & Madianitæ habitabant, Israelitæ &c. Quo autem jure deprædabatur & occidebat hos populos David, nullo ætatis , aut sexus discrimine ,dubitatione non vacat , præterquam Amalecitas , contra quos lata erat sententia , Deuter. 25. v. 19. *Cùm ergò Dominus DEus tuus dederit tibi requiem , & subjecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus est: delebis nomen ejus* (Amalec) *sub cœlo. Cave , ne obliviscaris.* De cæteris existimaverim (P. Salian.) Davidem , qui apud se habebat Pontificem cum Ephod , Dominum quotidie de expeditione sua consuluisse. Cùm omnis generis prædam adferret , viros tamen & mulieres non abducebat in servitutem , ne proderetur. Cavebat quoque , ne quid tale ex præda regi daret , unde adverteretur , eum alibi & non apud Israelitas prædas accipere. Achis quoque læto vultu recipiebat prædam , immò quærebat ex Davide v. 10. *in quem irruisti hodie?* cui respondebat ita David , ut is persuasum haberet, se Israelitas esse deprædatum , non mentiebatur autem , sed veritatem dissimulabat.

Sub hæc Saul injusto zelô in Gabaonitas movit arma, existimare autem debuit majores suos juramenti religione præpeditos , indulgente Domino conservâsse Gabaonitas , ob hunc crudelem zelum Dominus vocat 2. Reg. 21. 1. *Domum ejus sanguinum , quia occidit Gabaonitas.*

Eodem annô ortum ingens 66.
Philistinorum contra Israelitas bellum , cúmque Accaronitæ , Azotii , Gazei , Ascalonitæ , pro se quisque copias pararet , Achis quoque statuit , se Davidem secum accepturum. Denuntiat id Davidi dicens: v. 1. *Sciens nunc scito , quoniam mecum egredieris in castris , tu , & viri tui.* Cui respondet David. v. 2. *Nunc scies , quæ facturus est servus tuus. Et ait Achis ad David: Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus.* Hic controvertitur (P. Salian.) an in hac promissione culpam commiserat David , aliqui affirmant, inter quos maximè Cajetanus. Negant alii asserentes , in tam ancipiti negotio Davidē ad Deum recurrisse ; nec defuit Dominus in hoc salo fluctuanti , interventu siquidem Satraparum curavit illum dimitti , ut cum bona regis Gethæi gratia neque pro ipso , neque contra ipsum pugnet. Quod ad verba attinet , apparet nihil esse mentitum, quia revera nihil certi promisit , licet

Philisthæi contra Saul armantur. 1. Reg. 28.

rex in proniorem significationem verba Davidis acciperet. Postquam audierit Saul ingentes copias Philisthæorum congregatas, ipse quoque animo præ magnitudine periculi vehementer æstuans fortè non minores collegit. Venerunt itaque Philisthæi in regionem Israelitarum, uterque exercitus castra metatus propè montes Gelboe. Postridiè Philisthæi obeunt copias suas non singuli reguli singulas acies, sed collecti universas; obibant autem, ut Imperatores solent, hortandi, disponendi &c. causâ. Cúmque in novissimo Gethæi regis agmine, in quo fortissimi milites solebant collocari, advertissent Hebræos, qui cum Davide fuerant 1. Reg. 29. 3. *Dixerúntque principes Philisthiim ad Achis: quid sibi volunt Hebræi isti?* quibus cùm Achis Davidem ex heroicis actis commendaret, offensamque ejus contra Saulem enuclearet, visum tamen illis, non imprudenti consilio, dimittendum, uti suspectum. Quare ne augeret Israelitarum copias, perhumaniter à Rege Achis in Siceleg dimittitur. David autem regi obtemperans, & divinæ circa se providentiæ gratias agens, tertia die hujus belli in Siceleg regreditur. Saul verò ex superiore montis Gelboe loco copias Philisthinorum conspicatus v. 5. *timuit, et expavit cor ejus nimis.* Existimat Abulensis, DEum ingentem hunc timorem injecisse in cor ejus, ut ad DEum per veram pœnitentiam rediret, sed ultima illi fuit, ut talibus viris contigit, de animæ suæ salute cogitatio. Quibus tamen modis potuit, quæsivit à DEo responsum super eventum belli, sed non impetravit, nam, neque in somnis cuiquam rem patefecit DEus, neque per sacerdotes, quos magno numero trucidavit neque per prophetas, quorum præsentiam nihil reveritus, aberatque ab illo Pontifex cum Ephod suo. v. 6. *Consuluitque Dominum, et non respondit ei.*

Saul timet Philisthæos. 1. Reg. 28.

Cùm itaque totis tribus diebus expectasset Saul divinum responsum, & voti compos non fuisset factus, impatiens moræ ad Pythonissam confugit, ut ejus opera, à Samuele Propheta disceret, qui futurus esset belli eventus; & didicit sanè infelicem fore, dixit enim illi Samuelis anima v. 19. *Cras autem tu et filii tui mecum eritis, sed et castra Israel tradet Dominus in manus Philisthiim.* Multis jam sæculis controvertitur, verene anima Samuelis apparuerit, an quid aliud ejus loco Dæmonis artibus substitutum. P. Salianus censet, Samuelem in hac apparitione non fuisse excitatum à mortuis, neque corpus ejus ante biennnium defuncti, per veram resurrectionem fuisse iterum animæ copulatum, hoc enim

Samuelis anima apparet Sauli. 1. Reg. 28.

nim ad veram apparitionem non fuit necessarium, cùm potuit anima, sicut Angeli solent, ad hanc apparitionem corpus sibi ex aere compingere. Animam tamen ipsam verè excitatam fuisse ex inferis, toties enim hic scriptura Samuelem nominat, eáque in propria verborum significatione, nisi quod obstet, accipienda est, nihil autem obstare mox dicetur. Cùm autem hic Samuel de toto compositô accipi non possit, de anima accipiendus est.

Eadem est sententia sapientis in Ecclesiastico c. 46. v. 23. Ubi de Samuele dicit: *Et post hoc dormivit, & notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ.* Ambrosii, Augustin. Justin. mart. Josephi & aliorum Hebræorum, multorúmque Recentium, quibus Serarius & Delrio subscribunt. Neque tamen putandum, eam animam, magica arte fuisse excitatam, eam enim potestatem Diabolo in animam justam concedere Patres vehementer recusant, Tertul. Theodoret. Augustin. Isidor. quorum mens est, divina virtute, atque imperio Samuelis animam Sauli apparuisse. Cùm enim Pythonissa Dæmonem aliquem sub specie Samuelis excitare vellet, prævenit Deus illum conatum, & animam Samuelis propriâ authoritate evocavit: Quemadmodùm exercente Balaamo maleficiâ sua, non dæmon, quod perditus ille quærebat, sed Deus implevit os ejus, & crebriùs repetitam populi Israelitici benedictionem Numerorum 23, quam ille dare nolebat, extorsit. Nec propterea Deus arti magicæ subservit, sed eam suprema impedit potestate. Hinc mulier visô verô, non fictitiô Samuele vehementer expavit. v. 13. *Dixitque ei Rex, noli timere, quid vidisti? & ait mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra.* v. 14. *Dixitque ei qualis est forma ejus, quæ ait: vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul, quòd Samuel esset.* Dum dicit: *Deos vidi* Hebraismus est, ut advertit Cornel. à Lap. id est hominem quemdam divinum. v. 14. *Et intellexit Saul, quòd Samuel esset, & inclinavit se super faciem suam in terra & adoravit,* v. 15. *Dixit autem Samuel ad Saul: quare inquietâsti me, ut suscitarer.* Inquietatio hæc juxta humanum morem accipienda, quidam, dum molestis negotiis intricantur, inquietari dicuntur. Excusat se Saul, suas angustias prætendens. Respondet Samuel frustra interrogari se ab eo, à quo Deus recesserit, neque enim potest Propheta Deo tacente loqui, addit causam derelictionis, non adæquatam quidem, sed primariam indulgentiam ejus in Amalecitas. Porrò denuntiat actum esse de regno ejus, à quo divinitùs

nitùs ſit abdicatus in gratiam Davidis æmuli ejus: de victoria ipſius, ac filiorum ejus vita actum eſſe, ut rex videns deſperata cætera, de ſalute animæ cogitaret, & pro ea Samuelis ad Deum preces expoſceret Ad tam triſtitia nuntia magnoperè perculſus Saul. v. 20. *Cecedit porrectus in terram.* Hinc mulier, auditô, ut apparet, ſtrepitu corruentis, ingreſſa ad eum elevatum per ſocios, coactúmque ſumere cibum. Eadem nocte rediit in caſtra Saul, ut nocturna profectio lateret, non ſolùm hoſtes, ſed ſuos.

David Amalecitas vincit. 1. Reg. 30.

Cùm in caſtris Gethæi Regis moraretur David, Siceleg civitatem ejus, hominibus priùs, aliiſque rebus ſpoliatam, ſuccenderunt Amalecitæ, quòd cùm vidiſſet David, poſtquàm è caſtris redierat, prædâ onuſtos, licèt defatigatus viâ perſequitur. Conſultô Dominô per Pontificem, reſponsóque acceptô. v. 8. *Perſequere, abſque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.* Perſequitur itaque cum ſexcentis viris, ex quibus deindè laſſis, ducentîs relictîs cum reliquis urget iter, Duce Ægyptiô quodâm (qui ob famem ſemianimis inventus eſt, cibóque refectus, cui juramentô Davidis incolumitas promiſſa) aſſequitur. v. 17. *Et percuſſit eos David à veſpere usque ad veſperam alterius diei, & non evaſit ex eis quisquam, niſi quadringenti viri adoleſcentes, qui aſcenderunt camelos, & fugerunt.* Obtenta tam inſigni victoria, recuperatíſque ſuis David rediit ad illos ducentos, quos laſſos reliquerat. Dum verò victores dicerent, v. 22. *Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda. v. 23. Dixit autem David: non ſic facietis fratres mei - - v. 24. æqua enim pars erit, deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter divident v. 25. & factum eſt hoc ex die illa, & deinceps conſtitutum, & præfinitum, & quaſi Lex in Iſrael usque in diem hanc.*

Saul & Iſraelitæ à Philiſthæis profligantur. 1. Reg. 31.

Sextus erat hic belli dies, dies 67.
cædium & ſanguinis tam Amalecitis in deſerto Pharan, quàm Iſraelitis in montibus Gelboe. Ibi enim, cùm impetum feciſſent Philiſthæi 1. Reg. 31. v. 1. *Fugerunt viri Iſrael antè faciem Philiſthiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe.* Filii Saulis Jonathas Aminadab, Melchiſua, in conſpectu patris ad majorem ipſius afflictionē cecidêre. v. 3. *Totúmq; pondus prælii verſum eſt in Saul*, cui ille ferendo impar, dum fugit, graviter jaculis vulneratus, poſtremum facinus crudelitatis in ſeipſum deſperationi junctum aggreditur, videns enim actum eſſe de filiis, regno, & ſe, ad armigerum ſuum converſus inquit: v. 4. *Evagina gladium tuum, & percute me, ne fortè veniant incircumciſi iſti, & interficiant me, illudentes mihi.* Iſtum armigerum Doëgum

gum fuiſſe, non abſurdè arbitrantur plerique, quod, dum ipſe recuſavit, Saul ipſe ſibi ſceleſto carnifex v. 4. *Arripuit itaque Saul gladium, & irruit ſuper eum, quod cùm vidiſſet armiger ejus, videlicet quòd mortuus eſſet Saul, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo.* Si Doëg ille fuit, appoſitè ſicut tot ſcelerum Saulis, ità & ſimilis mortis fuit particeps, permittente Deo, ſuáque pœna perſequente ſceleſtum. Cùm ergò conſtet, Saulem ſibi fuiſſe carnificem, nullâ authoritate, aut inſpiratione divina, gravius in ſe ipſo occidendo deliquiſſe, quàm in ullo alio mortalium, concludendum; majorem quippè charitatem quisque erga ſe habere debet. Eodem quidem certamine Saul & Jonathas ejus filius occubuêre, ſed ſicut longè diverſa fuit illorum vitæ ratio, itâ & mortis. Hinc Ven. Beda: *Nequaquam ibi Saul malus poſt mortem, ubi Jonathas bonus potuit recipi.* P. Nicol. Serarius in 1mi Reg. c. 31. v. 4. ait: Saulem damnatum cenſent: Abulenſis Quæſt. 10. ex 1. Paral 10. S. Brigitta lib. 5. inter 13. ad quæſt. 1. S. Bernard. Serm. 26. in cant. 88. P. Sanctius in 1. Reg. 31. v. 4. verùm tamen, quandò his conjecturis agimus, & Saulis peccatum in extremo vitæ articulo legimus, & de illius pœnitentia nihil audimus, eò inclinamus, quo omnes penè Patres & Doctores incumbunt, Saulem adacto in viſcera mucrone non temporariam ſolùm, ſed æternam etiam mortem incurriſſe. Ità Ambroſius in cap. 9. ad Rom. Bernardus Serm. 26. in cant. Reſurrecturum dicit Saulem, ſed non ad vitam, Gloſſa ſuper lib. Reg. Burgenſis hoc habet: nec ad damnationem Saulis alia authoritas Sacræ Scripturæ, ſeu determinatio Eccleſiæ videtur requiri, cùm Doctores noſtri hoc concorditer teneant, ut dicitur in poſtilla; nam ut in cap. Decretalium Epiſt. di: 20. Scripturarum tractatores, id eſt, Doctores in earum expoſitionibus ſummis Pontificibus proponuntur, undè determinatio Doctorum ſacræ ſcripturæ, in talibus tantùm ſufficere debet, ac ſi ab Eccleſia determinarentur hæc Burgenſis. Joſephus tamen cum Hebræis Doctoribus Saulem ſalvatum aſſeverat.

Saul ſe ipſum occidit. 1. Reg. 31.

Invento poſteà Saulis cadavere. v. 9. *Præciderunt caput Saul & ſpoliaverunt eum armis, & miſerunt in terram Philiſthinorum per circuitum, ut annuntiaretur in templo Idolorum, & in populis.* Inſigne deinde pietatis ſpecimen in Saulem & filios ejus præſtitêre Jabeſitæ, quos ille olim oculis mulctari non permiſerat; cùm enim reſcivêre à Philiſthæis, qui Bethſan, habitatoribus deſertam occupârant, & ejus muro corpora

Saulis & filiorum ejus suspenderant, noctu, clam magno ausu, illa de muro sustulêre, & in Galaad combussêre. v. 13. *Et tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Jabes, & jejunaverunt septem Diebus.*

Caput Sextum.

De initiis Regni Davidis, & ejus tertia unctione in Regem.

68. RELiquis sex mensibus hujus anni & septem insuper annis David regnavit in Hebron, & 33. annis in Jerusalem. 2. Reg. 5. 4. *Filius 30. annorum erat David, cùm regnare cœpisset, & quadraginta annis regnavit.*

Ex morte Saulis lucrum quærens Amalecites, mortem invenit, venit is Saulis mortem referens, addiditque mendaciter, quòd ipse Saulem incumbentem super hastam suam occidisset. V. 10. *Stansque super eum occidi eum - - - et tuli diadema, quod erat in capite ejus, et armillam de brachio illius, et attuli ad te Dominum meum huc.* Hoc Diadema non corona, sed galea aliqua fuit. Post gemitus & lamenta David, tanquàm Rex jubet occidi illum Amalecitam, qui cædem à se patratam, falsò licèt confessus, confessione oris sui condemnatus, mendacii avaritiâ stimulati meritas pœnas luit. Occisô Amalecita v. 12. *Plauxerunt, et fleverunt, et jejunaverunt usque ad vesperam super Saul, et super Jonatham filium ejus.* Lamentationis officiô perfunctus David consuluit Dominum per Pontificem, quid ultrà acturus esset; jubetúrque occupare Hebron, ac ibidem regni sedem constituere, exequitur id David, relictô tamen in Siceleg præsidio.

Mendacium Amalecitam occidit. 1. Reg. 1.

David Hebrone in Regem inungitur. 2. Reg. 2.

Primum substitit Hebrone David. v. 14. *Venerúntque viri Juda, et unxerunt ibi David, ut regnaret super domum Juda.* Unxerunt videlicet per manus Pontificis Abiatharis, qui populum de regni ejus legitimitate edocuit. Abner verò, qui Saulis militiæ Princeps fuerat, sive imperium sibi malens, quàm Davidi, & Isbosetho rege se regnaturum sperans, sive Davidem odiô habens, ob acrem illam malè custodi

stodi regis reprehensionem, quandò hastam regis dormientis acceperat, sive constanti in Saulem fide Isbosethum ejus filium regem constituit trans Jordanem, in regione Galaad. Erat Isboeth annorum 40. cùm regnare cœpit, regnavítque annis septem, etsi enim dicatur à scriptura v. 10. *Duobus annis*, regnâsse, id interpretatur Tostatus, quòd sint sumendi illi anni de tempore antè concertationem de regno cum Davide. Nec etiam asserit scriptura, illum *duobus tantùm Annis* regnasse.

Isboseth Rex creatur. 2. Reg. 2.

Ann. Mund. 2980. Duo reges erant, & uterque legitimus (P. Salianus) apud Hebræos. David vi electionis divinæ. Isbosethus ratione successionis naturalis, ut legitimus Saulis filius, accedente magnæ partis populi consensu. Nec de divina Davidis electione, quæ clam facta fuerat, ei satis constabat, ut propterea illi regno cedere, aliqua ratione teneretur.

Duo Reges in Israel, uterque legitimus.

Ut ordinatiùs Davidi res procederet, constituit certos Quæstores, Consiliarios, in 12. turmas universam militiam distribuit, pro ratione numeri 12. mensium, ut certus numerus apud Regem singulîs mensibûs in armis esset; nec grave cuiquam esset unô mense domo abesse; harum turmarum, quæ à principio minorem numerum continebant, ità crevit numerus, ut tandem definitus fuerit in singulis turmis 24. millibus: P. Salian:

Ann. Mund. 2982. Bellum civile exarsit ludicris initiis. Abner enim dissimulanter optabat pacem, occasionémque benevolentiæ Davidis captabat, ità tamen, ut in quærendo fœdere, nullam necessitatem aut timiditatem præseferret. Egressus Abner cum suis de castris in Gabaon, egressus quoque Joab cum Davidicis, sive casu lustrans tribum Juda, sive præcavendo, ne quid ab Abnere detrimenti regnum Davidis pateretur. Occurrerunt autem sibi juxta piscinam Gabaon; ad alloquium ventum, uterque militiæ Princeps ad piscinam consedêre. Dixítque Abner, fortitudinem militum suorum præseferens. v 14. *Surgant pueri, et ludant coram nobis*, non intendebant tamen duces effusionem sanguinis; duodecim ergò hinc atque indè scilicet utrinque 12. paria prodiêre, & itâ lusêre, ut omnia 12. paria mutuîs confossa vulneribûs interirent, quô factô exercitus etiam conflixerunt, Abner victus, fugatus, & postquàm in tutiorem locum se recepisset, dixit insequenti Joabo: v. 26. *Num ad internecionem usque tuus mucro desæviet, an ignoras, quòd periculosa sit desperatio?* & hæc erat postulatio hominis, victoriam cedentis, quô auditô Joab dixit: v. 27.

Bellum civile cum ludicris initiis. 2. Reg. 2.

27. *Si locutus fuisses, manè recessisset populus persequens fratrum suum.* v. 28. *Insonuit ergò Joab buccina, et stetit omnis exercitus, nec persecuti sunt ultrà Israel, neque inière certamen.* Cecidit in hoc prælio Abneris manu Asael frater Joabi, quod pro tunc fortè ignorabat Joab, dum sisteret exercitum. Ex Abneris parte 360. periêre, ex Joab 19. excepto Asaele. Observat hic Cornelius à Lapid. graviter peccâsse Abnerem, quòd provocaverit ad istum duellarem lusum, minùs peccâsse Joabum, qui acceptavit, & quòd prælium sine gravi & justa causa commiserunt, quarè brevi pœnas luit crudelis facti sui Abner.

69. *Ann. Mund.* 2985. Abner Princeps militiæ, Isboseth verbîs offensus eidem Isbosetho propter objurgationem, quòd concubina sive uxore inferioris ordinis Saulis idem Abner abuteretur (ità iniquus amor excitavit odiũ)

2. Reg. 3. palam exprobravit: v. 8. *Nunquid caput canis ego sum adversùm Judam hodiè, qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui.* Quasi diceret, num ego res nihili sum in hoc regno, quod ego totum contra Davidem sustineo. Ad hæc nihil est ausus respondere Isbosethus præ metu, intelligens se imprudentiâ lapsum, qui hominem intempestivè moneret, nec adverteret majora mala, quæ ex non dissimulatione minorum possent oriri. Misit deinde Abner nuntios, qui nomine ipsius regnum Isbosethi Davidi offerrent, & amicitiæ fœdus postularent. Lætus suscepit conditionem David; nec peccati Abneris, qui populum à rege suo vindictæ cupidine avertebat, reus fuit. (P. Salian:) suo enim jure usus est, qui sciebat, se divinitùs electum ad hoc regnum: quod propterea potuit sibi sine ullius injuria vindicare neque Abnerem ad peccatum adduxit, sed mala illius voluntate benè usus est ad obtinendam rem suam. Cæterùm volebat priùs David recuperare Micholem, optimè de se meritam uxorem, ne diutiùs maneret in adulterio, eáque de re expedivit legatos ad Isbosethum, qui statim postulatis ejus acquievit, missóque quàm primùm nuntiô ad Phaltielem, jubet illam quàm primùm Davidi legitimo marito reddi, obsequitur Phaltiel, quamvìs invitus. Interim Abner sub prætextu consilii bellici congregat Seniores Israel, persuadet illis, ut amplectantur Davidem, peramanter posthac à Davide exceptus, qui privatim cum eo fœdus iniit, primarium in regno locum, & fortè etiam principatum militiæ, ne inferiore loco, quàm apud Saulem esset, vir ætate, meritîs, rerum experientiâ Joabo potior, confert. Abiturus dicebat: v. 21. *Surgam, ut congregem ad te Dominum meum*

Abner cum Davide fœdus iniit. 2. Reg. 3.

meum Regem omnem Israel. Dimissus perhumaniter. Rediit interim obtentâ de Amalecitis victoriâ Joab, subodoratùsque, quæ cum Abnere acta, Davidem objurgat, præseferens Zelum regni, regni scilicet ejus. Dúmque David dissimulat concedens iræ spatium v. 26. *Egressus itaque Joab à Davide, misit nuntios post Abner, & reduxit eum à cisterna Sira ignorante David.* Revocavit autem illum nomine regis. Cúmque venisset Hebronem, invenit Joab expectantem se ad portam, & cùm se invicem amicè salutâssent, seducit Abnerem Joab ad interiora portæ, quasi aliquid semotîs arbitrîs illi dicturus. v. 27. *Et percussit illum ibi in inguine, & mortuus est in ultionem sanguinis Asael fratris ejus.* Abduxerat populum ab Isbosetho, abductus occiditur, in inguine fratrem Joabi percusserat, in inguine quoque transfoditur à Joabo, ut ipsius quoque libido punita videretur, ulciscebatur injuriam, ab ulciscente injuriam periit. Ægerrimè hanc cœdem tulit David publico dolore confessus, contra suam voluntatem accidisse; non punivit tamen statim Joabum David, existimans, non esse de publica re, regno vix coalescente ad pœnam Joabum trahere. Punivit statim David scelera, cùm sine periculo potuit, ut patet in occisore (fictô licèt) Saulis. Nec remisit Joabo pœnam David, sed distulit; nam regnô stabilito mandavit Salomoni, ut de Joabo pœnas sumeret.

Dum Abner salutatur, à Joabo occiditur 2. Reg. 3.

Anno Mundi 2986. Acceptô nuntiô de morte Abneris confractus est animo Isbosethus. v. 1. *Et dissolutæ sunt manus ejus, omnísque Israel perturbatus est.* Turbatus Isboseth, quia occiso Abnere succisi nervi roboris ejus, turbatus populus, quia amiserat interpretem, & móderatorem reconciliationis suæ. 70.

2. Reg. 4.

Sed hanc perturbationem major excepit; namque Rechab, & Baana, qui nuper vestigia Abneris sequebantur, & regiæ cohortis erant præfecti, quos tamen hoc loco scriptura latrones nominat, qui in Hebræo principes turmarum dicuntur, sanguine & scelere fratres, Saulis familiam ruere videntes sub prætextu boni publici, privato suo commodo studentes, séque cogitatô scelere gratiores fore Davidi existimantes, quiescentem in lecto, in aula sua Isbosethum Regem, ad cujus custodiam, quiescentibûs militibûs, una muliercula purgans triticum remanferat, & ipsa quoque dormitabat, trucidarunt: Abscissum caput ejus velociter per viam deserti ad Davidem attulerunt, dixerúntque v. 8. *Ecce caput Isboseth filii Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam.* His tamen

Isboseth Rex occiditur. 2. Reg. 4.

Regis percuſſoribus in præmium ſceleris mors mandato Davidis obvenit. Voluit enim David hac publicâ pœnâ oſtendere, ſe nullô modô huic cædi affinem fuiſſe, & amorem ſuum in Saulem & Isboſeth inimicos oſtendere, benevolentiæque famam ſibi apud ſubditos conciliare. Denique tamen Rex & Judex noluit tantum crimen impunitum relinquere. Perpendit tropologicè necem Isboſethi. D. Gregor. l. 1. moral. c. 18. *Oſtiaria triticum purgat, cum mentis cuſtodia diſcernendo virtutes à vitiis ſeparat, quæ ſi obdormierit in mortem, proprii Domini inſidiatores admittit.* Damnum verò dormientis hujus cuſtodiæ ſubjicit: *Nequaquam verò Isboſeth iſte hac morte ſuccumberet, ſi non ad ingreſſum domus mulierem, id eſt, mollem cuſtodiam ad mentis aditum deputâſſet. Fortisnamque virilisque ſenſus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ ſomnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat.* Hinc quoque oſtenditur, quantum in periculis illos, qui aliis præſunt, vigiles eſſe convenit, & tunc præcipuè vigilare, cùm alii dormiunt. Sic Philippus Pater Alexandri magni, dum in exercitu dormiviſſet, experrectus dixit: *Tutò dormivi, dum vigilavit Antipater.* Eundem Philippum dormientem contra criminatores defendit Parmenio. *Nolite admirari, ſi nunc Philippus dormiat, nam, quando vos dormiebatis, ille, vigilabat.*

Vigilantia in omnibus neceſſaria.

Abnere, & Isboſethô interfectîs, cùm jam nihil eſſet, quod in domo Saulis Iſraelitas retineret, venerunt 11. tribus ad Davidem in Hebron, dicentes: v. 1. *Ecce nos os tuum, & caro tua ſumus, addiderúntque v. 2. Dixit autem Dominus ad te, tu paſces populum meum Iſrael. v. 3. Venerunt quoque & ſeniores Iſrael ad Regem in Hebron, & percuſſit cum eis Rex David fœdus, in Hebron coram Domino, unxerúntque David in regem ſuper Iſrael.* Hoc fœdere ſpopondit populus Davidi obedientiam, fidem, (P. Salian:) David viciſſim ſpopondit populo, ſe fideliter populum juxta leges Dei & rectam rationem gubernaturum. Inito fœderè ſecuta unctio, quæ fuit tertia Davidis unctio, non ad conferendum novum jus, ſed ad firmandum antiquum. Tria præcipuè Davidem dignum regno fecêre. 1. Genus, quia non ſolùm Iſraelita, ſed ex tribu Juda erat, cui jam pridem à Jacobo deſtinatus erat principatus. 2. Quòd belli & Reipublicæ gerendæ peritiâ erat inſignis. 3. Quia divinitùs electus. Omnium, qui huic electioni Davidis aderant numerus exactè iniri non poteſt. (P. Salian.) propter tribum Iſachar, cujus numerum ſcriptura prætermiſit. Summa tamen numerorum, qui diſtin-

David unctus ſuper totum Iſrael. 2. Reg. 5.

diſtinctè poſiti ſunt in ſcriptura 1. Paralip. 12. aſcendit ad 339822. quibus ſi addideris ex Joſepho Iſſacharitarum 20000. fient 359822. De his 1. Paralip. 12. v. 38. *Omnes iſti viri bellatores expediti ad pugnandum, còrde perfecto venerunt in Hebron, ut conſtituerent regem David ſuper univerſum Iſrael, ſed & omnes reliqui ex Iſrael uno corde erant, ut rex fieret David v. 39. Fueruntque ibi apud David tribus diebus comedentes & bibentes, præparaverant enim eis fratres ſui.* Ità unctionem excepit convivium, in quo liberalitatem regis, cenſentur munera populi juviſſe. Id Septuaginta haud obſcurè ſignificant, qui dicunt Zabulonitas veniſſe, *non vacuis manibus.*

Arcem Sion David capit 2. Reg. 5.

Ann. Mund. 2987. Cenſetur contigiſſe expugnatio à Davide Arcis Sionis. Hæc arx 400. annis reſiſtebat Hebræis. Mons porrò Sion, quæ ſuperior Hieroſolymorum pars fuit, & civitas ſuperior dicta eſt, non fuit tota in Jebuſæorum poteſtate, ſed illius tantùm ſuprema pars, quæ dicta eſt arx Sion, & mox civitas David. Totam autem inferiorem civitatem Judæi tenebant, antè 16. enim annos David caput Goliathi detulit Hieroſolymam. Superbè deditionem recuſârunt Jebuſæi v. 6. *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos dicentes: non ingredietur David huc.* Per Cæcos & claudos juxtà probabiliorem apud Cornel. à Lapid. ſententiam, propriè dicti claudi & cæci intelliguntur, tales enim milites, quibus in bello effoſſi erant oculi, & tibiæ fractæ, Jebuſæi collocârunt in muris & turribus altiſſimis arcis Sion, præſidentes loci munitioni, quaſi dicerent Davidi: fruſtra tentas noſtram arcem, quæ ità eſt munita, ut à ſolis cæcis & claudis defendi poſſit. Ità Joſephus, Procopius, Theodoret. Abulen. &c. Excitatus ludibriô David præmium propoſuit Summæ præfecturæ, qui primus aſcenderet munitionem. 1. Paralip. 11. 6. *Aſcendit igitur primus Joab filius Serviæ, & factus eſt princeps.* Erat quidem jam Princeps militiæ, ſed propter hunc inſignem auſum fortè principatum militiæ in toto regno obtinuit, vel confirmatus in officio, quo privari meruit ob necem Abneris. In Sion David ſedem regni tranſlatam ex Hebron poſuit ad perpetuum victoriæ monumentum. Mox cœpit murorum Sionis ædificationem, quod opus magnum ſanè fuit, & operoſum, habuit enim murus Sion, ut Villalpando placet, per totum circuitum longitudinem 35. ſtadiorum. Arx autem ipſa 9. ſtadia cum dimidio, in cujus medio regium palatium excitatum eſt, murus quidem

Pro obtinenda arce cæleſtis Sion quantò plus audendum.

opere firmiſſimo, palatium autem etiam eleganti conſtructum eſt, tyriis artificiis adhibitis.

Caput ſeptimum.

De Davidis Heroico abſtinentiæ ab aqua actu.

De translatione Arcæ in Sion. De victoriis Davidis, ex Philiſthæis, Moabitis, Ammonitis, tum de lapſu illius, ac pœnitentia.

71. David bis Philiſthæos profligat 2. Reg. 5.

A *Ann. Mund.* 2988. Cognito, quid ageretur apud Iſraelitas Philiſthæi, auditaque expugnatione Sionis, ſibi metuentes, ac principiis obſtandum rati, numeroſum exercitum colligunt. David notam ſibi ſpeluncam Odollam munit, per Pontificem Dominum conſulit de ſuſcipiendo bellô, & ſucceſſu illius. Reſpondit Dominus. v. 19. *Aſcende, quia tradens dabo Philiſthiim in manu tua, venit ergò David in Baal Pharaſim, & percuſſit eos ibi.* Diſſipati Philiſthæi, mox ſe colligunt. Conſulitur iterùm Dominus, & reſpondet. v. 23. *Non aſcendas contra eos, ſed gyra poſt tergum eorum, & venies ad eos ex adverſo pyrorum, & cùm audieris ſonitum gradientis in acumine pyrorum, tunc inibis prælium - - - - v. 25. fecit itaque David, ſicut præceperat ei Dominus, & percuſſit Philiſthiim.* Confuſi & conſternati Philiſthæi, dum à tergo uno exercitu cum David adveniente urgerentur, & audito in ſylva ſtrepitu, & fragore alterius exercitus advenientis è ſylva, uti opinabantur, terrerentur.

Tres Heroes caſtris ſuperatis aquam afferunt. 1. Paralip. 1. 2. Reg. 3.

Hoc ipſo tempore contigit memorabile facinus trium fortiſſimorum virorum, qui deſiderante Davide in ſiti aquam, de ciſterna Bethlehem, cui videlicet à Juventute aſſueverat, caſtra Philiſthæorum interjecta in itu, reditúque pervaſerunt. 2. Reg. 23. 16. *Irruperunt ergò tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat juxta portam, & attulerunt ad David. At ille noluit bibere, ſed libavit eam Domino v. 17. dicens: Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hoc, num ſanguinem hominum iſtorum, qui profecti*

fecti ſunt, & animarum periculum bibam. P. Salianus: noluit bibere, quia maluit rem ſibi chariſſimam offerre Deo, exiſtimans, tam pretioſam aquam, non mortalis hominis cupiditati, ſed divino guſtui ſervire debere, tranſiréque in materiam cujusdam extraordinarii ſacrificii, & hoc factô multò magìs honoravit heroes ſuos, quam ſi illam bibiſſet. Noluit præterea bibere volendo dare exemplum exercitui in toleranda ſiti. Simile quid egit Julius Cæſar, & Alexander magnus ſiti laborans, teſte Curtio. l. 7. *Tunc poculo pleno, ſicut oblatum eſt, redditô nec ſolus, inquit, bibere ſuſtineo, nec tam exiguum dividere poſſum omnibus.* Sic & Cato ad ſuos milites ait: apud Lucan. L. 9. *Fatóque pericula veſtra Præſentate meo: ſitiat, quicunque bibentem viderit.* Multarum hìc virtutum actus exercuit David *mortificationis*, ut ait Angelomus. *In ſacrificium Domini effuſa aqua converſa eſt, quia culpam concupiſcentiæ mactavit per pœnam reprehenſionis ſuæ.* Satisfactionis pro peccatis S. Gregor. l. 9. Regiſtri Ep. 39. *Licebat ei bibere, ſi voluiſſet, ſed quia illicita ſe feciſſe meminerat, laudabiliter & à licitis abſtinebat.* Addit S. Ambroſ. Apoc. 1. David c. 7. *Exercuit etiam ſubditos ad virtutis officium,* ut per pericula etiam regali imperio voluntarii milites obtemperarent. Allegoricè ſitim illam Davidis, expreſſit 2. Reg. 23. v. 15. *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem juxta portam* perpendens S. Ambroſ. ibidem: Sitiebat David non aquam de lacu, quæ eſt in Bethlehem, ſed oriundum ex virgine Chriſtum prævidebat, volebat ergò bibere, non aquam fluminis, ſed potum gratiæ ſpiritualis. Methodius orat: in Hypapan. Deiparam alloquitur: *Tu Bethlehemitica illa ciſterna, quam velut vitæ refocillatricem David deſideravit, ex qua immortalitatis poculum cunctis emanavit.*

Arca transfertur.

Devictîs hoſtibûs, pace domi conſtituta, iniit David conſilium de transferenda ex Cariathiarim arcâ Domini. 1. Paralip. 13. v. 4. *Et reſpondit univerſa multitudo, ut ità fieret, placuerat enim ſermo omni populo.* Impoſuerunt itàque Oza, & Ahia levitæ, filii, vel nepotes Aminadabi, ut vult P. Salianus, arcam cum Reverentia plauſtro, in quo deliquerunt: Hanc enim humeris geſtare debuerant, ſecùs, quàm Philiſthæi fecerunt, qui lege Moſaica non tenebantur, adeóque illis vitio non imputatum, quòd eam plauſtro impoſuiſſent. Ducebatur arca cum lætitia. 2. Reg. 6. 5. *David autem & omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & Cytharis, & lyris & tympanis &c.* Sed lætas res inſperatus caſus

Oza moritur subitò, quòd tetigerit arcam Domini. 2. Reg. 6.

turbavit. v. 6. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam. v. 7. Iratus est indignatione Dominus contra ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta arcam Dei.* Cur tam subitò occisus fuerit oza, variæ assignantur apud Cornel. à Lap. in 2. Reg. 6. rationes. Theodor. ait, occisum ob prævium aliquod peccatum nobis ignotum, præsertim quòd in eo existens ausus est tangere arcam. S. Hieronym. quia arcam humeris non portavit. Alii apud Abulens. quòd uxorem præcedente nocte cognovit, ideòque immundus esset, nam & gentilium Sacerdotes, dum sacrificabant, debebant esse casti, teste Macrob. l. 1. Pacianus in Parænesi ait: quòd arcam tetigerit non examinatâ priùs, & expurgatâ conscientiâ. Alii, quòd Oza non erat Sacerdos, sed Levita, solis autem Sacerdotibus licebat arcam tangere, ut dissertè asserit Josephus, qui erat sacerdos, ideòque legis apprimè peritus. l. 7. antiqu. c. 4. Et hoc est, quòd dicitur, v. 7. *Percussit eum super temeritate.*

Angelom. Abulen. censent ozam temporali morte castigatum æternam evasisse.

Allegoricè hinc discendum, quanta puritate & reverentiâ accedendum ad S. Eucharistiam. Tropologicè varia documenta Patres eliciunt 1. S. Dyonisius Areopag. Ep. 8. Laicos non debere miscere se rebus sacris. 2. Non esse tangendas virgines, quæ sunt arca spiritualis Christi. S. Hieronym. Ep. 48. ad Sabinianum solicitatorem virginis. *Oza levites arcam Domini, quam portare ipse debuerat, quasi ruentem sustentare voluit, & percussus est, quid de te futurum putas, qui stantem arcam Domini præcipitare conatus es?*

Visa David tanta Ozæ pœna, timuit ad se arcam introducere, ne illam propter delicta, quæ in aula eveniunt, funera sequerentur; existimavit itaque experiundi causâ in Domo Obededomi Levitæ collocandam. 2. Reg. 6. v. 10. *Divertit eam in*
domum Obededom Gethæi. Cornel. 72.
à Lap. erat hæc domus vel in ipsa urbe Jerusalem, vel in loco urbi vicino, ùt ait Josephus. Fuit quidem Obededom gente Judæus, Sed domo fuit Gethæus, quòd in Geth natus est, vel habitavit. Fuit ibi tribus mensibus arca. v. 11. *Et benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus.* Id est, prosperavit, & magnis opibus, rerúmque copiâ subitò eum cumulavit. Ità Josephus, tradunt Hebræi apud S. Hieronym. omnes ejus uxores, ancillas, & nurus peperisse masculos, animalia verò gemellos.

Arca in domo Obededom. 2. Reg. 6.

Anno Mundi. 2990. Hôc annô arca deducta in Sion, locus

cus

cus illi paratus in arce Sion, non tamen in ipso palatio Regis, cùm non posset palatium ab omnibus adiri. Abulensis putat, fuisse palatium, in cujus medio aula quædam erat prægrandis, in cujus medio collocata arca. Censendum, delatam fuisse arcam à Sacerdotibus; distributi pulchro ordine, tum populus, tum Levitæ deducebant eandem. v. 13. *Cúmque transcendissent, qui portabant arcam Domini, sex passus, immolabat bovem & arietem, & David saltabat totis viribus antè Dominum.* Serarius censet, ad singulos sex passus has victimas fuisse iteratas; verùm nil tale habet scriptura, dicit P. Cornel. à Lap. ac si processio hæc per totum diem, immò per plures dies durare debuisset, magna enim erat distantia à Domo Obededomi ad arcem Sion, quarè censet per singulos Levitarum psallentium choros unum taurum & unum arietem immolatum, erant enim septem chori. Collocatâ deinde in loco suo arcâ, David. v. 18. *Benedixit populo, in nomine Domini Exercitum,* id est, salutavit eum, laudavitque de adhibita opera in honoranda arca & non solùm benedixit, sed etiam beneficium præstitit populo, nam v. 19. *Partitus est universæ multitudini Israel tam viro, quàm mulieri singulis collyridam panis unam* (collyrida, ut ait P. Cornel. à Lap. erat torta panis vel placentæ, cui dulciaria erant mysta, ad gustus delicias) *& assaturam bubulæ carnis unam, & similam frixam oleo*, id est, laganum P. Salian: distribuit deinde David officia Sacerdotibus, & Levitis, ut alii apud arcam Domini ministrarent, alii in excelso Gabaonitico. Sacrificia porrò, quæ utrobique fiebant, ità distinguit Tostatus, ut Gabaone illa fierent, quæ fuerunt ordinaria, atque legitima, in civitate verò Davidis, quæ fuerunt votiva, aut privatæ devotionis.

Saltantem Davidem Michol perstringit. 2. Reg. 6.

Postquàm David rediit domum, Michol, quæ illum videns saltantem contempserat, salutavit cum quadam perstrictione v. 20. *Quam gloriosus fuit hodiè Rex Israel discooperiens se antè ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur unus de scurris.* Ironicam locutionem omnes sentiunt; huic reprehensioni Abulensis & Cajetanus patrocinantur. Cæterùm tamen non caruit hac in re culpâ Michol (P. Salianus) cùm eam Deus castigatione principibus fœminis gravissimâ punivit, ut fructu conjugii perpetuo caruerit. De illa S. Ambros. l. 4. Ep. 30. ad Sabinum: *sterilitatis damnata non edidit sobolem regiam, ne superbos crearet.* Nec David omninò fuit nudus (P. Cornel à Lap.) hoc enim indecens, & tur-

turpe fuisset, sed quòd deposuisset extimam vestem regalem, ut indueret Ephod. Respondit Micholi David. v, 21. *Antè Dominum, qui elegit me - - - - - ludam, & vilior fiam, plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis.* In isto saltu humilitatem Davidis deprædicant Patres S. Gregor. l 27. moral. c. ult. *Et quia per hoc, quod vilem se exterius præbuerit, nequaquam interius intumescit, adjungit, eroque humilis in oculis meis.* Tropologicé S. Bernardus Epist. 87. ad Ogerium. *Ludam, ut illudar. Bonus ludus, quo Michol irascitur, & DEus delectatur - - - bonus, inquam ludus, quo efficimur opprobrium abundantibus, & despectio superbis.*

Humilitas Davidis saltantis.

Iniit deinde David consilium de templo pro arca construendo cum Nathane Propheta, à quo id negotium cum DEo conferente, cùm didicisset, DEum velle, ut abstineat ab ædificatione, opus hoc filio Salomoni reliquit; materiam tamen ædificio tanto necessariam comparabat, ac divinitus totam illius descriptionem accepit.

Templum Domini voluit construere David 2. Reg. 7.

Ann. Mund. 2992. Moabitas David subjugavit, & juxta Josephũ illorum copias ità concidit, ut vix tertia pars superesset.

Moabitas David subjugat. 2. Reg 8.

Ann. Mund. 2993. Contra Syros tam Sobæ, quàm Damasci gessit bellum David v. 3. *Et percussit David Adarezer filium Rohob regem Soba, quando profectus est, ut dominaretur super flumen Ephraten v. 4. & captis David ex parte ejus mille septingentis equitibus, & viginti millibus peditum, subnervavit omnes jugales curruum: dereliquit autem ex eis centum currus.* Postea Syros Damasci, in suppetias primis, sed fortè tardiùs venientes vicit, terram illorum occupavit. *v. 6. Factâque est Syria David serviens sub tributo - - - v. 7. & tulit David arma aurea, quæ habebant servi Adarezer*, pharetras explicat liber Paralipom. in hebræo habetur utrobique scuta aurea.

Ann. Mund. 2995. Incidit in mentem Davidi Jonathas, dixitque ad circumstantes. 2. Reg. 9. v. 1. *Putasne, est aliquis, qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam propter Jonathan?* Dictum de Miphiboseth Jonathæ filio, hunc ad se David accersit, qui accersitus v. 6. *Corruit in faciem suam, & adoravit*, ad quem dixit David v. 7. *Ne timeas quia faciens faciam misericordiam propter Jonathan patrem tuum, & restituam tibi omnes agros Saul patris tui* (Cornel. à Lap. quos, antequam fieret Rex, habebat) *& tu comedes panem in mensa mea semper.* Excepit summa cum reverentia & veneratione humanitatem Regis Miphiboseth dicens v. 8 *respexisti super canem mortuum similem mei?* Vatablus *qualis ego sum?* se scilicet vocat canem, ut se humiliet suamque vilitatem indicet, utpote, qui avô & patre

Davidis pietas in Saulis nepotem & misericordia. 2. Reg. 9.

mor-

mortuis Orphanus, claudus, miser & egenus relictus: ita Cornel. à Lap.

73. *Ann. Mund.* 2996. Memor David humanitatis Naas Regis Ammonitarum, qua ipsum olim fugitivum ex aula Achis excepisset, misit ad filium ejus Hanonem Legatos consolatores post obitum ejusdem Naas. Sed Ammonitæ sinistræ hanc legationem interpretati, eo adolescentem Principem deduxêre, ut in contemptum Davidis contumeliâ illos afficeret v. 4. *Tulit ergo Hanon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præscidit vestes eorum medias usque ad nates, & dimisit eos.* Re ad Davidem per alios delatâ, legati enim præ pudore non poterant coram illo apparere, jussit eos David in Jericho subsistere, dum barbæ eorum, & cæsaries cresceret. Ammonitæ interim facinoris sui conscii, contractis quinque regum Syriæ in suppetias copiis, vim reprimere Israelitarum parabant. Aggressus hostilem exercitum bipartitis copiîs Joab, unam fratri Abisai commiserat Ammonitas respicere jubens, ipse fortissimè in Syros invectus, eosdem fudit; sociorum visâ fugâ Ammonitæ ipsi quoque fugam itidem capessivêre. Ità, qui ignominiosè legatos raserant, Israelitarum gladiô rasi, probroséque terga vertentes ignominiam ex fuga reportarunt, abscisionemque vestium, quæ fuit satis probrosa (namut ob servat P. Cornel. à Lap. Hebæri laici non utebantur femoralibus nisi sacerdotes) tot suis damnis resarcivêre.

De Hanone qui legatos David contumelia affecerat. victoria. 2. Reg. 10.

Ann. Mund. 2997. Adarezer Syrorum Rex præteritas jacturas ab Israelitis illatas, compensare sibi volens, cum suis & ab ultima Mesopotamia conductîs Syrîs contra Davidem tendit. David quoque universum Israel congregat, conveniunt exercitus, tanquam de Orientis Imperio certaturi. Israelitîs partam gloriam conservare, Syrîs ignominiam delere gestientibus, utrinque acriter concurritur, vincuntur Syri magna clade; nam liber hic Regum 40000. equitum cæsorum numerat, Paralipom. liber addit 40000. peditum. Insuper in libro hoc Regum dicuntur occisi septingenti currus. in libro Paralipom. 7000. curruum, quod juxta Cornel. à Lap. in 1. Reg. 10. 18. sic intelligendum: occisi 700. currus, id est, milites pugnantes è curribus, in quibus erant 7000. militum, ex quolibet enim curru decem pugnabant, quare dum dicitur lib. 1. Paralipom. c. 19. v. 18. *interfecit septem millia curruum*, intelligendum septem millia militum. Ita Abulen. Sanchez. Serarius.

David Syros vincit. 2. Reg. 10.

74. *Ann. Mund.* 2998. Tot casibus inconcussus David, tot ho-

Davidis lapsus carnis. 2. Reg. 11.

stium.

ſtium Victor turpi lapſu cecidit; vidit propè palatium Regium Bethſabeam lavantem ſe, exarſit ad aquas malus ignis, concupivit, nec diu tentationi reſtitit, abductam ſceleri conſentire fecit. Cúmque ex illo concepiſſet mulier, velandi criminis gratiâ, ex bello, quod cum Ammonitis gerebat Joab, Uriam maritum evocavit, qui cum nimìs officioſus Regi, conſortium uxoris non admiſit, fatales ſibi litteras à Davide ipſemet ad Joabum tulit: quibus ſuadentibus, diſſimulanter gladio Ammonitarum objectus cecidit. Exiſtimabat enim Joab alicujus ſecreti delicti reum, hoc decretum promeruiſſe. Poſt mortem Uriæ, Bethſabeam rex uxorem duxit.

Præſumptio cauſa ruinæ Davidis.

Cauſa tam gravis lapſûs Davidis apud Cornel. à Lap. hìc præſumptio aſſignatur, adduciturque textus Pſal. 118. 67. *Priusquam humiliarer, ego deliqui, propterea eloquium tuum cuſtodivi.* Hinc S. Franciſcus ſuis dabat documentum: *cum gratiam à DEo acceperis, dic: Domine cuſtodi in me theſſaurum tuum: quia ego illius latro ſum.* Cauſæ verò, ob quas DEus permiſit lapſum Davidis, recenſentur apud Cornelium 1. ut illum humiliaret, ſciretque David, ſe per gratiam eſſe Prophetam, at per naturam hominem. 2. ut in ejus lapſu, & erectione juſtitia in peccati caſtigatione, miſericordia in culpæ condonatione appareat. 3. Ad aliorum exemplum, ut caveant peccati occaſiones. S. Ambroſius Apol. 2. David c. 2. *non congrediare peccatis, ne de te vitia coronentur - - - - - Si David infirmus, tu fortis? ſi Salomon lapſus eſt, tu immobilis? ſi Paulus primus peccatorum, tu petes eſſe primus Sanctorum?* 4. Ut, ſi nos labi contingat, non deſperemus, ac lapſus ſit nobis ſtimulus ad majorem rigorem, & virtutem, unde S. Auguſtin. hom. 21. inter 50. *multi cadere volunt cum David, & nolunt ſurgere cum David - - - audiant, qui non ceciderunt, ne cadant, audiant, qui ceciderunt, ut ſurgant.*

Davidis pœnitentia. 2. Reg. 12.

Ann. Mund. 2999. Sopitâ penè, vel dormitante peccati memoriâ, David lætus, natô ex adulterio filiô, in illius fortè gratiam conviviis indulgebat, cum venit ad illum Nathan Propheta, blanda oratione, in parabolæ formam redactâ, aggreditur Principem, peccati gravitatem demonſtrat, nomine DEi exprobrat, tot beneficia illi præſtita, prædicit pœnas, nimirum gladium pro gladio ſtringendum domeſtica mala. v. 11. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, ut ſcilicet Abſalon filius tuus perſequatur te,* nam ut ait S. Chryſoſt. in Pſal. 3. *unde eſt fons peccati, inde eſt plaga ſupplicii: quia ergò à præcepto Domini exul, fugitivusque fuerat, propterea filium fugiebat - - - niſi pec-*

Pœnæ peccatorum.

catorum ſcintillas occultaſſet, domus non conflagraret. Notat P. Salian. vix lucida quædam pacis intervalla, exceptâ periodô regni Salomonis in tota regum filiorum Davidis poſteritate à bellis immunia reperta. Prædixit inſuper Propheta amiſſionem uxorum plurium, pro unius acquiſitione, mortem filioli ex adulterio ſuſcepti. His auditis dixit David v. 13. *Peccavi Domino. Dixítque Nathan ad David: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Proſequuntur laudibus pœnitentem Davidem Patres. D. Ambroſ. Apol. 1. David c. 4. peccavit David, quod ſolent reges, ſed pœnitentiam geſſit, flevit, ingemuit, quod non ſolent reges. Dixerat Saul, dixerat Judas *peccavi* cur tamen veniam non adepti? Reſpondet D. Auguſtinus; *in ſimili voce, quam ſenſus humanus audiebat, diſſimilis ſenſus erat, quod divinus oculus diſcernebat.* S. Ambroſ. *Confeſſus ingemuit culpæ dolore, & dominum intimi dolor movit affectus.* Mortuus deinde parvulus non obſtante jejunio, precibus à Davide Patre ad DEum fuſis pro illo: æquanimiter tamen mortem illius tulit pænitens, nec dubitandum, Bethſabeam quoque pœnitentiæ ejus fuiſſe ſociam, ex qua jam in gratia DEi conſtitutus genuit Salomonem.

Ammonitæ victi regiâ illorum expugnata. 2. Reg. 12.

Trahebatur interim bellum Ammonitarum, peccato Davidis retardante victoriam ultra unum annum. (P. Salian.) duravit obſidio urbis regiæ Rabbath. Cùm Joab, hoſtium rebus, jam peſſum euntibus evocat Davidem ad laudem victoriæ. Hinc diſcant Chriſtiani, gloriam ſuorum operum, licet heroicorum totam reſignare in Davidem verum, id eſt, Chriſtum, ſoli Chriſto debetur laus, honor & gloria. Hoc eſt, quod ipſe ait (P. Cornel. à Lap.) Iſaiæ 48. 11. *gloriam meam alteri non dabo.* Jam DEo reconciliatus venit in aciem David, urbs præſente illo expugnata, præda militibus conceſſa. Ipſius Davidis præda fuit corona pretioſiſſimìs gemmìs ornata v. 30. *Et tulit diadema Regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretioſiſſimas, & impoſitum eſt ſuper Davidis caput.*

Gloria ſoli DEo.

Severitas Davidis.

Videtur crudelitatis notâ non caruiſſe David, cujus juſſu aliqui hoſtium ſerrâ diſſecti, alii ferratis carpentis ſuppoſiti &c. Putatque noſter P. Sanchez Davidem hæc feciſſe, ante peccati ſui pœnitentiam, quo tempore David in fermento erat, & in medio peccatorum æſtu, alius à ſe ipſo, adeóque graviſſimè peccâſſe. Cæterùm (P. Cornel. à Lapid.) cenſet alii, Davidem hæc egiſſe poſt pœnitentiam, & à peccato ſævitiæ eundem excuſant, eò quod atrocibus his ſuppliciis caſtigare debuerit atroces injurias, & opprobria, incurſiones,

concitationem contra Israelitas vicinorum &c. Additque P. Salianus ex Lyrano & Dionysio, hæc supplicia non toti populo sed aliquibus irrogata.

Caput octavum.

De domesticis Davidis afflictionibus, occasione Amnonis, Absalonis filiorum, belli civilis &c.

75. Salomon natus. 2. Reg. 12.

ANn. Mund. 3000. Primum Regni dimidium ad votum cessit Davidi, secundum puniente justè DEo paternè tamen ejus delicta, repletum amaritudine. Inter solatia tamen reponenda, quæ hoc anno contigit, Salomonis nativitas, hic ab ab ipsa matre Bethsabea proprio lacte educatus, ut vult Pineda, illi maximè dilectus. Octava die circumcisus; nomen illi datum Salomon, id est, pacificus, à Nathane autem Propheta vocatus Jeddid-Jah id est, amabilis Domino.

Amnon incestum committit & occiditur ab Absalone. 2. Reg. 13.

Eodem annô contigit perpetratum peccatum ab Amnone filio Davidis, ægritudinem fingente, cum Thamare sorore, ægro aliquid obsonii parante, & tacitis verbis non clamore, flagitium recusante, post quod commissum ab Amnone statim expulsa, v. 15. *Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis.* Ita excessus, irrationabiles amores in odia degenerant, ut hac ratione peccanti pœna congrua detur per opposita; DEi enim statutum est, ait P. Cornel. à Lap. ut illi, qui valdè iniquè agunt, sibi ipsi nullo etiam puniente pœna sint. Undè S. Augustin. in confess. *Jussisti Domine, & sic est, ut pœna sibi sit omnis inordinatus animus.* Idem de verbis Domini: serm. 14. *unicuique sua cupiditas tempestas est.* Fassa Absaloni crimen suum Thamar, quæ eâdem etiam matre cum illo genita fuerat, profundè in corde ipsius vindictæ posuit semina. David afflictissimus fuit tanto filii scelere, in reum tamen indulgentior; quare peccâsse illum censet Cornel. à Lap. unde justo DEi judicio secuta tot mala tam Davidi, quam Amnoni. Abulensis censet, debuisse Davidem punire morte Amnonem, etiam non instigante parte, ob tantum scelus publico bono noxium. Cajetanus eum excusat à tam gravi punitione, eòquod crimen esset occultum, nec ullo teste probari

ri

ri posset. Adde ex Cornel. quòd Amnon erat primogenitus, hæres & successor in regnum, ideoque in vita ob publicum reipublicæ bonum servandus, & mitiori pœna castigandus. Thamar luctuosissimam vitam ducebat, quam Amnon nec ducere poterat uxorem tam proximo consanguinitatis gradu prohibente, & insuper eam capitali prosequebatur odiô, nec illa cuiquam alteri honestè nubere poterat. Absalon interea meditabatur vindictam v. 22. *Porrò non est locutus Absalon ad Amnon nec malum, nec bonum.*

76. Amnon necatur. 2. Reg. 13.

Ann. Mund. 3002. Meditatum hactenus scelus Absalonis erupit in actum; is evocatos in pagum, opportunam tondenarum ovium tempus nactus, quo convivia à Patribusfamilias instituti solebant, bonâ patris venia (quem itidem ad vitandam suspicionem invitabat, sed ab illo audivit 2. Reg. 13. v. 25. *Noli fili mi, noli rogare, ut veniamus omnes, & gravemus te*) Amnonem instantibus precibus tanquam primogenitum, & patris locum in convivio habiturum, evocavit. Agebat is ignorans tragicam scenam, at Absalon præceperat famulis, quos alienigenas (Gessuritas plerique interpretes putant fuisse) adlegerat, ut signo datô Amnonem interficerent. v. 18. *Nolite timere, ego enim sum, qui præcipio vobis, roboramini, & estote viri fortes.* Quid multa, quod jussi erant iniqui famuli, scelerato ausu perfecère, quare magno tumultu sese proripuère convivæ; primus nuntius omnes filios periisse, nuntiavit Davidi, qui scidit vestimenta, corpus in terram abjecit, postea de solius Amnonis nece certior factus, luxit mortem Amnonis, sed non minùs spiritualem Absalonis, qui fugit ad avum maternum Tholomai, regem Gessur, ejus operâ reconciliandum sibi patrem sperans. Absalon in exilio, David in luctu, sequentibus annis mansère. 1. Reg. 13. 39. *Cessavitque rex David persequi Absalon*, quem persequebatur, non bellum contra illum agendo, sed non permittendo ipsum ingredi in regnum suum. P. Salian.

Absalon redditur in gratiam 2. Reg. 14.

Ann. Mund. 3005. Moliebatur reditum Absalonis Joab, uti qui erat tam Davidi, quam Absaloni sanguine conjunctissimus, metuens tamen repulsam, quæ Principibus viris gravior esse solet, quod quamdam petitionis imprudentiam tacite arguat, Thecuitem mulierem, sapientiæ famâ celebrem ad regem mittit, ut misericordiæ postulatio suavius per os mulieris in cor paternum illabatur, illique parabolam proponendam suggerit. Ingressa ad regem mulier, vestitu lugubri, ad misericordiam composito, narrat filiorum suorum ex rixa in agro con-

 flictum

flictum, & alterius ex conflictu cædem; indeque cognatorum studium ad interficiendum cædis authorem, ex quo futurum erat, ut viri sui familia, defectu hæredis funditùs extinqueretur. Hic rex præcepturum se dicit judicibus, ne huic mulieri, aut filio ejus molestiam inferant, datamque gratiam, etiam jurejurando confirmat. Etsi dispar erat causa filii parabolici, ut advertit P. Salianus, oportebat tamen ita componi parabolam, ut pro illa decretum fererretur: tum demum infirmiori parabola addit rationes. Periculum esse, ne Abſalon inter Gessuritas peccato infidelitatis maculetur, imitandam esse divinam in peccatores resipiscentes clementiam. Dedit itaque veniam David Absaloni; non patiebatur tamen eundem in suum venire conspectum, ut melius apprehenderet sui delicti gravitatem.

Biennio ferè Patris conspectu caruit Absalon, quod illi gravissimum fuit, ut homini aulicæ pompæ assueto. Dum dicit scriptura mansisse illum Hierosolymis & patrem non vidisse, explicanda de loco suburbano. Ibi licet aliîs non carebat deliciîs, & visitatione Magnatum, tristem tamen non visâ facie patris vitam agebat. Tantæ fuit formæ Absalon, ut dicat scriptura. v. 25. *porro sicut Absalon vir non erat pulcher in omni Israel.* Utinam sane pulchritudo animæ proportionata venustati corporis fuisset. Singulis annis resecabat cæsariem, *& v. 26. ponderabat capillos capitis sui, ducentis siclis pondere publico.* P. Salianus pondus istud refert ad pretium. P. Cornel. à Lap. vult propriè sumi, atque hanc comam, quæ totô annô nutriebatur, in decursu anni 8. librarum pondus habuisse, minus tamen sentiebat, quàm si pondus aliquod extrinsecum 8. librarum capiti suo imposuisset, quia hæc coma fuit capiti illi connaturalis.

Capilli ejus pretiosi.

Ann. Mund. 3007. Molestè tulit Absalon interdictæ visionis paternæ pœnam, voluitque ejus relaxationem per Joabum apud patrem obtinere, qui dum ab Absalone vocatus, venire tardaret, jussit ille hordeaceam Joabi messem succendere, ut hoc pacto querulum ad se accerseret, factum id, excusavit se Absalon, damnum appromisit se compensaturum, exposuitque, ex quo motivo illud intulit, petiit à Joabo reconciliationem sui cum Patre, quod & præstitit Joab.

Absalon optat ardenter faciem Patris videre. 2 Reg. 14.

Ann. Mund. 3008. Belli civilis apparatus authore Absalone dolosis artibûs struebatur. 2. Reg. 15. v. 1. *fecit sibi Absalon currus & equites, & 50. viros, qui præcederent eum.* Suffurabatur is Patri corda civium, accessit pellex ipsius pulchritudo; accessit humanitas ad genua sua provolutos sublevantis, osculantis, proponentibus querelas suas dicentis. 2. Reg. 15. v. 3. *Videntur mihi sermones tui boni & justi, sed non est, qui te audiat constitutus à Rege dicebatque Absalon v. 4. quis me constituat Judicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & juste judicem? v. 5. sed & cum accederet ad eum homo, ut salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehens osculabatur eum.* Hîs malîs artibûs, captatâ populi benevolentia ambitionis scenā adornat.

77. *Ann. Mund. 3009.* Ambitioni associavit hypocrisim Absalon, dixit enim regi. v. 7. *Vadam & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron.* Erat religiosus hic locus, lipsanis sanctorum Patriarcharum, ibique vota religionis causâ nuncupabantur, alioquin non esset Absalonis prætextus illuc eundi. Et divina providentiâ factum, ut pateretur DEus Patrem obtusiorem fieri in observandis filii rebus; nam siquid advertit, juvenili fastui, non ambitioni regni adscripsit, uti vir magni animi, minime suspicax.

Absalom Rex proclamatur 2. Reg. 15. Hypocrysis pœna.

Profectus itaque in Hebron Absalon, commeatu à Patre acceptô, misitque nuntios per totum regnum, qui ubique populos monerent, ut eodem die & horâ (P. Salian.) ad buccinæ sonum ubique Absalonem regem proclamarent, ad eumque Hebronem confluerent. Salutatus itaque Hebrone rex, ac innunctus Absalon tendit Hierosolymam Patri regnum & vitam erepturus.

Re cognita David, ne periculo populum sibi faventem objiceret, cedit furiæ filii, nudis pedibus, plorans, opertô capite, cum sexcentis morem illi gerentibus, viris bellicosis egreditur in deserta nota sibi jam pridem. Fugam respiciens Davidis S. Chrysost. in Ps. 3. quem tunc David dictavit, (P. Cornel. à Lap.) ait: *Fugiebat David filium suum, quoniam castitatem fugerat, fugiebat filium, quoniam matrimonium pudicum fugierat.*

Egressus ex urbe David ordinavit suam turbam, interea Abiathar Pontifex cum arca ad Davidem venit, ibique Dominum de eo, quo se David vertere deberet, consuluit, tacente Domino cognovit David, nolle Deum esse illi arcam comitem, remittit itaque illam in locum suum v. 25. *& dixit rex ad Sadoc, reporta arcam DEi in urbem, si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum v. 26. si autem dixerit mihi: non places, præsto s u, faciat, quod bonum est coram se.* P. Cornel. à Lap. *vide hìc miram Davidis humilitatem, obedientiam, & resignationem, qua meruit in regnum restitui, magisque quam antea exaltari.*

As-

Ascendit deinde montem olivarum David, ubi occurrit ei Chusai, scissa veste, pulvere conspersus, sed hunc David remittit in urbem, ut se in amicitiam Absalonis insinuet, consilia Achitophelis, qui erat præcipuus Absalonis consiliarius, disturbet. Ingreditur interea urbem sine sudore triumphator Absalon, David verò omnia sua peragit, cui occurrit in turbido piscaturus Siba famulus Miphibosethi, munera regi, scilicet duos asinos onustos ducentîs panibus, & centum alligaturis uvæ passæ, tum captatâ muneribus benevolentia herum suum coram Davide calumniatur: 2. Reg. 16. v. 3. *Remansit in Jerusalem dicens: Hodie restituet mihi domus Israel regnum Patris mei.* Credidit improbissimi dolosò artificiô deceptus David, bona Miphibosethi illi tradidit. v. 4. *tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth* Hunc porrò Davidis lapsum admirabilis patientia secuta, Semei enim, vir potens, de cognatione domûs Saulis, res pessumdatas Davidis cernens, eum convitiis invasit. v. 7. *Egredere, egredere vir sanguinum & vir Belial, reddidit tibi Dominus universum sanguinem domûs Saul, quoniam invasisti regnum pro eo*, nec dictis contentus v. 6. *mittebatque lapides contra David, & contra universos servos regis David.* Incalcuit zelus Abisai Davidis ex sorore nepotis v. 9. *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo regi? v:dam & amputabo caput ejus.* Sed cohibuit David cognati impetum ipséque tam grandem injuriam patienter toleravit, quod extollit S. Ambr. l. de David. c. 6. *Quam moraliter docuit, quod injuriarum tempora examina probationum sint. Exercetur bonus athleta convitiis, exercetur laboribus, & periculîs, ut dignus sit, cui deferatur corona justitiæ - - - ô altitudo prudentiæ! ô altitudo patientiæ! ô devorandæ contumeliæ grande inventum. Ecce verborum contumelia parricidii levavit ærumnam.*

David decipitur à Siba calumniatore 2. Reg. 16.

à Semei probris afficitur: 2. Reg. 16.

Quod David tam æquanimiter tulerit injuriam, observat S. Gregor. moralium l. 31. c. 17. *David exsurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animum malum, quod perpetravit, & æquanimiter pertulit, quod audivit; & contumeliosa verba non tam convitia, quam adjutoria credidit, quibus se purgari, sibique misereri DEum posse judicavit. Leve quippe videtur, quod injuriâ percutimur, dum in actione nostra perspicimus, quia pejus est, quod meremur.* quod autem dicit David v. 10. *Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David.* Explicat P. Cornel. à Lap. hìc quod præcepit, impropriè & permissive accipi potest, pro *permisit*, vel potius pro *decrevit permittere*. Dices: S. Augustinus. lib. de grat. & libero arbitr. c. 20. ait: *DEus voluntatem Semei vitiô suo malam in hoc peccatum maledicendi inclinavit.*: ergo

positive fuit author maledictionis, & peccati, quod absit. Respondit idem: *inclinavit*, id est, inclinatam ad maledicendum tenuit, direxit, frenavit, & impedivit, ne in alium, quàm Davidem sese exsereret, & permisit ut in eum omne rancoris virus sui effunderet.

Interea Chusai ad Absalonem venit, eundem salutavit, dicens: 2. Reg. 16. v. 18. *Illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & universus Israel, & cum eo manebo. v. 20. dixir autem Absalom ad Achitopel: Inite consilium, quid agere debeamus.* Dedit itaque consilium Achitopel Absaloni. 1. ut concubinas Patris pollueret, idque notum fieret populo, quo magis populus sciens Patrem à filio inexpiabili scelere offensum firmiùs ei adhæreret: 2. ut Patrē quantociùs opprimeret. Executus primum nefandum consilium Absalon, secundum prudenter dissipavit Chusai; is enim petitus dedit consilium, ut potiùs congregato universo Israele, ipsoque Absalone præsente in medio eorum, ipsum Davidem aggrederetur, id consilium placuit, quia Absalonis gloriosior futura erat victoria. Non hoc volebat Chusai (P. Cornal. à Lap.) sed id suæ sententiæ prætexuit ut daretur mora Davidi ad fugiendum, & comparandum prælium, quæ mora seditioso populo plerumque freni loco esse solet, languescente sensim furore, & animorum ardore. Tacitè posthac Chusai cum Abiathare & Sadocho innitô consiliô monet per nuntios Davidem, ut, quam primum Jordanem superet, ne forte Achitophel velit consilium suum in praxim deducere. Et verò Achitophel videns posthabitum consilium suum stabiliendo Absalonis regno utilissimum, domum reversus laqueo sibi vitam eripuit; Prævidebat enim, uti erat prudens, & sagax Davidem bellicosum, ex mora sibi data collecturum validas copias, ac rebellem Absalonem debellaturum, ita Procopius, Theodoret. &c. talem sortitus est finem Pseudopoliticus, cui iniquissima impudicissima placuerant media, qui inverecundum juvenem per calcatum pudorem ducebat ad purpuram, qui sui principalis thronum, perversis dum moliretur stabilire rationibûs statûs, impulit ad ruinem, ipseque præcipitis vir ingenii, hæsit suspensus, se ipso carnifice; sublimiori loco compositus spectandum se præbet malis consiliariis, docetque eosdem, ut malo illius discant meliora. Absalon intellectô Davidem cum suis transisse Jordanem, ipse quoque eundem superat, constituit Amasam militiæ suæ principem, paratur prælium: David copias suas, quarum numerus fuit

Achitophelis nefarium & perversum consilium 2. Reg. 16.

Chusai consilium Achitophelis dissipat. 2. Reg. 17.

Achitophel se suspendit. 2 Reg. 17.

circiter 4000. ut vult Josephus, trifariam dividit. Partem Joabo partem Abisai fratri Joabi, partem Ethai Gethæo tradit, volebat & ipse interesse prælio, sed à ducibus retentus, quod in ipsius persona omnia verterentur, & in illum omnia tela converterentur, cessit persuasioni ducum Rex, comendavit nihilominus, ut sibi servarent vivum Absalonem. Videtur, certus de victoria fuisse, vel certè subintelligebat, si viceritis. Egressus itaque davidicus populus in campum, factum est prælium, in campo Ephraim, Davidici potiti victoriâ, 2. Reg. 18. v. 7. *Cæsus est ibi populus Israel ab exercitu David, factaque est plaga magna in die illa viginti millium.* Absalon ipse mulo insidens dum concitus tendit versùs frondosam quercum. v. 9. *Adhæsit caput ejus quercui*, ac suspensus in aere: plerique omnes interpretes capillis colligatum putant. Videtur tamen Absalon (P. Salian.) ita inseruisse caput ramis, ut illis collum ejus constringeretur. Josephus putat, ramis simul, & cincinnis implicitum, quasi funibus retentum.

Absalon victus & interfectus. 2. Reg. 18.

S. Chrysost. in Psal. 3. *capite tenebatur: qui genitoris caput auferre contendebat, & tanquam fructus pendebat ab arbore, qui naturæ agricolam volebat exscindere, & in corde jaculô confossus est; illic occisus, ubi cædem parabat, - - - coma tenebat coma Tyrannum, illic eum contundens, ubi diadema paternum gestare contendebat.* Idem paulo superiùs: *In altero ligno suspensus est, qui adversus patrem erigebatur: ab arbore retinebatur, qui cum radice pugnabat: vinctus erat à ramo ramus à paterna affectione alienus.* Dum suspendium Absalonis nuntiatum Joabo, accurrit. v. 14. *tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom* (in hebræo *tria spicula*) *cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem juvenes armigeri Joab, & percutientes interfecerunt eum*, Id est (P. Salian.) motus & sensus penitus expertem reddiderunt, bis enim interfici non potuit. Ita, qui decem concubinas Patris polluerat à 10. juvenibus vulneribus deformatus. Deliquit hic gravissimè Joab, quod contra mandatum regis cædem patrasset, nec reo spatium pœnitendi dedisset, nam, etsi nonnulli censent confossum non statim exspirasse, habuisseque tempus pœnitendi, verùm citati à patre Cornel. à Lap. S. August. Salvian. S. Chrysost. S. Bernard. Theodor. Procop. in flagranti delicto confossum, nec animum, nec consilium, nec rationem de DEo & sua salute cogitandi habuisse, ideóque damnatum censent. Nam ut ait S. Augustin. *Justum est hoc DEi judicium, ut peccator, qui in vita est DEi oblitus, in morte obliviscatur & sui.* Sepultura Absalonis describitur

Perquæ quis peccat.

bitur. v. 17. *Et tulerunt Absalom & projecerunt eum in saltu in foveam grandem, & comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis, omnis autem Israel fugit in tabernacula sua.* Exstare adhuc magnum lapidum acervum meminit P. Cornel. à Lap. qui acervus augetur quotidie magis, ac magis, nam pagani & peregrini illac transeuntes pro more habent, ut quisque lapidem in eum projiciat, quasi vindicando rebellionem adversus David Patrem suum susceptam. Ita, qui populum turbaverat, multis lapidibûs obrutus.

78. Magno animi dolore excepit mortem filii David, quem lugentem audaciter adiit Joab, monuitque, ut deposito luctu præseferret approbare se, quæ facta sunt, ne populus sibi deserto Davide consuleret. Tulit mansuetè monitionem David, misit ad tribus amicos, qui redintegrationem amicitiæ suaderent, & persuaserunt; miserunt tribus legatos, præcipuè tribus Juda, ut cæteris præeat exemplo, monetur; & quoniam Amasa Davidis ex sorore nepos, qui partes Absalonis sequebatur, retardare hanc tribum videbatur, offertur illi summus Principatus militiæ, quem Joab tenebat, quo privare eum volebat David, tum propter homicidia, tum pertæsus morum illius, & superbiæ. Irritum quidem fuit hoc decretum, irrita tamen non fuit ad Amasam & Tribum Juda adhortatio, hæc enim prima accessit Davidi, à quo humanissimè, & peramanter excepta. Venit quoque Semei cum mille viris, ad pedes regis provolutus veniam petiit, & videbatur inflecti David, cum Abisai zelans, ùt ante pro honore regis dixit, 2. Reg. 19. v. 22. *Nunquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit Christo Domini, & ait David: quid mihi & vobis filii Sarviæ?* id est (P. Salian.) quid vestra interest, si ego misericors esse voluero? *cur efficimini mihi hodie in Satan?* id est adversarium, mortem enim Semei sequeretur tumultus populi, ideóque v. 23. *Ait rex Semei: non morieris, juravitque ei.* Quod juramentum ne violasse postea videatur, cùm eum à Salomone puniri jussit, dicendum videtur, Davidem non fuisse obligatum ad mentem Semei veniam promittere & jurare. P. Salian. Venit quoque Miphiboseth squallore plenus, qui afflictionem ex regis calamitate testaretur, ad regem, causam suam exposuit, calumniam Sibæ refutavit: injustum tamen judicium in hac sua causa à rege obtinuit, qui dixit. v. 29. *Tu & Siba dividite possessiones*, sicque in hac causa tripliciter Davidem pecasse fatentur aliqui interpretes. 1. quod non intellecta causâ Miphibosetum omnibus fortunis ex-

Peragit tranquilla potestas.

Mansuetudo efficax.

Injuriarum condonatio, Anno mund 3010.

Injustitia ob respectus in causa Miphiboseth 2. Reg. 19.

exuit. 2. Homini calumniam passo partem nonnisi bonorum, quæ tota illius erant, addixit. 3. Improbissimum heri sui calumniatorem non punivit. Porrò ex verecundia, ut observat P. Cornel. à Lap. hic, ne videretur erràsse, noluit in totum revocare primam sententiam; non facilè enim authoritate pollentes, quibus contingit errare contra judicium, immò justitiam, confitentur errorem. Excusant tamen aliqui errorem Davidis, quòd dubitàsset ob speciosas rationes Sibæ, an illi, an Miphiboseth credere deberet, ideóque sententiam dimidiavit; sed videbatur David cognovisse innocentiam, quia Siba accusator, qui erat præsens, ut patet v. 17. nil ad objecta sibi à Miphiboseth respondit. Probabile tamen est, quod suspicatur Abulensis q. 30. damnum hoc Miphiboseth Davidem alia ratione vel beneficiis compensàsse. Insignem tamen gratitudinem exhibuit David Berzellai Galaatidæ de se optimè merito; Cùm is octogenarius excusaret in aula commorationem, filiis ejus præstitit gratiam, & moriturus jussit Salomonem filios Berzellai perpetuos habere convivas.

Gratitudo Davidis erga Berzellai 2. Reg. 19.

Venerunt quoque aliæ Tribus ad Davidem, inter quas & Tribum Juda ortum jurgium conquerentibus contra Judæos cæteris Israelitis. v. 41. *Quare te furati sunt fratres nostri vir Juda,* doluerunt scilicet à Judæis, præreptam sibi palmam. v. 42. *Et respondit omnis vir Juda ad viros Israel: quia mihi propior est Rex. v. 43. Et respondit vir Israel ad viros Juda, & ait; Decem partibus major ego sum apud Regem.* Hinc causa data tumultui. Quare verò non compescuit has turbas pro regia authoritate David, mirum est. Et Abulensis hoc loco, non dubitat Davidis desiderare prudentiam, & humani aliquid adversùs Tribum suam passum, fateri, qui æquè pater esset omnium & Princeps.

Præcipuus fuit inter Israelitas motor seditionis Seba de cognatione Saulis, is, cùm buccinâ cecinisset, audientiámque sibi conciliasset, dixit. 2. Reg. 20. v. 1. *Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai. v. 2. Et separatus est omnis Israel à David, secutúsque est Seba filium Bochri.* Seditionem oppressurus Rex, Joabo abdicatô summum militiæ principatum, tradidit Amasæ contra Sebam, & 10. Tribus pugnaturo; sed mox Amasam, cùm priùs dixisset, v. 9. *Salve mi frater* per speciem benevolentiæ complexus Joab pugione confodit v. 10. *Effudit intestina ejus in terram, nec secundum vulnus apposuit.* Instar mortis Joabo erat post tri-

Seba classicum discordiæ canit 2.Reg.c.20.

trigesimum annum, de supremo secundùm Regem dignitatis gradu ignominiosè deturbari, ipsô autem occisô persuasum habebat, neminem totô regnô fore, qui eam dignitatem audeat admittere. Dissimulavit pejora metuens, turbatis maximè rebûs, David facinus Joabi, qui perpetrato hoc scelere heroicum actum exercuit, Sebam, qui Tribus percursabat, concitans contra Davidem, in Abela deprehensum obsedit, ac caput ejus de muro dejectum obtinuit. Ita civili bello finis, ad extrema deducto sebæ capite, tanquàm magnâ periodô, impositus, tum Joab ad Regem, recuperata ipsius permissu dignitate reversus.

Caput Nonum.

De fame, bello cum Gigantibus, peste regnante Davide.

79. Fames propter Saulem, qui olim sitiit sanguinem 2. Reg. 21.

ANno Mundi 3013. Tertiô jam annô in terris Davidis fames perseverabat, quam ille non credidit ex causis merè naturalibus profectam. V. 1. *Et consuluit David Oraculum Domini, dixítque Dominus: propter Saul, & domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas.* Pacificitur igitur David cum Gabaonitis, existimántque Hebræi, valdè probabiliter, oblatam illis, uti pauperibus, à Davide pecuniariam summam, sed illi recusarunt, dicentes v. 4. *Non est nobis super argento, & auro quæstio, sed contra Saul & domum ejus.* Deprecabatur magnitudinem hujus ultionis mitissimus David, objecit quoque jusjurandum à se factum Sauli & Jonathæ de non delendis eorum familiis. Septem ergò saltem petierunt, & impetrârunt, ut in duobus reliquis utrumque Davidis jusjurandum servaretur. Dedit ergò David Gabaonitis, tanquàm piaculum famis, publicè crucifigendos duos filios Respha concubinæ Saulis, tum quinque filios Micholis filiæ Saulis. Hi erant revera (P. Salian) filii Merob, sed eos Michol, quæ carebat libris, adoptaverat, ut ait Si Hieronym. Cruci ergò affixi perGabaonitas. AtRespha insigni charitate in cadavera filiorum usa,

Saulis posteri Crucifixi: 2. Reg. 21.

usa, vile sibi cubile erexit, ut illa à ferarum & volucrum morsibus protegeret, ídque ad aliquot menses usque ad supervenientem pluviam, quæ esset indicium exoratæ divinæ clementiæ, ad quam propitiandam illi suspensi erant. Quæritur hìc apud Cornel. à Lap. an æqua fuerit Gabaonitarum postulatio, ut crucifigerentur Saulis posteri; Respondetur, partim justam fuisse, cùm aliqui è posteris Saulis cooperati ei fuissent in cæde Gabaonitarum, partim iniquam, quia verisimile est, aliquos à cæde Gabaonitarum fuisse immunes, qui proinde pro peccato Patris, & cognatorum jure humano non poterant occidi, nam, ut ait Ezechiel c. 18 *filius non portabit iniquitatem Patris, sed anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Unde in nullo fidelium tribunali filius pro Patre occiditur, dico fidelium, nam apud infideles, uti apud Japones, patre peccante, filii etiam ejus plectuntur. Quarè postulatio hæc Gabaonitarum aliquid habet rancoris, & vindictæ insolentis, nisi dicas, ipsos non ex se, sed ex Dei Instinctu id postulâsse, ídque innuiter v. 9. *Qui crucifixerunt eos in monte coram Domino.*

David cum Philisthæis bellum;

Ann. Mund. 3014. Sexagesimum 4tum ætatis annum agebat David, cùm à Philisthæis factum initium belli, quibus suscitabant animos novi Gigantes antiquo illi Goliatho suppares cum illorum uno Jesbibenob dicto ipse David congressus v. 15. *Deficiente David Jesbibenob - - - - cujus ferrum hastæ trecentas uncias appendebat - - - nisus est percutere David. Præsidióque ei fuit Abisai filius Saruiæ, & percussum Philisthæum interfecit.* Theodoret. in manuscripto: *Qui factum est, ut David deficeret in acie? Senex erat, vincebat autem animi alacritate corpus.*

Duellum cum Gigante. 2. Reg. 21.

Ann. Mund. 3016. Pacificus hic annus Davidi, quo in gratiarum actionem Deo effunditur, cúmque altissima hac pace frueretur, elegit 30. fortes ex omni Exercitu, (P. Salian) divisítque illos in tres decades, in quarum unaquaque erat unus princeps fortissimus, hæc electio fiebat juxta cujusque fortitudinis laudem & merita. De uno ex tribus Davidis fortibus dicitur. 2. Reg. 23. v. 8. *Sedens in Cathedra sapientissimus Princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu unô.* Quis hic sedens in cathedra? David Rex inquiunt Hebræi apud S. Hieronym. Eucher. Lyran. Rupert. Verùm P. Cornel. à Lap. hìc, sedens non est David, sed Jesbaar primus fortium David, nam 70. verrunt *Jesbaam filius Thecmam primus trium hic.* 2. Paralip. 11. 11. *Jesbaam filius Hachamonis princeps inter triginta.* Recensentur enim hìc fortes Davidis, quorum princeps fuit Jesbaam. Ità Beda, Angelom: Hugo, Glossa, Cajetan. Salian. &c. *Absurdum non est, ut hi tres fortissimi, David, Eleazar, & Samaa intelligantur Trinitas: Deus Pater, & Filius, & Spiritus S. ad quorum æqualitatem cæteri fortissimi non pervenerunt. Eucherius.* Dicitur *tenerrimus ligni vermiculus*, amicis enim erat facilis mitis, & benignus, quasi vermiculus, sed idem hostibus erat terribilis, ut Leo. Ita Eucherius, Lyran. Abulen. Dum dicitur 1. Paralip. 11. occidisse 300. intelligendum juxta P. Cornel. à Lap. quòd prima vice occidit octingentos, secunda vice trecentos. Tropologicè P. Cornel. à Lap. Sancti, qui in sapientia & virtute eminent, apud se & alios sunt humillimi, quasi vermiculi, iidem tamen contra vitia sunt fortissimi, velut Leones. Allegoricè Jesbaam fuit Christus Rupert. l. 7. c. 38. *In Christo fuit spiritus humilitatis, quasi tenerrimus ligni vermiculus, quo duce, quasi vermem non hominem se conteri perpessus est - - - - mortuus enim semel spoliavit inferos, & nunc sedens in cathedra omnes judicaturus est vivos & mortuos.*

Fortes Davidis 2. Reg. 23.

Fortis 800. occidit 2. Reg. 23.

80. Eodem Annô subiit animum Davidis cogitatio, universum numerum bellatorum in fastos suos redigendi, cui voluntati cum vanitas & superbia se se insinuasset, Deus permisit Davidem in eam culpam labi, ut id peccatum in populo alioquin culpabili (quæ culpa P. Salian) videtur esse illa seditio cum Seba contra Davidem) justa animadversione castigaret. Resistebat hac in re Davidi Joab timens populo pœnam, nihilominùs instigante rege, profectus est Joab. Hæc lustratio juxta scripturam peracta 9. mensibus & diebus viginti. v. 9. *Et inventa sunt de Israel 800000. virorum fortium, qui educerent gladium. & de Juda 500000. pugnatorum.* Sed intermissus hic census, cùm David ex inspiratione divina religione tactus, doluit, quòd jussisset numerari populum, & veniam à Deo postulavit. Tunc mox venit ad eum Gad propheta, offert illi nomine Dei electionem. v. 13. *Aut 7. annis veniet tibi fames in terra tua: aut 3. mensibus fugies adversarios tuos, & illi te persequentur: aut certè 3. diebus erit pestilentia in terra tua.* v. 14. *Dixit autem David ad Gad: Coarctor nimis: sed meliùs est, ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt) quàm in manus hominum. Immisítque Dominus pestilentiam in Israel de manè usque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo à Dan, usque Bersabee 70000. virorum.* S. Gregor. l. 29. moral. c. 14. *David Propheta, tumore repentinæ elationis inflatus populum*

Pro numeratione populi mors stipendium. 2. Reg. 24.

Peste 70000. pereunt. 2. Reg. 24.

pulum numerando peccavit, & tamen vindictam populus, David peccante, suscepit. Cur hoc? quia videlicet secundùm meritum plebium disponuntur corda rectorum - - - sed quia ipse scilicet sua voluntate superbiens, à culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit. Nam ira sæviens, quæ corporaliter populum perculit, rectorem quoque populi intimò cordis dolore prostravit. Septuaginta addunt: *Et elegit sibi David mortem.* P. Cornel. à Lap. id est, pestem, quam vulgò mortem, sive mortalitatem appellamus. D. Chrysost. Hom. 29. in Epist. ad Roman: *Propterea in optione Suppliciorum illorum, non famem elegit, non hostilem persecutionem, sed immissam à Domino mortem, per quam sperabat alios quidem fore securos, se verò antè reliquos omnes è medio tollendum.* Unde ait v. 17. *Ego sum, qui peccavi, ego iniquè egi, isti, qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me.* Nam ut benè D. Chrysost. addit: *Vellicabantur viscera ejus cadentibus illis, tanquàm si genuini necarentur filii.* Multi putant apud P. Cornel. à Lap. pestem hanc, durâsse tantum per 6. horas tot enim sunt à manè ad prandium. Ità Theodoret. *Trium dierum mortem Deus minabatur, sex autem horis solùm mortem intulit - - Ità Deus benignus & Clemens, majoribus quidem usus est minis peccatores terrens, minis autem longè minora infert supplicia.* Idem Ambros. in Psal. 37. *Qui proposuerat mortem triduò exercere in terra, ne unum quidem diem passus est præterire, sed ad horam prandii libenter indulsit.* At cùm paulò antè dictum fuerit (P. Cornel. à Lap.) triduo duraturam. v. 13. moxque dicatur, v. 15. durâsse ad tempus constitutum, vis utique affertur scripturæ, si tempus constitutum, aliò quàm ad prædictum triduum referatur, ità quoque Cajetan. Dionys. Salian. & alii, qui censent, pestem hanc durâsse per duos integros dies, & per partem diei tertiæ, donec Deus dixit Angelo percutienti: *Sufficit.* v. 16. v. 17. *Dixitque David ad Dominum, cùm vidisset Angelum cædentem populum, Ego sum, qui peccavi &c.* Ille gladius Domini, quò percutiebat Angelus, metaphoricè (P. Salian.) de peste accipiendus. Quanquàm apparuisse Angelum cum gladio minimè dubium, ut ait Abulens. nonnisi finitâ plagâ. Dum enim David oraret Dominum, voluit illi Dominus Angelum percutientem ostendere, isque specie humana apparuit cum ingenti gladiò cruento aspectu terribili, quò visò David, timens, ne ultra sæviret pestis, cum suis in terram se projecit. Porrò Angelus hic infligebat Israëlitis pestem applicando eorum corpori & cordi aliquid valdè pestiferum, ait Abulensis.

pestiferum, ait Abulensis. Hebræi tradunt ex hac visione angeli, & dolore populi percussi Davidem perculsum, incurrisse morbū incurabilē, quare ipsum ad Deum ingemuisse Psal. 63. *Miserere mei, quoniam infirmus sum. Infirmum se appellat*, inquit Lyran. Juxta sententiā veterū Rabinorū, quia ex visione Angeli percutientis populum visione prædicta fuit ità perterritus, ut de cætero languidus remaneret, adeò, ut nullis vestibûs calefieret. ut 3. Reg. 1. v. 1. dicitur.

Placatus Dominus 2. Reg. 24. monuit per Gad prophetam Davidem, ut ascenderet in montem Moria vicinum, exstrueretque altare Domino in area Areuna Jebusæi, eum enim locum jam pridem elegerat Dominus, in quo magnificum templum excitaretur, qui ipse locus ante annos 854. Abrahami sacrificio consecraretur. Venit David in illum locum, emit aream apud Areuna sive Ornam, sexcentis auri siclis, id est, trecentis auri unciis, licet ille gratis offerret. Erexit ibi David altare, in quod ignis de cælo depluit, quò consumptum est holocaustum. Videns David placuisse Domino sacrificia promulgavit populo, memor relationis ante 27. annos factæ de templo ibi excitando, eum locum electum à Deo, illo ergo tempore locum templi cognovit, hoc populo patefecit, & præcepit, ut congregarentur omnes Proselyti de terra Israel, & constituit ex eis latomos ad cædendos lapides & poliendos. Proselyti, si vim vocis attendas, advenæ sunt & peregrini, ex usu tamen hebræorum non tam ex nova habitatione in populo Dei, quàm ex nova fidei professione relictâ idololatriâ dicebantur, & ab Hebræis contemnebantur, quòd non essent ex semine Abrahami, sicut nunc novi Christiani ex Judæis. Proselyti quid?

Ann. Mund. 3018. Celebratæ nuptiæ Salomonis, nec dubium accedente consensu patris cum Ammanitide Naama, de qua 3. Reg. 14. 21. Hæc fuit regis filia. Hæ tamen nuptiæ non videntur Deo satis probatæ, nam ex conjugio Davidis cum Maacha exortus est facinorosissimus Absalon, & Thamar probroso infamis incestu. Præparabat hoc annô David materiam pro illo magnificentissimo templo, nec ineptam, totam enim ædificii dispositionem divinitùs acceperat; ubi colligere poterat, quali materiâ opus esset. Nuptiæ Salomonis.

Ann. Mund. 3019. David seniò confectus deficiebat, præcipuè frigidô aliquô morbô afficiebatur, unde suasu medicorum quæsita puella virgo, quæ senem foveret, hæc fuit Abisag; & acquievit quidem bonus

nus ſenex conſilio, ſed ita, ut periculum peccandi evitaret, eam enim in omnem eventum duxit uxorem. Quod autem notatum eſt, illam à Davide cognitam non fuiſſe, ad Davidis laudem, etiam à licitâ delectatione abſtinentis, pertinet. Et notatum id ad ſtatum puellæ indicandum, hæc enim Adoniæ conjugiô poſtmodùm apta non fuiſſet, quam ducere in uxorem voluit. P. Salian.

Caput decimum.

De Seditione Adoniæ contra Davidem. De Davidis Oratione ad populum, ſumptibus in fabricam Templi, Teſtamento, & Morte.

81. **Adonias contra Davidem patrem erigitur. 3. Reg. 1. ad ſeditionem movet.**

DEcumbente Davide erigebat Adoniam ambitio. 3. Reg. 1. v. 5. Elevabatur dicens: *Ego regnabo. Fecítque ſibi currus & equites, & 50. viros, qui currerent antè eum.* Imitabatur Abſalonem, viámque ſibi paulatim per hos currus & equites ad ſolium apparabat. Reprehenditur David, quòd ſe indulgentiùs geſſerit erga Adoniam, quæ indulgentia ex præcipuo amore erga Adoniam nata, quem illi apud Patrem primogenitura, & pulchritudo conciliabat. v. 6. *Erat autem & ipſe pulcher valdè, ſecundus natu poſt Abſalom.*

Ann. Mund. 3020. Cùm ergò David magna ex parte lecto affixus teneretur, erupit Adoniæ ambitus. Abiatharem Pontificem, & Joabum militiæ Principem ſibi devinxerat, permittente Deo Abiatharem labi in hoc delictum, ut ſententia olim in domum Heli à Deo lata executioni mandaretur; Joab quoque additô hoc ſcelerum complementô, etiam anteriorum pœnam lueret.

Unctio illegitima Adoniæ in regem.

Adhæſit itaque Abiathar Pontifex Adoniæ, ſperabat enim, ſacra unctione Adoniæ traditâ regem eundem è re ſua ſemper fore & ſummum Pontificatum ſibi confirmaturi. Joab quoque ſperabat, ſi curâ ſuâ Adonias rex fuerit, eum ſemper obſtrictum ſibi fore. Trahebant hæc duo capita reliqua membra, etiam filios regis, quos omnes conviviô exceperat Adonias juxta fontem Rogel, ibi ab Abiathare Pontifice oleô ſacrô inunctus additîs aliîs ceremoniîs. Favebat verò Salomoni imprimîs divina electio, de qua David dixit 1. Paralip. 28. 5. *Sed & de filiis meîs (filios enim multos mihi dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, ut ſederet in thronô regni Domini ſuper Iſrael.* Favebat Davidis promiſſio jurejurandô firmata, Æmulus Abiatharis Sadoc, & Banajam ſummæ militum præfecturæ candidatus, favebat Nathan Propheta ejus Inſtitutor, hic ergò Bethſabæam adit, dicítque illi 3. Reg. 1. v. 11. *Num audiſti, quòd regnaverit Adonias filius Haggith, & Dominus noſter David hoc ignorat?* Ex conſilio itáque Nathanis adit Bethſabæa Davidem, dúmque, quæ geſta eſſent, proponit, ſupervenit ex condicto Nathan, dicta mulieris ſolidîs rationibûs confirmat.

Salomon Rex declaratur, inungitur. 3. Reg. 1.

Hîs auditîs David 1. Bethſabæam renovata promiſſione & jurejurandô de inſtituendô eo ipſo die rege Salomone conſolatur. Curam tam grandis negotii perficiendi Sadoco Sacerdoti, qui, cùm inſtar eſſet Pontificis, neceſſarius erat ad inungendum regem. Nathani prophetæ, qui neceſſarius erat, ad conteſtandam coram populô Dei & regis in hac novi regis conſtitutione voluntatem. Bananiæ, qui præpoſitus erat legionibus Phelethi, & Cerethi, neceſſariúsque ad vim propulſandam negotium iſtud committit. Qui, præterquàm quòd erant viri Principes, & Davidi fideliſſimi, eò exactiùs executuri id ſperabantur, quò minùs accepti erant Adoniæ. Mandavit illis congregari robur exercitûs, deduci ad fontem Gihon, qui erat è regione oppoſitus fonti Rogel, ubi Adonias convivium agebat, ut nihil interturbarent, ſed res confecta eſſet, priusquàm illi ſentirent, uti & contigit, juſſit ibi à Sadoco Sacerdote, aſſiſtente Nathane inungi Salomonem in Regem, ſono buccinæ conclamari regem, addítque. v. 35. *Et aſcendetis poſt eum, & veniet, & ſedebit ſuper ſolium meum, & ipſe regnabit pro me*, non dicit poſt me, quia vivo Davide regnaturus erat. Facta hæc omnia, inunctus Salomon oleô ſacrô ſumptô de tabernaculo, quod erat in Sionis arce, Nathan autem propheta manantem è capite liquorem ab aure in aurem circumducit per frontem, in more coronæ, ritu, quem ex Rabino Salomone refert Lyranus & Abulenſis. Obſervat hìc Cornel. à Lap. quòd aliô oleô ungebantur Reges, aliô Pontifices, & Sacerdotes, Reges enim oleo ſimplici, Sacerdotes verò oleô compoſitô ex aromatibus, ſcilicet ex myrrha, cinamomô, caſiâ, calamô, quæ oleô olivarum

rum miſcebantur, ut patet ex

Sacerdotis dignitas.

Exod. 30. & 31. & 32. ubi hoc oleum vocatur Sanctum, vetatúrque ſub pœna capitis, ne quis Laicus eô ungatur, quare rex eô ungi non poterat, ſed oleô vulgari, quod tamen dicebatur ſanctum, quia è Sancto tabernaculo acceptum. Longè ergò ſanctior erat conſecratio Sacerdotum, quàm Regum, ut patet ex ejus ritu, qui deſcribitur toto capite 29. Exod. & Levitici 8. Ità cenſet Oleaſter, Cajetanus &c.

Salomonis inunctio, Coronatio. 3. Reg. 1.

Datum deindè buccinâ ſignum populo plaudendi. v. 39. *Et dixit omnis populus, vivat rex Salomon* - - - v. 40. *Et inſonuit terra à clamore eorum.* adeò, ut in adverſa parte civitatis Hieroſolomytanæ exaudiretur. Sic unctus in urbem deducitur, in ſolio paterno conſtituitur (erat enim hic ritus, ùt ait P. Salian: in ſolio ſedendi, quaſi acceptio poſſeſſionis regni, & ſupremæ judiciariæ poteſtatis) Salomon. Corona quoque paterna illi impoſita. Fecit deindè Salomon fœdus cum Deo, promittens ſe ejus legem obſervaturum: cum populo promittens ſe eum cum omni juſtitia & moderatione ex Dei legibus gubernaturum. v. 47. *Et ingreſſi ſervi Regis, benedixerunt Domino noſtro Regi David, dicentes, Amplificet Deus nomen Salomonis ſuper nomen tuum, & magnificet thronum ejus ſuper thronum tuum.* Nec injucunda erat morituro brevi principi hæc comparatio, ſuam enim exiſtimavit gloriam, gloriam filii optimus pater. Porrò voto huic populi, ut advertit P. Cornel. à Lap. reſpondit eventus, Salomon enim Davidem regni amplitudine, opibûs, deliciìs, gloriâ, ſapientiâ ſuperavit, at non in virtute & ſanctitate ſaltem in ſenecta. Sic Honorio Imperatori accinit Claudian: Aſpice, completur votum, jam natus adæquat te meritis, & quod magìs eſt laudabile, vincit. v. 47. *Et adoravit Rex in lectulo ſuo, & locutus eſt: benedictus Dominus Deus Iſrael, qui dedit hodiè ſedentem in ſolio meo videntibus oculis meis. Adoravit* P. Cornel. à Lap. quod dicitur, David Deum adorans laudavit, eíque gratias egit, quòd dediſſet ſibi antè mortem videre ſucceſſorem.

82. Adonias turbatus fugit. 3. Reg. 1.

Quæ cùm ità geſta eſſent, nuntiatáque Adoniæ, facta conſternatio. v. 49. *Ivit unusquisque in viam ſuam, Adonias autem timens Salomonem, ſurrexit, & abiit, tenuítque cornu altaris.* Immunitatis enim privilegium altari maximè tribuebatur. Nuntiatum Salomoni Adoniam tenere cornu altaris, & veniam ab ipſo in hæc verba petere. v. 51. *Juret mihi Rex Salomon hodie, quòd non interficiat ſervum ſuum gladiô.* Huic humiliationi facilem

lem ſe præſtitit Salomon, ſupplicem humiliter excepit, dimiſit in domum ſuam. Cenſet P. Salian. 21mô ætatis ſuæ annô Salomonem Regem factum.

Ann. Mund. 3021. In hunc annum conjicienda comitia, quæ ex 1. Paralip. 28. cætera ex 3. Reg. 2. deſumenda. Neceſſitate cogente ſubitò factus fuerat Rex Salomon, expediebat tamen, ut omnium ordinum conſenſu confirmaretur. 1. Paralip. 28. v. 1. *Convocavit itáque David omnes Principes Iſrael, duces tribuum, & Præpoſitos turmarum &c.*

Davidis oratio ad populum 1. Paralip. 28.

In illis comitiis ſurrexit David 1. Paralip. 28. v. 2. Idque credibiliùs non ex lectulo, ſed ex ſolio. Incepit deindè concionem v. 2. *Audite me fratres mei &c.* Deíque voluntatem volentis regem eſſe Salomonem expoſuit, illíque ſalutaria monita dedit. 1. Paralip. 28. v. 9. *Tu autem Salomon fili mi ſcito Deum patris tui, & ſervito ei corde perfecto, & animô voluntariô,* (corde ſcilicet ſincero, & non ſimulato) P. Salian: *Omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & univerſas mentium cogitationes intelligit. Si quæſieris eum, invenies, ſi autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum.* P. Salian: non videtur hoc ad æternam Salomonis condemnationem trahendum, id enim non cenſetur revelatum Davidi, quod illum vehementiſſimè affligeret, ſed intelligendum de regia ſucceſſione, & apponit hæc verba illis, quæ paulò antè dixerat. v. 7. *Et firmabo regnum ejus usque in æternum, ſi perſeveraverit facere præcepta mea.* Nec obſtat, quòd Regnum Davidis non pendebat à probitate poſterorum ejus, duravit enim annis 400. Si enim & Salomon, & poſteri ejus in cultu Dei perſeveraſſent, duraſſet ad Chriſtum, vel ut exiſtimat Abulenſis, ad conſummationem ſæculi.

Fabricam quoque templi commendavit David. v. 19. *Omnia,* inquit, *venerunt ſcripta manu Domini ad me.* P. Cornel. à Lap. hìc: Deus in tabula deſcripſit totam Idæam templi, illámque per manus Angeli tradidit Davidi, ut is eandem traderet Salomoni, qui juxta eam templum ædificaret. P. Salian: Et ne abſterreretur magnitudine operis, Deum ei affuturum ſpopondit.

Impenſæ templi. 1. Paralip. 28.

Enumerat deindè David ſumptus, quos tanto operi præparavit 1. Paralip. 29. v. 2. *Ego autem totis viribus meis præparavi impenſas Domûs Dei mei, aurum ad vaſa aurea, & argentum in argentea &c. - - - omnémque pretioſum lapidem, & marmor Parium abundantiſſimè.* Adduntur ex privato Davidis peculiô v. 4. *Tria millia talenta auri de auro Ophir, & ſeptem millia talentorum argenti pro-*

probatissimi. Adde his optimatum dona, quæ mox subduntur. v. 7. *Dederúntque in opera domûs Dei auri talenta quinque millia, & solidorum decem millia* (quos septuaginta drachmas vocant) *argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia, ferri quoque centum millia talentorum.* Tantos comparavit sumptus pro Domo Dei David: de aliis dicit supra v. 3. *Exceptis his, quæ præparavi in ædem sanctam.* P. Cornel. à Lap. q. d. præter illa, quæ ex spoliis hostium, & regnis subactis præparavi, & congessi ad fabricam templi, de quibus 1. Paralip. 22. 14. *Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas Domûs Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris verò & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine.* P. Cornel. à Lap. hìc: auri talenta 100000, hoc est 12. cum dimidio milliones librarum auri, quæ faciunt mille & ducentos milliones aureorum francicorum, tantundem reliquit illi in argento scilicet mille millia talenta argenti, quæ faciunt totidem, scilicet mille & ducentos milliones aureorum francicorum, olim enim una libra auri valebat decem libras argenti. Immensa penè & incredibilis videtur hæc auri & argenti summa, sed Deo nihil est impossibile. Censet Vilalpandus, Davidem & Salomonem annuo reditu opibus superâsse tributa & opes Romanorum, Chaldæorum, Persarum, omniúmque regum & Monarcharum. Dicit David: *In paupertate mea præparavi.* P. Cornel. à Lap. 1mô: quia hæc omnia præ Dei dignitate & Majestate parva & pauca. 2. Quia in multo labore, & afflictione parata. 3. & maximè, quia, ut sequitur, hæc omnia erant Dei, quarè Davidis non erant, quia ipse ex se pauper erat.

Conclusit David Orationem, precando pro filio 1. Paralip. 29. 19. *Salomoni quoque filio meo da cor perfectum, ut custodiat mandata tua, testimonia tua, & cæremonias tuas, & faciat universa, & ædificet ædem, cujus impensas paravi.*

Secunda Die comitiorum (P. Salian:) facta regis inauguratio, unctus est nunc publicè 1. Paralip. 29. v. 22. *Et unxerunt secundò Salomonem.* P. Cornel. à Lap. hìc: priùs enim privatim coram paucis unctus fuerat, hìc ergò ungitur secundò publicè, ut omnes sciant, eum esse Regem Israelis.

Testamentum Davidis. 3. Reg. 2.

His peractis testamentum David condit, editô primùm Psalmô 71. qui in Salomonem inscribitur: *Deus Judicium tuum Regi da.* In hoc testamento dat filio Salomoni monita salutis de observandis Dei mandatis, tum jubet, eum de quibusdam noxiis pœnam sumere, quos ipse propter justas rationes non poterat punire, ut minùs invidiosa sit animadversio, quæ à filio fiat ex parentis mandatô. Imprimìs autem de Joabo ob cædes perpetratas, propter quas vult illum puniri Zelô incitatus justitiæ, quamvis canum, & multis pro regno laboribûs perfunctum, & regio sanguine progenitum, à cognato rege. Commendavit punitionem Semei, commendavit gratitudinem ergà filios Berzellai.

Davidis mors. 3. Reg. 2.

Sic constitutis rebus, ultima periodus mors Davidis secuta 3. Reg. 2. *Dormivit igitur David cum patribus suis, & sepultus est in civitate David.* Vir sanè prospera, & adversâ fortuna probatissimus: magna felicitas minimum, & patris oves pascentem; ingentes ærumnæ invenêre felicem; & solium regium possidentem. Sensit, quam grave sit Regnum, cui continuæ calamitates addidissent pondus, his tamen infractus molem regni sustinuit; insigni, ut advertit P. Bussieres, pietate in Deum, justitiâ in subditos, moderatione in hostes omni laude major.

Circa sepulchrum Davidis notat P. Drexelius in Salomone c. 17. Hircanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho pio juxta P. Pinedam censetur è regio David monumento Hispanicorum ducatorum 4550000. eruisse. Ac Herodes plurimum indè Gazæ exemisse, neuter tamen ad regis tumbam pervenisse, censetur. Dicuntur in illo sepulchro fuisse Cellæ 8. absconditissimæ, & quantò profundiùs penetrabatur, tantò viciniùs appropinguabant grandioribus thesauris. Putantur millè milliones auri ibi defossi.



Caput

Caput Undecimum.

De Salomonis Regni Exordio, Animadversione in Reos, Sapientiâ, Judiciô disceptantibus duabus mulieribus, &c.

83. ANn. Mund. 3022. Ægrô erant animô contra Salomonem Adonias propter receptum regnum, Abiathar propter Summum Pontificatum, Joab propter amissum principatum militiæ. Ineunt itaque isti consilium Salomonem abdicandi, & Adoniam restituendi. Regno ab Adonia recuperando visa bona commoditas, si uxorem duceret Abisag Sunamitidem, quæ olim intacta Davidem fovebat, si enim habuisset uxorem Reginam ipse primogenitus, potentem factionem habens, facilè Rex futurus sperabatur. Petit itaque à Bethsabæa Adonias, ut id apud Salomonem obtineat. 3. Reg. 2. 18. *Et ait Bethsabæa* (nihil mali suspicata) *benè, ego loquar pro te regi. Venit ergò Bethsabæa ad regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia & surrexit rex in occursum ejus, adoravítque eam, & sedit super thronum suum, positúsque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus.* P. Cornel. à Lap. Privatim eam excepit & honoravit, ut matrem, nam, ut ait Taurus philosophus, privatim inter filium magistratum & patrem privatum publici honores cessant, naturales & genuini exoriuntur, undè Gellius laudat filium Fabii maximi, qui Consul existens, ac patri Proconsuli in publica via occurrens jussit eum ex equo descendere, atque Fabius imperio filii paruit, eúmque collaudavit. Sic honorificè excepta Bethsabæa v. 20. *Dixitque ei: petitionem unam parvulam ego deprecor à te; ne confundas faciem meam. Et dixit ei Rex. Pete mater mea: neque enim fas est, ut avertam faciem tuam. Quæ ait: detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor. Respondítque Rex Salomon, & dixit matri suæ: quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula illi & regnum: ipse est enim frater meus major me, & habet Abiathar sacerdotem, & Joab filium Sarviæ.* P. Cornel. à Lap. hic, promittit Salomon omnia se concessurum, quæ mater postulabit, intellige, si æqua & utilia postulet, non autem, si sibi matríque noxia, uti erat hoc de danda Abisag Adoniæ. Multò magis concedit Christus matri suæ omnia, quæ pro nobis supplicando petit, nec enim ipsa aliquid petit, aut petere potest, quod sit præter dignitatem filii & suam. Nec cunctandum ratus Salomon cognitô, quo collimaret Adonias v. 25. *Misitque rex Salomon per manum Banaiæ filii Jojadæ, qui interfecit eum, & mortuus est.* Cajetanus asserit (apud Cornel. à Lap. hic.) Salomonem peccâsse temeritate judicii, quod unicô judiciô fratrem læsæ majestatis damnaverit, nisi tamen id moris fuerit. At vel unicum, ait Serarius, si id certum sit, hodie sufficiat, præsertim ubi periculum est regi, ne regnô privetur ab æmulo, uti hìc erat. Addit Cornel. Salomonem hic punivisse primam regni invasionem factam ab Adonia. Licet enim Salomon illam ei condonasset, tamen id fecit sub conditione, si deinceps sibi foret fidelis, nullamque daret affectati regni suspicionem, quam dedit postulando Abisag.

Adonias vult nubere Abisag. 3. Reg. 2.

Salamon Matrem honorificè suscipit. 3. Reg. 2.

Adonias occiditur. 3. Reg. 2.

Sublatô præcipuo fundamento turbarum Adonia, Abiatharem pontificem, ut ejus dignitati & meritis in patrem, aliquid tribuisse videretur, non occidi mandat, sed in pagum amandat. v. 27. *Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini, ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo.* P. Cornel. à Lap. hic: usus Salomon hac occasione rebellionis Abiathar, Pontificatum à familia Ithamar & Heli, ex qua erat Abiathar, ad primævam & genuinam Eleazar stirpem, ex qua erat Sadoc, reduxit. Abiatharem itaque ejecit in exilium, sed honestum, scilicet in prædia sua. Hinc tamen nemo concludat, imperatores & reges habere jus in Pontifices, ut eos creare, & exauthorare possint. Nam Salomon exauctoravit Abiathar non authoritate sua, sed DEi. DEus enim Eleazaro, & posteris ejus pontificatum designarat, unde deviavit pontificatus ad Heli, qui erat ex Ithamar, jussit ergò DEus eum reduci ad familiam Eleazar, puta ad Sadoc, idque fecit Salomon instinctu jussúque DEi, non ut rex, sed ut Propheta, & divinæ justitiæ executor, uti ostendit Bellarminus l. 2. de Pontif. c. 29. Adde, nunc in lege nova longè sanctior & sublimior est Pontificatus, quare, etiamsi tunc Pontifex fuisset subditus Regi, ut censet Abulens. jam tamen non est, quia Pontifex est vicarius Christi, qui est rex regum, & Dominus dominantium.

Abiathar Pontifex exauthoratur. 3. Reg. 2.

Joab occiditur in tabernaculo. 3. Reg. 2.

Joab tot criminum sibi conscius, meritoque metuens, clam fugit in tabernaculum Domini, eratque juxta altare, quem, cùm Banaias submissus à rege ad illum occidendum evocare non posset, jussu regis v. 31. *fac, sicut locutus est, & interfice eum*, ibidem ab eodem Banaia interfectus est. Advertit hic P. Cornel. à Lap. quòd homicida voluntarius, qualis erat Joab, qui dolosè occiderat Abner & Amasam, non gaudebat immunitate loci sacri. Juxta illud Exod. 21. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo evelles eum.* Multò magis id sancitum est lege non divina, sed humana in novo testamento, in qua Christiani sanctiores esse debent Judæis, & ab homicidio spontaneo magis alieni. Vide cap. *inter alia* de immunitat. Ecclesiæ, ac Franc. Suarez tractatu de immunit. Eccl. c. 9. & 10. Porrò tunc non erat lata lex, quòd tabernaculum pollueretur cæde humana, sicut jam lata est, ut Ecclesia Christiana, in qua comissa est cædes, censeatur polluta, iterúmque debeat benedici. Nec justè, ait Salianus, fuso sanguine profanari poterat altare illud, quod perpetuo solebat sanguine cruentari.

Semei punitus. 3 Reg. 3.

Reliquum erat de Semei iuxta supremam Davidis voluntatem sumere pœnam, cui cùm promisisset David, se eum morte non affecturum, cùm tamen morte dignum Salomon agnosceret, ita promissionem jurejurando firmatam temperavit, ut illum nonnisi nova interveniente causa & culpa juberet occidi. Jussit ergo eum habitare Hierosolymîs, propositâ capitis pœnâ neque illum inde tantillum progredi, prudenter utique, ne homo seditiosus extra urbem res novas moliretur, simulque providit, ut proposita pœna esset illi occasio culpam committendi, ob quam meritò jam pridem morte afficeretur. Quod deinde sextô regni Salomonis annô contigit, nam ob servorum fugam ex urbe contra regium mandatum digressus, quærensque servos mortem invenit, postquam enim redierit, ad regem vocatus, morti addictus est. v. 46. *Jussit itaque Rex Bananiæ filio Jojadæ, qui aggressus percussit eum, & mortuus est.*

84.

Salomon petit sapientiam. 3. Reg. 3.

Sublatîs aut constrictîs inimicîs, immissum divinitus Salomoni sapientiæ desiderium (P. Salian.) ad populum suum rectè gubernandum, & templum ædificandum; ad hoc obtinendum, variis sacrificiis propitium sibi DEum reddere volebat, & quidem in excelso Gabaon, ubi erat tabernaculum, quod fecerat Moyses. v. 4. *Abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi: illud quippe erat excelsum maximum: mille hostias in holocaustum obtulit Salomon,* su-

super altare illud in Gabaon. P. Cornel. à Lap. hic. ad v. 2. Excelsa erant luci sive sylvæ, & nemora in excelsis montibus, collibus, & umbrosis recessibus consita,

Excelsa quid.

in quibus solebant pleræque gentes sacella & altaria erigere teste Homero Virg. & aliis, qui docent, veteres in memoribus sepulchra suis defunctis exstruxisse, in quibus primo parentalia celebrabant, si parentabant heroibus populi, ac mox iisdem quasi Diis sacrificare cœperunt.

Excelsa verò Hebræorum, de quibus in libris Regum & Prophetarum crebra mentio, erant duplicis generis. Una, in quibus instar gentium colebant earum Deos & Idola, unde in ea gravissimè invehuntur Prophetæ. Altera excelssa, in quibus Hebræi non Idolis, sed DEo vero sacrificabant, sic Gedeon in excelsa petra sacrificium DEo obtulit Judic. 6. 26. Porrò etiam hæc secunda excelsa non amabat DEus ob periculum gentilissimi, & Idololatriæ; tolerabat tamen, donec ædificaretur fixum, & stabile templum Theodoret. Procop. Abulens. censent, antè fabricam templi in excelsis sacrificare fuisse illicitum, & peccatum saltem veniale, eò quòd hic carpatur Salomon, quòd in excelsis immolarit. Hebræi tamen, Lyran. Serarius, & alii censent, id fuisse licitum, non, quasi DEo absolutè gratum, sed tanquam ab eo concessum, & permissum, donec ædificaretur templum firmum & stabile. Post templi verò fabricam excelsa fuêre illicita, ideoque Ezechias & Ozias illa sustulere, licèt Asa, Amasias, & Josaphat ea tollerârint metu majoris mali, ne scilicet, si excelsa DEi tollerentur, populus ad excelsa DEorum & gentium deflecteret.

Dum successivè in altari cremarentur hostiæ, interim Salomon suæ petitioni ad DEum institit vehementissimè, apparuitque illi eadem nocte Angelus (P. Salian.) æternam DEi sapientiam repræsentans, & jubens eum postulare, quod vellet, sciebat utique, quid ille vellet, qui dedit voluntatem, voluit nihilominus hac interrogatione attentionem renovari, & affectum ad rem præsentem applicari. Petiit ergò & obtinuit. 3. Reg 3. 11. *Et dixit Dominus Salomoni, quia postulâsti verbum hoc, & non petiisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulâsti tibi sapientiam ad discernendum judicium, ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, divitias scilicet & gloriam, ut nemo fieret similis tui in regibus cunctis retro diebus.* Circa hanc Salomonis sapientiam vide

Sapientia Salomonis qualis fuit.

amplos discursus apud Cornel. à Lap. Salian. Hac sapientiâ superavit omnes, intelligendum *v. g.* omnes ante se & post se reges Israel, vel omnes homines vulgari modô procreatos, idque sapientia naturali, non enim superavit Adamum, Christum, beatissimam, Apostolos. Ita Justin. Martyr. Clemens Alexand. Augustin. Philo. Pererius. Quoad divitias & gloriam Serarius & alii censent Salomonem omnino regibus tam præteritis quam futuris anteferri. Nam 2. Paral. v. 12. clarè dicitur: *Divitias autem & substantiam & gloriam dabo tibi, ita, ut nullus in regibus nec ante te, nec post te fuerit similis tibi.*

Cùm igitur innumerabilis sapientiæ fluenta potâsset. v. 15. *Evigilavit Salomon & intellexit, quod esset somnium*, intellexit videlicet divinum somnium, lætusque re obtenta rediit Hierosolymam, ac gratitudinis ergò v. 15. *Cùmque venisset Jerusalem, stetit coram arca fœderis Domini & obtulit holocausta, & fecit victimas pacificas, & grande convivium universis familiis suis.*

Judicat Salomon duas mulieres de uno infante litigantes. 3. Reg. 3.

Dedit populo experimentum sapientiæ suæ Salomon 23tio. (P. Salian.) ætatis suæ annô, institutô inter duas mulieres judiciô, in quo vera & victa mater de vivo infante contestabantur litem apud regem, illa simplici narratione rem exposuit, alia clamore & calumniis geminum facinus celabat, proprii videlicet infantis oppressi, & alieni surrepti. Cùm ergò diutiùs litigassent, Salomon quasi pertæsus diuturni jurgii litem gladio dirimi jubet. v. 25. *Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam alteri.* At mater vera auditâ regis sententiâ concussis maternis visceribus, inquit v. 26. *Obsecro Domine, date illi infantem vivum, & nolite interficere eum.* Cùm autem victa mater divisioni consentiret. v. 26. *nec mihi nec tibi sit, sed dividatur*, rex vera matre deprehensa pro ea sententiam tulit. Nec tamen, ut observat P. Salian. gemini criminis ream morti addixit, quòd sola præsumptione ficta esset, non probationibus, vel propria confessione convicta. D. Ambros. l. 3. de virg. *Veritas ergo non latuit, sed tamen per simulationem alterius fluctuavit, diúque etiam bona mater eventu hæsit ambiguo, dum judicii periclitatur incerto.* Simili judicio apud Cornel. à Lap. veritatem explorârunt aliqui imperatores. Claudius matrem negantem quemdam juvenem, qui verè ei filius erat, proprium filium esse, coegit ad agnoscendam veritatem indictô ei cum ipso juvene matrimoniô. Carolus quoque magnus certus, quòd vel pater vel filius, quos captos detinebat, quemdam occidisset, incertus tamen, uter illorum id fecisset, jussit utrumque suspendi. At, cùm Pater, qui

vere

verè deliquerat, nullam videret redemptionis spem, agnovit propriam culpam, & ita filium ab imminente supplicio liberavit. In vita Caroli Molanus. Hoc annô Salomon nuptias celebravit cum filia Pharaonis regis Ægypti, valuit ad externorum principum retundendas molitiones hæc affinitas. Nec obstat quòd lege prohibitæ fuerint cum mulieribus alienigenis nuptiæ, intelligendum enim id (P. Salian.) nisi illæ à patria sua superstitione converterentur, sic Patriarcha Joseph filiam Putipharis, Moyses Æthiopissam, Booz Ruth duxêre.

Caput duodecimum.

De fabrica Templi à Salomone ædificati, ejusdemque Dedicatione. P. Salian.

85.

ANn. *Mund. 3023.* Ingens templi Hierosolymitani moles ædificari cœpta, locus ejus mons Moria, ubi Abraham sacrificabat: cum autem hoc templum (P. Salian.) aliquando in tribu Benjamin, aliàs in tribu Juda situm dicatur, intelligendum est, ad utramque pertinuisse, quòd funiculus utramque tribum separans per medium montem transiret, communior tamen sententia est, totum ad tribum Benjamin pertinuisse.

Templum ædificari cæptum. 3. Reg. 6.

Ann. Mund. 3024. Ad ipsam fabricam ventum est positis præteritô annô fundamentis. Peribolus, id est, septum quoddam ædificii extrema circumiens, altiora præsertim per circuitum longitud. fuit 500. calamorum, id est, 3125. cubitorum; calamus enim est mensura 6. cubit. & palmi. Ad hunc peribolum quaternis scalarum gradibus ascendebatur, juxta Villalpandum, qui fuit in tota templi materia indaganda diligentissimus. Inter peribolum hunc & murum ambientem atrium spatium erat circumquaque latitud. cubitor. 37. cum dimidio longit. 123. calamorum.

Peribolus templi.

Progrediendo ad interiora templi ducit hæc via ad porticum gentium cum atrio suo, qui locus uterque mundis,

Atrium & porticus gentium.

A a 3 im-

immundisque patebat ; in hac porticu atque atrio sæpè ad confertam multitudinem Christus verba faciebat, ibi Ethnici Philippum adierunt. Singula ejus porticus latera fuerunt longit. 687 cubit. cum dimidio. Latid. verò 50. cubitorum. Murum habebat hæc porticus, qua peribolum respiciebat, qua verò templum, columnas; murus latus erat calamô unô, altus 4. Huic exteriori muro tres columnarum ordines appositi erant, templum versùs, quæ à muro, & à se invicem, duobus calamis distabant, singularium diameter erat 2. cubit. altitudo ultra stylobatas 20. cubit. numerus illarum 165. in singulis lateribus, universæ erant 660., quibus imposita fuit trabeatio zophorus 85. cubitorum. Columnis imposita tigilla & asseres, & contignatio, quæ ab inferiori parte, magnificis laquearibus, à superiori æneis laminis constrata erat ad pluviam innoxiè suscipiendam. Tota porticus atrii gentium ad 50. cubit. attollebatur.

Atria & porticus Israelitarum.

Multiplex erat atrium Israelitarum, & porticus, quæ admirabili artificio & dispositione constabat, de quibus David, cui jam pridem Dominus totam hanc descriptianem ostenderat, *qui statis in domo Domini, in atriis domûs DEi nostri.* Etsi enim revera unum erat atrium Israelitarum, ut atrio gentium & levitarum opponebatur, quia tamen multas areas, sive minora atria continebat, ideò de eo David modo in singulari, modo in plurali locutus est. Forma illius quadrata fuit in singulis lateribus, longitudo 500. cubit. Hoc atrium totum, porticum quandam seu potiùs quadriporticum habebat, per quatuor latera circumductum. Hoc atrium magnum distinctum porticibûs duabûs ab ortu in occasum, duabus à septentrione in meridiem, novemque areas circumquaque efficiebat centenorum cubitorum per quadrum singulas. In medio magni hujus atrii erat atrium interius, quod levitarum dicebatur, æque areis & porticibus circumcinctum, præterquam ab occidente, à quo erat Sanctuarium. Erant atrii Israelitarum tres contignationes.

Templum ipsum ejusque vestibulum.

Templi tres partes à scriptura ponuntur, vestibulum, Sancta, & Sancta Sanctorum, quæ omnia nomine templi domus Domini & sanctuarii comprehenduntur.

Vestibulum.

Occurrit primo vestibulum, cujus longitudo intra muros fuit 20. cubitor. (quanta erat reliqui templi latitudo) ejus autem latitudo 11. vel 12. cubitorum. In vestibulo tres erant portæ muri ejus ab imo solidissimi fuerunt, ut possent sustinere ingentem fabricam cum turri 120. cubitorum.

Sancta.

Secunda templi pars aula quædam fuit vestibulum inter & oraculum, & dicebatur Sancta, ejus long. 40. latit. 20. cubit. erat hæc templi pars magnificentissima, amplissima, duplo enim major erat oraculô, vestibulô verò ferè quadruplô. Tota porrò hæc tripartita domus à septen. Occiden. & meridie geminô pariete cingebatur, quorum interior habuit crassitiem 6. cubit. exterior. 5. Inter muros erant cubicula, quæ pretiosissimæ suppellectili asservandæ serviebant.

Oraculum seu sancta Sanctorum.

Oraculum. Plane quadratus erat is locus, longus, latus, & altus 20. cubitor. ut arca fœderis esset in omnium parietum æqui distantia, separabatur hic locus à sanctis interjecto pariete latit. duorum cubitorum, & semis, in cujus medio porta erat 6. cubit. latit. altitudinis 12. Caruit autem interius oraculum lumine & fenestrîs, nec his erat opus, cùm illuc nemo unquam penetraret præter Pontifiem semel in anno. Deinde nolebat Dominus arcam & propitiatorium videri, ne ab ipso quidem Pontifice. Ideóque in ingressu fumus à thuribulo incensi excitabatur, quo visio impediebatur. Hactenus prima templi contignatio, cujus altitudo intra templum erat 30. cubitor. extra 50.

Secundo templi contignatio.

altera verò contignatio usque ad tectum oraculi & aulæ fuit 40. cubit. ut tota altitudo templi esset 90. cubitorum. Supra oraculum erat cænaculum, sed illud nemo adibat ob reverentiam subjecti oraculi. Supra hoc autem cænaculum erat aliud quod jam erat usui.

Tertia templi contignatio.

Tertia contignatio turrim habuit quadrilateram, & supra templi reliqui tectum 30. cubitis attollebatur, ut tota ejus altitudo à limine ad summum fastigium esset 120. cubitorum. Ornamenta interioris templi videantur in annalibus P. Salian. Universum de ornamentis dicendum, non solum totum oraculum opertum fuit atque vestitum aurô purissimô, de quo 3. Reg. 6. 20. *& operuit illud atque vestivit auro purissimô*, sed domus quoque, quæ erat ante oraculum, eratque eo duplo major, operta fuit aurô. v. 21. *Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clavis aureis :* hinc patet, quòd non bracheolæ aureæ tenuissimæ, quibus vestiretur templum, sed laminæ fuêre. v. 22. *nihilque erat in templo, quòd non aurô tegeretur.* Salian. & quidem tum multiplici cœlatura florum, Cherubinorum, non tamen hoc annô omnia perfecta. Potest enim magnificentia templi colligi ex numero operariorum, de quibus 2. Paralip. 2. v. 1. *Decrevit autem Salomon ædificare domum nomini Domini, & palatium sibi. Et numeravit 70000. virorum portantium humeris, & octoginta millia, qui cæde-*

Ornamenta templi 3. Reg. 6.

cæderent lapides in montibus, præpositosque illorum tria millia sexcentos. P. Drexelius in Salomone, notat ex P. Saliano; non immeritô dici posse, in templum Domini tria millia millionum auri impensa. Plura de structura templi vide apud Cornel. à Lap. in Ezechiel c. 40. ante versum primum.

Templi dedicatio.

Ann. Mund. 3030. Tota templi fabrica, & atriorum perfecta, & quidem 7. annis, ut ex 3. Reg. 6. constat, verùm colligitur etiam ex scriptura his annis sex minimum menses addendos esse. Indicta igitur dedicatio in septimum mensem, convocatus populus numerosissimus. Translata arca à Sacerdotibus de qua 2. Paralip. 5. Monitus pridie de translatione per præcones populus, distributusque per tribus propter vitandam confusionem, tulerunt sacerdotes arcam, & tubis resonabant, sequebantur Levitæ cum musicis instrumentis, vasa templi pretiosa deferentes. Tradunt Hebræi Psalmum illum: *Beati immaculati in via &c.* fuisse decantatum. Ei viæ succedebant templi gradus, in quibus cantica graduum decantabantur, scilicet: *Ad Dominum cùm tribularer, clamavi &c.* collocata arca in oraculo 2. Paralip. 5. 7. *Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, id est, ad oraculum templi in Sancta Sanctorum super alas Cherubim.* Cantabatur: *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Et illico implevit nebula Domum DEi. v. 14. *Nec possent Sacerdotes stare, & ministrare propter caliginem, compleverat enim gloria Domini Domum DEi.* Apparet, illam nebulam non caruisse fulgore, quippe quæ gloria DEi appellatur. Fudit Rex preces gratiarum actionis ad DEum, oravit, ut acceptabiles preces essent in hoc templo: postea populo benè precatus, de quo 2. Paralip. 6. *Deditque ei salutaria monita.* Inde regias hostias ad altare adhiberi jussit, in quas ignis de cœlo descendit, de quo Paralip. 7. *& devoravit holocausta*, ad ostendendam acceptam esse regis orationem. Summa hostiarum intra dedicationis septiduum habetur, 2. Paralip. 7. v. 5. *Mactavit igitur Rex Salomon hostias boum 22000. arietum centum viginti millia, & dedicavit Domum DEi Rex & universus populus.* Secuta hanc solennitatem dies collectæ dicta, sive, quia eo die fiebat collectio peccuniarum in usum templi, sive, quia colligebatur populus ad agendas DEo gratias.

Vasa templi. 2. Paral. 4.

Quam pretiosa fuerit suppellex templi, colligi potest ex 2. Paral. 4. v. 18. *Erat autem multitudo vasorum innummerabilis, ita, ut ignoraretur pondus æris. v. 19. Fecitque Salomon omnia vasa domûs DEi, & altare aureum, & mensas. & super eas panes propositionis. v. 20. Candelabrum quoque cum lucernis suis, ut lucerent ante oraculum juxta ritum ex auro purissimo. v. 21. Et florentia*

quæ-

quædam, & lucernas, & forcipes aureos, omnia de auro mundissimo facta sunt. v. 22. Thymiateria quoque & thuribula, & Phialas, & Mortariola ex auro purissimo.

Caput decimum tertium.

De Salomonis Palatio, opibus, Reditibus, & Reginæ Sabæ ad eundem adventu.

86. Regia Salomonis.

HOc ipso annô 3030. inchoata regia domus Salomonis in monte Sion, absoluta 12. annîs, & aliquot mensibus. Unica fuit, sed magnificentissima, & amplissima, tribus partibus, quasi totidem domibus distincta in cujus una parte Rex, in altera Regina filia Pharaonis sacra Judæorum complexa. Tertia pars, quæ dicebatur saltus libani, utriusque recreationi serviebat, nec possunt, qui contrarium sentiunt, ostendere, (P. Salian.) quando domus Reginæ & saltus ædificata, si hæc distincta fuerunt à regia Salomonis.

Si Villalpandi dimensionibus stare placet, longitudo totius ædificii ad 250. circiter cubitos sacros patuit, id est, ferè quingentos pedes. Latitudo ferè 130. cubitorum fuit.

Anno Mundi. 3033. Quantùm ad materiam hujus domûs ædificatæ, 3. Reg. 7. v. 9. *omnia lapidibus pretiosis.* P. Salian. puta marmoreis, pariis, porphireticis. v. 11. *& desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant*, utrique lapides pretiosi erant, sed illorum pretium, præcipuè ex magnitudine, pulchritudine, colore æstimabatur. 2. Paralip. 9. v. 20. *Omnia quoque vasa convivii regis erant aurea, & vasa domus saltus Libani, argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur.* Ad supellectilem domûs Salomonis pertinent illa, de quibus supra v. 15. *Fecit igitur Rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur: trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum.* P. Salian. per aureos, siclos auri intelligit. Huc pertinet illud stupendium solium Salomonis, de quo 3. Reg. 10. v. 18. *Fecit etiam Rex Salomon thronum de Ebore grandem, & vestivit eum aurô fulvô nimis, v. 19. Qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte posteriori, & duæ manus hinc atque illinc tenentes sedile. Et duo leones stabant juxta manus singulas, v. 20. & 12. Leunculi*

Thronus judiciarius Salomonis. 3. Reg. 10

li stantes super sex gradus, hinc atque inde: non est factum tale opus in universis regnis. P. Cornel. à Lap. hìc. Allegoricè Salomon repræsentavit potestatem judiciariam datam à DEo Christo, qua homo est, ejusque solium gloriosum, in quo residebit in die judicii. Ita Rupert. Eucher. Angelom. Symbolicè hic thronus significat B. Virginem, ex qua verus Salomon, puta æterna DEi sapientia carnem assumpsit, in eaque quasi in throno suo ebore puriore, Leonibûs fortiore, & aurô per charitatem fulgentiore consedit. Ita Lyran. S. Petrus Damiani. Symbolicè item Leo notat vigilantiam, (Leo enim apertîs oculis dormit) & fortitudinem, quam debet habere rex, & Judex, unde Eccle. 7. v. 16. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.*

Navigationes Salomonis.

Navigationes quoque instituebat Salomon: naves ejus ibant in Tharsis (Pineda vult esse Tartessum, & Hispaniæ Boeticam) semel in annis tribus, & deferebat inde aurum & argentum; cujus tanta erat copia, ut de illo dicat scriptura. 2. Para. 9. 20. *argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur.*

Ophiritica navigatio (Ophir, P. Salian. ait, censetur Sumatra sive Taprobana insula) singulorum annorum fuisse dicitur, ex qua constat, ut advertit P. Salian., semel devectum ad Salomonem aurum quadringentorum & viginti, velut est 2. Paralip. 8. v. 8. 490000 talentorum.

Reditus Salomonis & munera. 3. Reg. 10.

Annuos porrò Salomonis reditus scriptura tradit 3. Reg. 10. v. 14. *Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos sexcentorum sexaginta sex talentorum auri* (id est P. Salian.) 8320000 num. aureorum. v. 15. *Excepto eo, quod afferebant viri, qui super vectigalia erant, & negotiatores, universique scruta vendentes* (P. Cornel. à Lap. qui res quascunque particulatim per ulnas &c. distrahunt) *& omnes reges Arabiæ, ducesque terræ.* P. Cornel. à Lap. Hæc munera reges obtulerunt Salomoni ob ejus divinam sapientiam, & virtutem, optantes ab eo dirigi, & instrui, immò & sua regna, ait Severus Sulpitius, Salomoni regenda offerebant. Salomon hic typus Christi, de quo Psal. 71. v. 10. *Reges Tharsis & insulæ munera offerrent.*

Sapientiæ pretium.

2. Paralip. 9. v. 23. *Omnesque reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam, quam dederat DEus in corde ejus v. 24. Et deferebant ei munera, vasa argentea, & aurea, & vestes, & aromata, & arma, equos & mulos per singulos annos v. 25. Habuit quoque Salomon 40000. equorum in stabulis, & curruum equitumque 12. millia. v. 26. Exercuit autem potestatem super cunctos reges à flumine Euphrate, usque ad terram Philisthinorum, & usque ad terminos Ægypti.*

Ann.

Salomon Hiramo dat 20. oppida.

Ann. Mund. 3048. Salomon Hiramo Regi, expletîs operibûs quæ per suos ille præstabat, dedit 20. oppida in terra Galilææ, videlicet, ut rectè observat Abulensis, ad aliquot annorum usum fructum duntaxat, donec lignis illis credrinis, & 120. talentis auri, quæ mutuo Salomon acceperat, & operarum mercedi, aliisque sumptibus satisfactum esset. Certabat quoque Hiram humanitate cum Salomone, totidem enim illi civitates dedit simili jure tenendas.

Expeditio Salomonis. in Emath.

Ann. Mund. 3044. 2. Paral. 8. 3. *Abiit quoque in Emath Suba, & obtinuit eam. Et ædificavit Palmiram in deserto, & alias civitates munitissimas ædificavit in Emath.* P. Salian. id perpendens in annalibus: habetur ergò hic non solum profectio, sed bellica etiam expeditio Salomonis Syriam versus & Libanum, cùm enim Emathæi subjectionem & tributum detrectarent, ut ait Josephus, sub ditionem suam redactos tributa pendere coegit Salomon.

Reginæ Sabæ adventus. 3. Reg. 10.

Ann. Mund. 3047. Regina Saba, quam Christus reginam austri vocat, ad Salomonem venit 3. Reg. 10. 1. *Sed & regina Saba auditâ famâ Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus. Et ingressa Jerusalem multo cum comitatu & divitiis, camelis portantibus aromata & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, venit ad Regem Salomonem.* Excepta à Salomone humanissimè proposuit illi varia ægnimata. Credibile propositas quæstiones de Christo venturo, quandoquidem ex aliquot Patrum antiquorum authoritate constat, eam fuisse ad veri DEi cultum traductam, cui consonat illud Christi. Math. 12. *Regina austri surget in judicio cum generatione sua, & condemnabit eam &c.* Itaque Beda eam sanctam & electam vocat. v. 4. *Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificaverat &c.* dicebat v. 8. *Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam, sit Dominus DEus tuus benedictus &c.* Quæ munera obtulit Salomoni regina Saba, habetur v. 10. *Dedit ergo regi 120. talenta auri, & aromata multa nimis & gemmas preciosas.* Quòd regina Saba conceperit ex Salomone filium, P. Saliano videtur esse injustum, reginam antiquis æstimatissimam, à Christo ipso commendatam, adulterii ream facere. Cæterùm tamen excusatur ab adulterio apud Cornel. à Lap. hìc ad ver. 13. qui asserit: adeò indubitatum est apud Æthiopes, quòd illorum Imperatores originem ducant à S[illegible]ne & regina Saba, ut res [illegible]ud eos sine controversia, [illegible] omnes illorum libri plen[illegible]niuntur, & propterea imper[illegible]res eorum Israelitæ dicuntur,

eoque nomine gloriantur. Ad d tque, fieri potest, ut Æthiopes historiæ de regina Saba plura addiderint fabulosa; sed tamen rem ipsam scilicet Abyssinos imperatores, oriundos esse à Salomone & regina Saba, tot Sæculorum traditione continua apud Æthiopes receptam, certúmque (uti eidem P. Cornelio Romæ asseruere Abyssini Sacerdotes, orthodoxi) durum est negare, præsertim, cùm Salomon 300. habuerit concubinas, & 700. uxores, quasi reginas, quibus, si una hæc regina Saba inseratur, vel addatur, quid erit incommodi, potuit enim eam, uti cæteras, uxorem ducere, ut per eam, ejúsque & suos posteros fidem, cultúmque veri Dei apud Æthiopes induceret, & firmaret, per filium enim spurium id ritè & efficaciter fieri non poterat.

Equi Salomonis erant plurimi 2. Reg. 4. v. 26. *Habebat enim quadraginta millia præsepia equorum currilium, & duodecim millia equestrium.* Hoc est, habebat 40000. equorum currilium in præsepiis, & 12. millia equestrium. Est Hypallage, hunc enim sensum esse liquet 2. Paralip. 9. v. 25. ubi dicitur: *Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis.* P. Cornel. in Eccl. c. 2. v. 7.

Caput decimum quartum.

De Salomonis Corruptione, pœna peccati Pœnitentia. Morte.

87. A*Nn. Mund.* 3048. Initia ruinæ Salomonis huic & sequenti anno tribuit P. Salianus 3. Reg. 11. 4. *Cùmque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres.* Agebat quidem tunc 49num annum ætatis, sed mollitie & deliciis acceleravit senectutem. Multipliciter deliquit Salamon. 1. Contra legem duxit alienas & idololatras. 2. Nimis multas, puta mille, dicitur enim v. 3. *Fuerunt ei uxores quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ.* P. Cornel. à Lap. reginæ vocantur primariæ uxores, quæ regum & principum erant filiæ, idcóque regio cultu & nomine utebantur, concubinæ erant secundariæ uxores, utpotè plebeiæ. Lex autem Deuter. 17. 17. dicebat regi: *Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque auri & argenti immensa pondera.* Nota in Deuteronomio: hìc jam futura prædicuntur de constituendo rege. 3. Quòd eis dederit potestatem colendi sua idola, immò eis delubra in monte oliveti ædificavit. 4. Quòd ipse eadem adorârit. 3. Reg. 11. v. 5. *Colebat Astarthen, Deam Sidoniorum* Cornel. à Lap. Hæc erat venus. 5. Quòd suo exemplô multos Hebræos ad eadem colenda impulerit. 6. Quòd immania tributa populo indixerit, quia ad tot reginas ornandas & magnificè alendas immensis opibus erat opus. Abulensis, tot fana excitata circa Jerusalem, quot erant alienigenæ gentes, ex quibus rex acceperat uxores, quæ inter se, æmulatione à Diabolo concitatæ pro se opus urgebant, Idola exstruebant. Dubium tamen est (P. Salian.) an ad externam tantùm speciem Salomon idola coluerit, interiùs in vera fide consistens. Probabiliùs, quòd etiam interiùs fidei jacturam fecerit, cùm scriptura dicat v. 4. *Nec erat Cor ejus perfectum cum Domino Deo suo.* v. 9. *Igitur iratus est Dominus Salomoni, quòd versa esset mens ejus à Domino Deo, Israel.* Sex annis in idololatria perseverâsse ab aliis, ab aliis 4. dicitur Salomon. Immò magiæ etiam deditum fuisse probabiliter existimant alii, hæc enim Idololatriæ vicina. Amissam à Salomone sapientiam testantur Ambros. August. Cyprian. Prosper, Isidorus, Greg. Basilius.

Salomon in ruinam vergit. 3. Reg. 11.

Ann. Mund. 3057. Cùm peccata regis multiplicarentur, stupor quoque mentis & corporis augebatur, cæterùm gloria & existimatio apud domesticos, & exteros decrescebat.

Pœna peccatorum Salomonis 3. Reg. 11.

Suscitavit quoque Deus illi adversarios, Adadum principem Idumæum, & Razonem principem Syriæ. Domesticum quoque Jeroboamum, quem præposuerat tributis duarum tribuum, videlicet Ephraim, & Manasse, licèt ne cogitaret Jeroboam quidquam circa regnum, donec ad eum venit Ahias Propheta Silonites 3. Reg. 11. v. 29. *Factum est igitur in tempore illo, ut Jeroboam egrederetur de Jerusalem, & inveniret eum Ahias Silonites propheta in via, opertus palliô novô: erant autem duo tantum in agro v. 30. Apprehendénsque Ahias pallium suum novum, quo coopertus erat, scidit in 12. partes v. 31. Et ait ad Jeroboam: tolle tibi 10. scissuras, hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. v. 32. Porrò una tribus remanebit ei.* P. Salianus: una non numerando tribum

Scissio regni per scissionem pallii designata 3. Reg. 11.

bum Juda, ad quam Salomon pertinebat. Addidit causam hujus schismatis Idololatriam Salomonis. Non potuit tamen Jeroboam regnum sibi ad 10. tribus statim usurpare, sed exspectanda erat mors Salomonis, sicut David exspectavit mortem Saulis. Per traditionem illarum 10. partium palli non fuit quasi missio in possessionem, sed infallibile signum possessionis futuræ 10. tribuum. Defectionem Jeroboami à Salomone non scriptura, sed solùm Josephus commemorat, quod incertum. Dum dicitur v. 26. de Jeroboamo: *levavit manum contra regem*, id intelligendum cum P. Saliano, quod scriptura accommodans se humano sensui expressit. Quod prophetæ regnum promittenti acquievit, nec repudiavit, sed æmulum se potiùs legitimi regi exhibuit.

Salvatúsne an damnatus.

Salvatúsne an damnatus Salomon problema hoc est priscum, ait P. Cornel. à Lap. Damnatum censent Tertullian. Cyprian. S. August. Chrysost. de pœnitent. Beda, Salianus citat Gregor. magn. l. 2. mor. Theodoret. Prosper. Angelom. Abulen.

Patronos salutis & pœnitentiæ Salomonis citat præfatus P. Salian. S. Ambros. S. Hilarium, Isidor. S. Epiphan. S. Irenæum, S. Thomam, S. Bonaventuram, Pinedam, qui ex professo hoc argumentum tractavit, quibus & ipse P. Salianus accedit. Addit P. Cornel. à Lap. S. Hieronym. S. Gregor. Thaumaturg. Rupertum, qui asserunt post lapsum eum scripsisse Ecclesiasten, in quo libro quasi pœnitens se vanis amoribus, & idolis vacâsse exclamat *vanitas vanitatum & omnia vanitas*. Hoc argumentum foret validum, ait P. Cornel. à Lap. si constaret, librum Ecclesiastæ scriptum post lapsum, nam dicta & scripta ejus recensita sunt initio libri hujus 3. Reg. c. 4. ante lapsum, lapsus verò ejus in senio demum c. 11. 3. Reg. 4. 32. *Locutus est quoque Salomon tria millia Parabolas: & fuerunt Carmina ejus quinque & mille.* Favet saluti ipsius, quòd Septuaginta Proverb. 24. 23. addant: *Novissimè ego quoque egi pœnitentiam, respexique, ut eligerem disciplinam.* 2. Reg. 7. 14. de Salomone dicit Deus: *Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filium, qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum, misericordiam autem meam non auferam ab eo.*

Ann. Mund. 3069. Salomonis mors contigit, regni ejusdem 40mô, ætatis 61. juxta dicta. Cujus vitam contemplans Emanuel Thesaur: ait: *Scylla triforme hoc monstrum, humano capite, fœmineo pectore, ferina cauda, scyllam putas? falleris, Salomon est, Prudens puer, effœminatus vir, ferus Senex. - - - Effœminatus Salomon sapientiam amisit veneris perfidiâ, quæ in alios non mitior, quàm in filium, amantes excæcat, ut amorem. Secuta est, ut solet, luxuriam feritas, nam nimia liberalitas rapinis alitur - - - obiit inops inter opes, sterilis inter conjugia, unico de tot thalamis susceptô filiô, nam veneri nihil nocentius quàm venus. O Saga puellarum forma, quæ insanire sapientiam facit, & vertit in scyllam.*

Caput decimum quintum.

De Roboami Regis Judæ, & Jeroboami Regis Israelis gestis, scissione regni, bello civili Hebrorum, - - - De victoria item de Æthiopibus regibus brevi tempore regnantibus relatâ &c.

88. *ANn. Mund.* 3060. Primus iste Roboami filii Salomonis, & Jeroboami regis Israelis annus. Afflictus & gravatus tributô populus, Jeroboamum (qui audita Salomonis morte ex Ægypto redierat) ad Roboamum mittit diminutionem tributorum postulans. 3. Reg. 12. 4. *Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis, tu itáque imminue paululum de imperio Patris tui durissimo & de jugo gravissimo, quod imposuit nobis, & serviemus tibi.* Consuluit Rex Seniores, ad triduum dilatô responsô, censuêre annuendum postulatis populi, sed displicuit Roboamo consilium, consuluit itaque Juniores, qui dixerunt v. 10. *Sic loqueris ad eos: minimus digitus meus grossior est dorso patris mei*: & ex eorum violento consilio respondit. v. 14. *Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro, pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos Scorpionibus*, id est flagris aculeatis vertit Vatablus. Peccavit contra prudentiam politicam Roboam, suadentem à lenitate auspicia regni Sumenda. Notissimum est illud Lucani: *Nil pudet assuetos sceptris, mitissima sors est regnorum sub rege novo.* Celebrans S. Hieronymus

Roboam aggravat tributis populum. 3. Reg. 12.

mus Ep. 62. Episcopi cujusdam clementiam in subditos ait: *Amari parens & Episcopus debet, non timeri. Antiqua sententia est, quem metuit quis, odit, quem odit, perisse cupit - - - - - qui Scorpionibus cædit, & lumbis patris habere se putat digitos crassiores, citò regnum mansueti David dissipat.*

Roboam spernit consilia Seniorum. 3. Reg. 12.

Stultitia quoque & fastus Roboami patuit, qui maturo senum consiliô spretô, juvenilem & stolidam adolescentum sententiam secutus. Corruit Roma violentîs juvenum agitata consiliis, quæ diu senum steterat. Hinc in porticu tabernæ meritoriæ (ut notat P. Cornel. à Lap. in 1. Reg. 12.) in qua olim alebantur veterani, & emeriti milites, olim hæc carmina litteris aureis descripta erant:

Roma vetus, veteres dum te rexere Quirites,
Nec bonus immunis, nec malus ullus erat;
Defunctis patribus, successit pravajuventus,
Cujus consiliô præcipitata ruis.

Ferox oratio Roboami exacerbavit populum, qui Aduram sive Adoniram præpositum super tributa occidit, factus tumultus, Roboam ex Sichem Hierosolymam fugit, metuens quid simile eventurum. Ità, quo digitô minabatur, turpiter in fuga vertit dorsum. 10. Tribus Jeroboamum sibi regem eligunt, duabus tamen, scilicet tribu Juda & Benjamin in obsequiô Roboami manentibûs.

Scissio regni.

Liciténe Israelitæ recesserunt à Roboamo.

Movetur Quæstio apud P. Cornel. à Lap. 3. Reg. 12. perpendens verba versûs 19. *Recessitque Israel à Domo David.* An decem tribus licitè fecerint schisma, quo se separârunt à Roboam, qui erat legitimus regni hæres, & Salomonis Successor? Respondet Abulensis, id licitè eos fecisse, quia ipsi, inquit, liberi erant, Roboam verò volebat eos in servitutem redigere, poterant ergò ab eo recedere. Populus enim vel Respublica regem creans illi dat imperium, & jus regendi. Ergò illa id ipsum ei potest auferre, vel minuere, si is eo abutatur in perniciem populi. Populus enim non absolutè, sed certis conditionibûs se principi regendum tradit, quas si princeps non servat, potest eum abdicare. Hæc Abulensis. Veriùs dicas (ait P. Cornel. à Lap.) id factum esse ex voluntate & decreto Dei, ut patet v. 24. *Hæc dicit Dominus, non ascendetis neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel, revertatur vir in Domum suam, à me enim factum est verbum hoc.*

Ann. Mund. 3061. Uterque rex pro præsenti necessitate, Jeroboam sibi recens acquisitum regnum stabiliturus, Roboam avulsas à se tribus ad officium revocaturus, ingens meditantur bellum, Roboam v. 21. *Congregavit universam domum Juda, & tribum Benjamin, centum octoginta millia electorum virorum bellatorum.* Dûmque jam acies essent in itinere, misit Dominus Semejam ad Roboamum, qui eum à bello revocaret, addens v. 24. *A me enim factum est verbum hoc.* Et mirabile est, rex cupiditate regni abreptus, in bellum ruens, verbis Prophetæ retentus, oportuit utique (P. Salianus) Dominum, totum Exercitum Judæ, à pugnæ cupiditate deterrere.

Bellum grande paratur, sed sistitur à propheta 3. Reg. 12.

89\. Jeroboam factus Idololatra. 3. Reg. 12.

Solutus metu Jeroboam, futurisque providens prohibuit populum peregrinatione Hierosolymam, metuens, ne ibi à Roboamo in partes traheretur. Hanc peregrinationem periculosam, difficilemque asserens, & quòd Deum apud se colere non minori religione possent. Apparet, nullam hoc tempore factam à Jeroboamo vitulorum mentionem, ne offenderetur populus, at ille nuper ex Ægypto reversus, Apim & Serapim cogitabat, idque in gratiam Sesaci regis, cum quo aliquam affinitatem contraxerat, ductâ in uxorem Sorore uxoris ejus. Demens, qui abjectâ in Deum fiduciâ, à quo illi traditæ erant 10. tribus, non speravit ejus beneficium constans sibi, ac perpetuum fore, ab illóque perfidiosè defecit.

Duo delubra erexit, unum in urbe Dan, alterum in Bethel, in singulis vitulos aureos collocavit, celebravit festivitatem & tanquam Pontifex instituit sacerdotes, non ex tribu levi, quæ noluit huic impietati inservire, sed de fœce populi. 3. Reg. 13. 1. *Et ecce vir Dei venit de Juda in sermone Domini in Bethel, Jeroboam stante super altare, & thus jaciente v. 2. Et exclamavit contra altare in Sermone Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur Domui David, Josias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet.* Id factum post annos 350. In hujus vaticinii confirmationem duo signa edita. 1. scissum est altare, in quo sacrificabatur. 2. Cùm extendisset Jeroboam de altari manum suam contra virum Dei, jubens illum apprehendi v. 4. *Exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se.* Intremuit tam præsenti animadversione Jeroboam, petiit precibus prophetæ manum sanari, factum id, non tamen restitutus Deo obstinati cordis Jeroboam. Invitabat Prophetam gratitudinem præ-

Jeroboami manus arui it, & sanatur 3. Reg. 13.

præſtiturus, & excepturus conviviô, ſed ille recuſavit, obtendens Dei prohibitionem, in figuram cenſuræ cum excommunicatis ſumere cibum prohibentis. v. 10. *Abiit ergo per aliam viam, & non reverſus per iter, quò venerat in Bethel. Prophetes autem quidam ſenex habitabat in Bethel.* Hic cùm audierit, quæ facta eſſent, deſideriô motus Prophetæ excipiendi, illum viam agentem aſſequitur, fictóque oraculo homini reditum perſuadet. Cúmque comederent, deceptor hic jam divino ſpiritu afflatus accuſavit hoſpitem ſuum violati mandati, Deíque pœnam denuntiavit, fore, ut paterno ſepulchro privaretur, nec tamen imminentem mortem ipſi Dominus ſignificavit. Nam, cùm Hieroſolymam verſus reverteretur, incidit in Leonem, à quo occiſus eſt. v. 24. *Qui cùm abiiſſet, invenit eum Leo in via, & occidit, & erat cadaver ejus projectum in itinere: aſinus autem ſtabat juxta illum, & Leo ſtabat juxta cadaver.* Deliquit inobedientiâ venialiter Propheta, propter hoc occiſus; cùm enim Deus ipſe ipſimet (P. Cornel. à Lap.) clarè mandâſſet, non comedere in Bethel, non debuiſſet facilè credere prophetæ dicenti: Deum hoc præceptum revocâſſe, expediebátque hoc oraculum ſuo contrarium examinare.

Propheta inobediens occiditur à Leone. 3. Reg. 13.

Ità occiſus à Leone, quamvis eſſet vir juſtus, ut ait Theodoretus, inobedientiæ ſuæ ſupplicium luit, & mox à Deo honoratus, corpore mirabiliter à Leone conſervatô, & animâ à tartareo ſuppliciô erepta, ut ſcribit S. Auguſtinus. Moraliter S. Chryſoſt. in Pſal. 3. *Sicut Canis aut quælibet fera, quam homo beneficiis cicuravit, ſibique in omnibus obſequentem reddidit, ſi vultum ſimulet alienum, aut proprium mutet vel obſcuret, fuligine puta aut cœnô, aut colore non proprio, non minus illum allatrat, morsúque appetit domeſticus Canis, aut lacerat manſuefactus leo, quàm ſi eſſet alienus, ſic, quia propheta iſte per inobedientiam vultum fuligine fœdaverat, non agnovit Leo tanquam Dominum ſuum, atque ideò tanquam alienum interfecit.* S. Hieronym. l. 2. contra Jovin: *Qui jejunus miracula fecerat, pranſus illicò ſaturitatis pœnas luit.*

Jejunii Encomium.

Ann. Mund. 3062. Jeroboam à fidelibus nominatim levitis, qui aliis bonô exemplô præire regem volebant, deſeritur.

Ann. Mund. 3063. 2. Paralip. 12. 1. *Cúmque roboratum eſſet regnum Roboam, & confortatum, dereliquit legem Domini, & omnis Iſrael cum eo.* Ità quamdiu ſibi timuit Roboam à Jeroboamo, timere videbatur Deum, ſublato metu, & divinum amorem abjecit. De Roboamo dicitur 2. Paralip. 11. v. 21. *Uxores decem*

Roboam derelinquit legem Dei.

Proles numeroſa.

cem & octo duxerat, concubinas autem 60. & genuit 28. filios, & 60. filias.

90. *Ann. Mund.* 3064. In utroque regnô tam Roboami, quàm Jeroboami invaleſcebat idololatria, quam Deus per Seſacum Ægyptiorum regem, quem aliqui volunt fuiſſe Seſoſtrem, quamprimùm ultus eſt. Hic multas urbes Roboami ſuæ ſubjecit poteſtati, cenſetúrque à Jeroboamo evocatus. Trepidus Roboam, uti fit in conſcientia tot ſceleribus maculatâ, cum aliis principibus Hieroſolymæ ſe continebat. Dei veri tandem in illa calamitate preſſo oborta memoria, fecítque ad eundem recurſum. Propheta Semeias dixit nomine Dei 2. Paral. 12. v. 5. *Hæc dicit Dominus, vos reliquiſtis me, & ego reliqui vos in manu Seſac.* Iterùm ergo ad Dominum fecêre refugium, quorum ille miſertus ait. v. 7. *Quia humiliati ſunt, non diſperdam eos, dabóque eis pauxillum auxilii, & non ſtillabit furor meus ſuper Jeruſalem per manus Seſac. Verùmtamen ſervient ei, ut ſciant diſtantiam ſervitutis meæ, & ſervitutis regni terrarum.* Itáque ſub conditionibus, ut cœdibus incendiiſque parceretur, templúmque in integro ſervaretur, urbs dedita.

Deus relinquentes ſe relinquit. 2. Paralip. 12.

Servitutis Dei ac hominum differentia.

Hanc tamen conditionem non ſervavit Seſac, templum expilavit, ducenta ſcuta aurea Salomonis accepit. Reverſo in Ægyptum Seſaco*, rediit quoque ad ingenium Roboam idololatra.

Ann. Mund. 3077. Succeſſit Roboamo, præteritô annô fatîs functo, filius Abia, qui fortè jam collectum à patre apparatum belli ſtrenuè in Jeroboamum vertit. Quantùs apparatus belli fuerit horum regum, patet 2. Paral. 13. 3. *Cùmque iniiſſet Abia certamen, & haberet bellicoſiſſimos viros, & electorum quadringenta millia: Jeroboam inſtruxit econtra aciem octingenta millia virorum, qui & ipſi electi erant, & ad bella fortiſſimi.* Concionem ad hoſtem habuit Abia ad unionem regni, & fidei veræ hortatus. Dúmque illum Jeroboam circumvenire vellet, commiſit prælium, in quo v. 17. *Percuſſit ergo eos Abia, & populus ejus plagâ magnâ, & corruerunt vulnerati ex Iſrael quingenta millia virorum fortium. Humiliatíque ſunt filii Iſrael in tempore illo, & vehementiſſimè confortati filii Juda, eò quòd ſperaſſent in Domino Deo patrum ſuorum.* Non occupavit tamen illo eodem impetu Abia regnum, divinitùs fortè prohibitus. Mirum (ait P. Buſſieres in floſculis) non eſſe ab hac victoria debellatum: niſi Deo placuerit Judæ Regum hoſtes non perdere, per quos ipſi in pietate perſtarent, vel ad

Clades Iſraelitarum in bello civili 500000. 2. Paralip. 13.

eam,

eam, si deflecterent, revocarentur.

Asa Rex.

Ann. Mund. 3079. Mortuus Abia Rex Juda, cui successit.

Ann. Mund. 3080. filius Asa, impii parentis optima proles. Hic Zelum Davidis æmulatus 3. Reg. 15. v. 12. *Abstulit effœminatos de terra purgavitque universas Sordes idolorum, quæ fecerant patres ejus. Insuper & Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in Sacris Priapi.* P. Cornel. à Lap. hìc. Porrò Judæi coluerunt Priapum nomine Beelphegor, quasi Deum obscenitatis ritibus & actibus obscenissimis.

Filius matrem corrigit.

Ann. Mund. 3081. Jeroboamum 3. Paral. 13. v. 20. *Percussit Dominus, & mortuus est.* Apparet (P. Salian.) eundem violenta morte periisse, à bono vel malo Angelo percussum. Successit illi in Regno Israel, Nadab impii patris impius filius, occisúsque à Baasa, qui permittente Domino percussit omnem Jeroboam. Occupavit regnum Interfector Baasa (inquit P. Bussieres) & 24. annis tenuit, dormiente aliquando in sceleribus hominum Deo, nunquam consopitô.

Ann Mund. 3083. Impletum illud Ahiæ Prophetæ 3. Reg. 14. v. 11. *Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes, qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cœli.* In omnem siquidem Jeroboami familiam sæviit Tyrannicè Baasa, non implendæ causâ prædictionis propheticæ, sed firmandæ tyrannidis. Isti Baasæ prædixit postea Jehu filius Hanani Propheta 3.Reg. 16. v. 4. (alius à Jehu rege) *qui mortuus fuerit de Baasa in civitate, comedent eum canes; et qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cœli.*

Per quæ quis peccat.

Ann. Mund. 3094. Contigit celeberrima victoria Asæ de Æthiopibus Africanis, qui duce Zara cum exercitu, in quo decies centena millia militum erant, venerant. 2. Paral. 14. 8. *Habebat autem Asa in exercitu suo portantium scuta & hastas de Juda trecenta millia, de Benjamin, verò scutariorum & sagittariorum ducenta octoginta millia, omnes isti viri fortissimi.* Oravit Deum Asa poscens victoriam, nec deerat divina bonitas piis postulatis, nam terrore perculit Æthiopes, quorum tergis aliquot diebus institere Judæi. 2. Parl. 14. v. 13. *Et persecutus est eos Asa, & populus, qui cum eo erat usque Gerara, & ruerunt Æthiopes usque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt.* Præda ingens accepta, quæ jacturam à Sesaco illatam compensare videbatur. Revertenti regi processit obviam Azarias propheta, gratulatúsque victoriam inter alia dixit 2. Paralip. 15. v. 7. *Vos*

De Æthiopibus victoria ope divina ob obtenta. 2. Paral. 15.

ergo

Militibus benemeritis merces promittitur Gratitudo pro victoria.

ergo confortamini & non dissolvantur manus vestræ, erit enim merces operi vestro. Quod cùm audisset Asa verba scilicet & prophetiam Azariæ filii Oded prophetæ, confortatus est, & abstulit idola de omni terra Juda & Benjamin.

Humana auxilia neglectis divinis, perniciosa 2. Paral. 16.

91. *Ann. Mund.* 3095. Baasa rex Israelis occupavit & munivit Ramam 40. stadiis, distantem hierosolymis, tanto regni Judæ incommodo 2. Paral. 16. v. 1. *Ut nullus tutè posset egredi & ingredi de regno Asa.* Itáque Asa, qui ad Dominum confugere debuisset, confugit ad Syros, malè humanâ prudentiâ & providentiâ usus, cùm à Propheta de divino adjutorio antecedenter monitus fuerat. Venit itaque Benadad rex Syrorum, urbes Baasæ expugnavit, deprædatus, quo compulsus Baasæ metuens, ne proprio regno spoliaretur à Syris, ad propria reversus deserta Rama, quam Asa funditùs diruit. Ita Benadad geminatam prædam accepit ab Hebræis, nam & Baasæ urbes diripuit, & ab Asa thesauros Domûs Dei accepit. Quarè dixit propheta Hanani Asæ 2. Paral. 16 v. 9. *Stultè igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore adversùm te bella insurgent.* Hôc offensus Rex, Prophetam istum in Carcerem conjecit, tum plurimos de populo interfecit, qui scilicet prophetæ faventes, contra regem murmurabant.

Ann. Mund. 3105. Hoc anno naturali morte obiit Baasa, non enim de ipso, sed de posteris ejus à Jehu Propheta prædictum fuit, eos à bestiis aut volucribus discerptum iri. Successit illi in regno Israelis Ela filius.

Baasa Rex moritur.

Annus Mundi 3106. Asæ 27mus tres quatuorve reges vidit in Israele, Elaam filium Baasa, qui vix secundum annum regendô inchoavit. Zambri, qui 7. diebus regnum tenuit. Amri & Thebni, qui in schismate aliquamdiu regnârunt. Cùm ergo Zambri dux mediæ partis equitum, ambitione victus conjurâsset adversùs regem suum Elaam, incautum occupavit, & in Thersa urbe regia epulantem, apud urbis Præfectum, temulentum occidit, & ne esset, qui occisum Regem ulcisci posset, totam ejus familiam delevit: sed non diu scelus Zambri, qui optimè de se meritum regem occidit, impunitum fuit; Cùm enim Exercitus Israelis, qui Gebbethon urbem Philisthinorum obsidebat, audiisset rebellâsse, & regem occidisse Zambri, principem militiæ Amri creavit regem pro Ela, Amri itaque obsidione urbis omissa, celeritate usus, copias ad regiæ urbis obsidionem, in qua se Zambri pro

Reges brevi regnantes. 3. Reg. 16.

AdRegnum concurrentia.

rege

rege gerebat, qui, cùm videret expugnatum iri imparatam ad vim obſidionis ſuſtinendam civitatem 3. Reg. 16. v. 18. *Ingreſſus eſt palatium & ſuccendit ſe cum domo regia.* Sic in fumum redacto ambitioſo Tyranno ſciſſum eſt incertum, ſtudia in contraria vulgus.

In palatio ſe comburit Zambri. 3. Reg. 16.

Amri non leve jam Jus habebat ad regnum è militari ſuffragio, nihilominùs aliîs optimatibûs regnum ambientibûs diviſus eſt populus Iſrael in duas partes, quarum una ſequebatur Amri, altera Thebni regem, vicit poſtea Amri, ut dicetur.

Tribus ſequentibus annis inter Amri & Thebni de imperio Iſraelis certatum, quieſcente interim Aſa, qui poterat benè avitum tempore hujus belli civilis recuperare regnum, ſed ſatìs felicitatis ſuæ duxit, ſe uno in regno Juda regnantem, ſeptem reges quomodocunque regnantes in regno Iſraelis vidiſſe, ſcilicet Jeroboam, Nadab, Baaſa, Ela, Zambri, Amri, Achab.

Amri fundat Samariam 3. Reg. 16.

An. Mund. 3110. Amri prævaluit, cæſo æmulo Thebni, & rerum potitus. Cùmque pacificè regnum teneret, de ejus nova ſede cogitavit, montem igitur emit v. 24. *Emitque montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti.* P. Cornel. à Lap. hìc: Talentum hebræum continebat 3000. ſiclorum, ſive 1500. uncias, quæ faciunt 12000. drachmarum, Drachma argenti eſt Julius Romanus, ſive regalis hiſpanicus P. Salian: fuit ſuſpicio omiſſam à venditore Somer, partem fuiſſe pretii ea conditione, ut nomen ſuum exſtruendæ civitati daretur. 3. Reg. 16. 24. *Emitque montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti, & ædificavit eum, & vocavit nomen civitatis, quam exſtruxerat, nomine Semer* (ſive Somer) *Domini montis, Samariam.* Mutavit ſedem regni Amri, non impietatem, ſed in inveterata ſuperſtitione permanſit.

Monetarum valor.

Cura nominis.

Ann. Mund. 3115. Dicitur à ſcriptura 3. Reg. 16. v. 28. *Dormivitque Amri cum patribus ſuis.* P. Salian: id eſt, naturali morte obiit. Succeſſit illi Achab filius, cujus impietatem ſtatim à principio regni ejus ſcriptura commemorat. v. 30. *Fecit Achab filius Amri malum in conſpectu Domini ſuper omnes, qui fuerunt ante eum.* Quorum omnium ſcelerum Incentricem habuit Jezabelem filiam regis Sidoniorum, hujus ſuaſu aram Baali erexit, adjecitque Ægyptiorum vitulos.

Ahab ab initio regni impius. 3. Reg. 16.

Ann. Mund. 3120. Morbô podagræ 2. Paral. 16. v. 12. *Dolore pedum vehementiſſimo*, quo trienniô laborabat Aſa, vitæ finem impoſuit, mortuus Ann. 41. regni ſui. v. 14. *Et ſepelierunt eum - - - poſuerúntque eum ſuper lectum ſuum plenum aromatibus, & unguentis meretricis.* (P. Salianus, id eſt, variîs & exquiſitis) bona morte eum deceſſiſſe non ſolùm Joſephus, ſed etiam ſcriptura teſtatur 2. Paralip. 15. 17. *Attamen cor Aſa erat perfectum cunctis diebus ejus.* Ergò & ultimîs. Eodem Anno ſucceſſit ei filius Joſaphatus 35tum ætatis annum agens.

Aſæ mors 2. Paral. 16.

Caput decimum ſextum.

Joſaphat Rex Excelſa deſtruit, apparatum ingentem belli colligit. Elias oleum & farinam multiplicat. Ignem è Cœlo evocat. Pluviam impetrat, ſubcinericium panem comedit.

92. Joſaphat excelſa deſtruit. 2. Paral. 17.

ANn. Mund. 3121. Joſaphat religioſi Patris optimus filius cultum veri Dei in regno ſuo Juda promovebat. v. 6. *Cúmque ſumpſiſſet cor ejus audaciam propter vias Domini etiam excelſa & lucos de Juda abſtulit.* P. Salian: cùm dicitur alibi, non abſtuliſſe eum lucos, intelligendum, quòd pius rex, etſi exterminare cœperit, propter magnam tamen contradictionem multorum, & ſeditionis periculum non perfecit, mirum enim in modum populus capiebatur hiſce lucis & excelſis, ut ad omnem animi remiſſionem idoneis, præſertim cùm in eis, non Idolis, ſed Deo vero, quamvìs alieno in loco ſacrificaretur. Econtra in regno Iſraelis impius Achab impietatem promovebat adeò, ut ſupra 450. Baalis prophetæ numerarentur.

Ann. Mund. 3123. Eluxit ſpecialiter Joſaphati pietas, miſit ſacerdotes & Levitas, qui populum in Synagogis docerent, & ut id majori cum fructu & authoritate peragеretur, miſit quoſdam de principibus ſuis, qui eſſent miſſionis hujus duces.

Circa hunc annum Elias Theſbites agnoſci cœpit, vir Propheta potens opere & Sermone Hic ergò, cùm in veri Dei cultu inſtitutus eſſet à puero, inter habitatores Galaad, & ſejunctam à vulgi conſuetudine vitam

Elias exercet Zelum, nutritur à corvis 3. Reg. 17.

tam diu elegiſſet, nunc in publicum Zelô divini honoris ductus prodiit. Fueritné Sacerdos controverſum apud Cornel. à Lap. hìc. Non veritus Achabi regis potentiam, ad eundem dixit 3. Reg. 17. *Vivit Dominus Deus Iſrael, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluvia, niſi juxta oris mei verba.* Nec vanæ fuerunt minæ; verba prophetæ ſecuta ſiccitas. Deſcribit hoc graphicè Chryſoſt. Hom. 2. *Zelô Dei commotus (Elias) Judæam terram ſiccitatis ſententiâ, & pluviarum ſiccitate addixit. Tunc ſubitò anhelat terra, ſiccatur cœlum, ſitiunt omnes, fontes areſcunt &c. æſtuant noctes, dies areſcunt, ſata torrentur, arbuſta ægrotant &c. iram Dei univerſa creatura teſtatur.* Latâ ſententiâ ſiccitatis, Elias monente Angelo abſcondit ſe in torrente Carith, ut ibi de ejus aquâ potaretur. Simul etiam de cibo corvorum miniſterio providit Deus illi. v. 6. *Corvi quoque deferebant ei panem & carnes manè, ſimiliter panem & carnem veſperi.* Abulenſis putat, Angelos adiiſſe Achabi domum, ibíque non viſos accepiſſe, quæ liberet & in certum detuliſſe locum, undè corvi Deo inſtigante, ad Eliæ ſpeluncam, ea quotidiè bis deferrent. Ità Deus etiam de hoſtium bonis providit amico.

Pœnam peccati elementa infligunt.

Elias à corvis paſcitur. 3 Reg. 17.

Ann. Mund. 3124. Affinitatem cum impio Achabo contraxiſſe videtur Joſaphat, ejus filiam Athaliam, filio ſuo Joramo in uxorem accipiendo, malîs autem avibûs contractam hanc affinitatem tum reprehenſio Domini, tum mala eventa docuerunt. Intereà Achab ſiccitate preſſus, memor verborum Eliæ, de non ceſſaturâ, niſi ad verbum ejus, jubet eum quærere; exigebat autem juramentum ab omnibus, ne Eliam celare auderent. Is vero in ſpelunca ſua ad torrentem manebat, Deo & corvis notus, ac paucis diſcipulis. Sed dum torrens, qui potum Eliæ præbebat, ſiccatus eſſet, juſſit illum Dominus abire in Sarepta Sidoniorum, ibíque manere. 3. Reg. 17. 9. *Præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut paſcat te.* Illud *præcepi* poteſt intelligi *providi*, ſicut præcepi corvis. Socii verò Eliæ ad Abdiam 3. Reg. 18. Achabi procuratorẽ, ſcriptura illum dicit diſpenſatorem, occultũ Dei cultorem, & afflictorũ refugium ſe contulêre. Venit ergò ſpeciali Dei providentia Duce, in Sarepta Elias, vidit ibi mulierem viduam colligentem ligna, quæ dicebat 3. Reg. 17. v. 12. *En colligo ligna, ut ingrediar, & faciam illum (panem) mihi & filio meo, ut comedamus & moriamur.* Allegoricè S. Auguſtinus: *Duo ligna volebat colligere, quia crucis myſterium deſiderabat cognoſcere,*

Elias in Sarepta oleum & farinam multiplicat. 3. Reg. 17.

Crucis figura in lignis ſareptanæ moriendum mundo crucifixi amatoribus.

cere, Crux enim Domini Salvatoris duobus lignis aptata eſt - - - dixit ergo vidua illa, colligo duo ligna, ut faciam cibum mihi & filio meo, & manducabimus & moriemur. Verum eſt fratres dilectiſſimi, nemo in Chriſtum Crucifixum credere merebitur, niſi huic ſæculo moriatur. Nam quicunque Corpus Chriſti dignè manducare voluerit, neceſſe eſt, ut moriatur præteritis & vivat futuris. Et verò à conſtituta in his anguſtiis vidua, ſtimulante Deo, exigebat panem Elias 3. Reg. 17. v. 13. *Verùmtamen mihi primum fac de ipſa farinula ſubcinericium panem.* Cauſam dat S. Proſper par. 2. prædict. c. 29. *ut miſericordia primum occupet locum, quam præire ante faciem Domini ſcriptura teſtatur: ex ipſo enim omnis copia.* Sic S. Ludovicus Rex Franciæ priusquàm ipſe pranderet, centum pauperibus prandium dabat. v. 15. *Quæ abiit, & fecit juxta verbum Eliæ.* Eucherius id perpendens: *Paſcit pane, quæ cum filio poſtero die erat moritura &c. Studiè humanitatis omnem vim deſpexit naturalis affectûs; non de ſe, non de parvulis ſolicita; nihil enim à mentis propoſito revocavit, nec proprii ſexus infirmitas, & materna erga parvulos viſcera pietatis, occidit in ſe naturæ officia hoſpitalitatis intuitu, & effectus eſt devotus erga hoſpitem matris animus, filiorum crudele ſepulchrum.* v. 16. *Et ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt diminutus.* S. Proſper l. 2. de Prædict. c. 29. *Sic anima fœneratur Deum, ſic, dum dat in neceſſitate, ſibi conſulit ad ſalutem.* S. Hieronym. Ep. 10. ad furiam *Recordemur viduæ Sareptanæ, quæ & ſuæ & filiorum ſaluti Eliæ prætulit famem, malens vitam perdere, quàm eleemoſynam, & in pugillo farinæ Seminarium ſibi meſſis dominicæ præparavit.* Hoſpitante Elia apud Sareptanam filius ejus moritur, cui refugienti ad ſe propheta dixit, v. 19. *Da mihi filium tuum, tulitque eum de Sinu ejus, & portavit in Cœnaculum, ubi ipſe manebat, & poſuit ſuper lectum ſuum v. 20. Et clamavit ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus etiamne viduam, apud quam ego utcumque ſuſtentor, afflixiſti, ut interficeres filium ejus.* P. Salianus: ſuaviſſima eſt hæc querela index eximiæ in Deum fiduciæ. v. 21. *Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, revertatur obſecro anima pueri hujus in viſcera ejus.* v. 22. *Et exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reverſa eſt anima pueri intra eum, & revixit.* Id expendens Abulenſis, Elias ait, ter puero incubuit. Nam primò ei incubuit, orans Deum, ut eum reſuſcitaret, ſed cùm id videret non fieri, ſecundò incumbens puero, oravit ferventiùs. Verùm cùm nec tum quidem ſurgeret puer, tertiò

Miſericordia primum locum teneat.

Hoſpitalitas alens & alita liberalitas à fame liberans.

3. Reg. 17.

Oratio in arduis ferventius excitanda.

eidem incumbens oravit ferventiſſimè, ſicque tandem vitam puero impetravit. Idem nos facere & imitari convenit; Deus enim in rebus arduis vult ſæpiùs & ardentiùs rogari, ut illud ferventibus, & zelo quaſi armatis & inflammatis precibûs ab eo extorqueamus. Allegoricè prædictum ſcripturæ locum perpendens S. Proſper. *Elias, & poſt illum Eliſeus, ut mortuum parvulum ſuſcitaret, juvenilia membra contexit. Et Dominus JEſus ſe ipſum exinanivit formam ſervi accipiens, parvum ſe, illi parvo cooptavit, ut efficeret iſtud corpus humilitatis noſtræ, conforme corpori gloriæ ſuæ,*

Chriſtus parvulus ſe nobis accommodat.

93. *Ann. Mund.* 3126. Jubet Do-
3. Reg. 18. minus Eliam Prophetam redire in Iſrael, & oſtendere ſe Achabo. Ita miſericors Dominus ſponte vult pœnas laxare peccatorum; neque enim Achab, multominus Jezabel à ſceleribus deſiſtebant, venit itaque ad Achabum, qui exprobravit illi conturbationem regni; cujus conturbationis cauſam rectè Propheta rejecit in ipſummet Achabum, qui culpâ ſua vera fuit cauſa pœnæ. Quod manifeſtè ſe probaturum in conſpectu Regis & prophetarum Baal, totiusque populi propheta ſignificavit. Non auſus quidquam negare rex deſiderio pluviæ æſtuans. Itaque in montem Carmeli congregatur populus, & Prophetæ Baalis. Congregatô populô, quorum plerique Domino & Baali ſerviebant, dixit Elias 3. Reg. 18. 21. *Usquequo claudicatis in duas partes, ſi Dominus eſt DEus, ſequimini eum, ſi autem Baal, ſequimini eum, & non respondit ei populus verbum.* Et quia dicere poterat populus, utrumque DEum eſſe, hanc reſponſionem occupat Elias, aitque rem ſacrificiô probandam. Probavit dictum populus. Pſeudoprophetæ, qui erant 450. bovem mactant, ſtrui lignorum imponunt, fruſtra à Baale, quem angelus Domini conſtrictum tenebat, ignem ad ſacrificium petunt, imò fruſtra ſe cultrîs & lanceolis ſcindunt. v. 28. *Incidebant ſe juxta ritum ſuum cultris & lanceolis.* Idem ſolebant facere alii gentiles. Audi Lactant: lib. de falſa religione c. 21. *alia virtutis* (ſacrificia) *quam eandem Bellonam vocant, in quibus ipſi ſacerdotes, non alieno ſed ſuo cruore ſacrificant, ſectis namque humeris, & utraque manu diſtrictos gladios exercentes currunt, efferuntur, inſaniunt.* Sicque matutino tempore, quod Baaliſtis ad evocandum è cœlo ignem conceſſum fuerat, fruſtra exactô; altare Domini, quod ab Iſraelititis deſtructum fuerat, erexit, & ex 12. lapidibus compoſuit, juxta numerum filiorum Jacob, alteri ſtruem lignorum impoſuit, ac ad majus oſtendendum miraculum, 12. hydriis aquæ juſſit perfundi idem altare. Fecit id Elias, ut notat

P.

P. Cornel. à Lap. ne quis putaret, ſub altari eum abſcondiſſe ignem, ſicuti ſolebant Idolorum cultores, de quibus S. Chryſoſt. hom. de Petro & Elia: *Attende, quod dicturus ſum, vidi enim ipſe, quod dicam. In Idolorum altaribus foramina quædam ſunt, ex inferiore parte altaris, & fovea quædam obſcura; deſcendunt autem erroris artifices in foveam illam, & ex foraminibus ignem ſufflant ad ſacrificium conficiendum, ita, ut multi decepti, ignem illum cœleſtem exiſtiment eſſe. Ne igitur & Elias in ſuſpicionem veniret, quòd & ipſe aliquid tale machinatus eſſet, aquam effudit.* Ad preces tandem converſus Elias è cœlo ignem evocavit, v. 38. *Cecidit autem ignis Domini & voravit holocauſtum, & ligna & lapides, pulverem quoque & aquam, quæ erat in aqua ductu lambens. v. 39. Quod cum vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam, & ait: Dominus ipſe eſt Deus. Dominus ipſe eſt Deus* Elias autem benè uſus occaſione benè animati in Deum populi adverſus ſacrilegos impoſtores, omnes comprehenſos ad torrentē Ciſon perductos interfecit. Ad orationem deinde, ut impetraret pluviam, ſe contulit. v. 42. *Elias autem aſcendit in verticem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua ſua.* P. Cornel. à Lap. ut attentiùs & ardentiùs DEum oraret pro pluvia, hic enim geſtus ſignificabat humilitatem & attentionem Eliæ. Hoc enim ſitu eſt Embrio in ventre matris, eóque quaſi tacitè ſuam miſeriam oſtendens implorat DEi miſericordiam, ut ſe in lucem educat. Audi S. Iſidor. l. 11. orig. c. 1. *Genua ſunt commiſſiones femorum & crurum, & dicta genua eò, quòd ſint in utero genis oppoſita, cohærent enim ſibi, & cognata ſunt oculis lachrymarum indicibus & miſericordiæ, nam à genis genua dicuntur. Denique complicatum gigni, formarique hominem dicunt, ita, ut genua ſurſum ſint, quibus oculi, ut cavi & reconditi fiant. Ejus genua comprimit arcta gena, inde eſt, quòd homines, dùm ad genua ſe proſternunt, ſtatim lachrymantur.* Ariſtot. l. 7. de hiſtoria animalium. c. 8. *Homo in ſemet conglobatus ſic geſtatur, ut naſus inter genua, aures extra genua habeat.* Dum pluviam impetravit Elias, minarum tonitru in illum Jezabel exercuit, quo territus bonus Propheta ſe in fugam dedit. Quàm pareant precibus amicorum DEi elementa, hìc videndum, ad preces Eliæ deerat pluvia, uti habetur in Epiſt. D. Jacobi c. 5. 17. *Elias homo erat ſimilis nobis, paſſibilis, & oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex,* ad preces deinde Eliæ in copioſum imbrem reſoluti cœli.

Elias ignem de cœlo ad ſacrificium evocat. 3. Reg. 18.

Pluviam Elias impetrat.

Ann. Mund. 3127. Joſaphat interim Rex Juda ædes magnificas, urbesque ædificabat. In omnem belli eventum univerſim Joſaphat retinebat (uti habetur 2. Paralip. 17. & computa- 94.

Joſaphat in pace ingens belli apparatus 2. Para. 17.

vit P. Cornel. à Lap. hìc) ſub ſignis undecies centena, & ſexaginta bellatorum millia, DEo enim proſperante, quia præter tribus Juda & Benjamin potentes & numeroſas ſibi ſubditas, multi ex 10. tribubus avitæ religionis ſtudioſi, & proſperitate Joſaphati illecti ad Jeruſalem transfugerunt. Horum hominum rectores Hieroſolymis apud regem manebant. Achab verò tantô miraculô viſô melior non factus, præcipuè Jezabel tanquam leena ebria ſanguine in DEi cultores graſſabatur. Fugitivus Elias, de quo 3. Reg.

Elias fugitivus dormit in deſerto 3 Reg. 19. ſub umbra Juniperi.

19. v. 3. *Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit, quocunque eum ferebat voluntas.* Vagabatur per deſertum Arabiæ, cúmque ibi longiùs progreſſus, fagitatus v. 4. *Sederet ſuper unam Juniperum, petivit animæ ſuæ, ut moreretur* P. Salian. non tœdio vitæ, aut ærumnarum, ſed ex zelo divinæ gloriæ, quam nollet conculcatum. v. 5. *projecitque ſe, & obdormivit in umbra juniperi.* Allegoricè Rupertus l. 5. c. 10. per juniperum accipit S. crucem, ad quam confugit fidelis, dum timore, aliáve tentatione pulſatur. Idem Rupertus ibidem. Elias repræſentat hìc infirmitatem Chriſti in horto. P. Cornel. à Lap. hìc: umbra Juniperi exilis, cùm Juniperus pro frondibus ſpinas habeat, & noxia, nam ut ait Virgil. Eclog. 10. *Juniperi gravis umbra.* Quare umbra

In tentatione ad crucem Chriſti confugiendum.

hæc potiùs capitis dolorem & mœrorem in Elia auxit. Unde umbra hæc typus eſt humanorum auxiliorum, potiùs ad DEi & Chriſti umbram confugiendum cum ſponſa, quæ ait Cant. 23. *Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Noluit tamen Dominus ſervum ſuum Eliam incœnatum dormire, & ad reliquum iter invalidum reddi v. 6. *Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis; comedit ergo & bibit, & rurſum obdormivit v. 7. reverſúsque eſt angelus Domini ſecundo & tetigit eum, dixitque illi: ſurge, comede, grandis enim tibi reſtat via.* Allegoricè per panem hunc Eliæ Patres accipiunt Euchariſtiam, cujus virtute per 40. dies, id eſt, per totam vitam, quæ nobis eſt tempus jejunii & pœnitentiæ, ambulamus ad montem DEi Horeb. Ita Paſchaſius, Radbertus, Rupertus l. 5. c. 10. Venit deinde Elias in montem Horeb, ibi ſpelunca ſe abdidit, cúmque ibi jaceret mœrens, inſonuit auribus ejus divinitus vox. v. 9. *Quid hìc agis Elia? at ille reſpondit: zelo zelatus ſum pro Domino DEo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael.* Hic autem inquit angelus v. 11. *egredere & ſta coram Domino* (P. Salian.) altero ſcilicet angelo, qui DEi vicem gerebat, cúmque egreſſus eſſet, perterrefactus ſubſtitit in ſpelunca, maximus enim excitatus ventus,

Auxilia humana vana.

Eliæ panis ſubcinericius. 3. Reg 19.

quo

quo montes ſubrui videbantur, mox terra concuti & nutare cœpit, terræ motum excepit incendium, v. 11. *Et ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis & fortis, ſubvertens montes, conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus: & poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus v. 12. Et poſt commotionem ignis: non in igne Dominus & poſt ignem ſibilus auræ tenuis.* Quem cùm audiſſet Elias, ſimul de præſentia DEi edoctus vultum ſuum pallio operuit, quòd Dominus majorem in nube radiante ſplendorem exhiberet, quàm ut eum mortales oculi ferre poſſent. P. Cornel. à Lap. hìc, finem & ſcopum hujus viſionis fuiſſe, ut DEus Eliam, irâ, tædio, dolore, ob licentiam, impunitatem, & ſcelera Jezabelis, & Baalitarum ſuccenſum conſolaretur, mitigaret, & erudiret. Ita S. Irenæus lib. 4. contra hæreſes c. 37. *Docebatur Propheta turbatior & concitatior ad vindictam mitius agere.* Theodoret. qu. 57. per hoc oſtendens, quod lenitas, benignitas, & clementia ſola eſt DEo grata. Allegoricè P. Cornel. à Lap. repræſentabatur Chriſti Salvatoris in mundum venturi ſpiritus fortè diverſus à ſpiritu Eliæ, cùm filius DEi in carnem deſcendit, venit in ſpiritu lenitatis juxta illud Iſaiæ 42. 1. quod citat Matth. c. 12. 19. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in platea vocem ejus: arundinem quaſſatam non confringet, & lignum fumigans non extinquet.* Unde cum Joannes & Jacobus vellent, ut Chriſtus in Samaritanos eum non recipientes inſtar Eliæ è cœlo vibraret ignes, ipſe eos repreſſit, dixitque Luc. 9. v. 55. *Neſcitis, cujus ſpiritûs eſtis, filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Rupertus: occultus & ſecretus fuit ejus adventus, quem quaſi de aura tenui, id eſt, de ſpiritu ſancto Maria virgo concepit. Expoſtulanti poſthac Eliæ contra Idololatras reſpondit Dominus, ſe ſuſcitaturum illis adverſarios. v. 15. *Unges Hazael regem ſuper Syriam, & Jehu filium Namſi unges regem ſuper Iſrael, Eliſæum autem &c. unges Prophetam pro te.* Remittitur deinde in Iſraelem deviis itineribus, profectus Damaſcum Hazaeli ſignificat ipſum regnaturum; reditque in terram Iſrael Elias, ac tranſiens per agrum reperit Eliſeum in cætu 12. Aratorum, quorum ipſe erat unus v. 19. *Miſit pallium ſuum ſuper illum, v. 20. Qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam. - - - tulit par boum, & mactavit illud; & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt, conſurgensque abiit & ſecutus eſt Eliam, & miniſtrabat ei.* Abulenſ. advertit, nihil voluit ſibi reliquum manere in ſæculo, ut liber expeditus tranſiret totus ad Dominum.

Lenitatis ſpiritus docetur.

Adventus Chriſti mitiſſimus.

Vocationi promptè obſequitur Eliſeus, & ea, quæ mundi ſunt deſerit.

Joannes Eleemoſinarius Eliam etiam alios diſcipulos in monte

Car-

Carmeli collegisse, & ad vitam religiosam instituisse non levem hinc accipit probabilitatem. Et Abulensis censet Eliam ab hoc tempore, quo in monte Carmelo cælitùs ignem evocavit, eoque Baalitas prostravit, habitationem suam in eodem monte in memoriam tanti beneficii fixisse, atque ad eum illuc confluxisse plures viros religiosos, qui se totos DEo, orationi &c. tradebant. Quos post Christum imitati sunt, qui in eodem monte religiosè DEum coluerunt, indeque (P. Cornel. à Lap. in 3. Reg. 18. v. 42. orta est sancta Carmelitatum religio. Unde septem summi Pontifices Sixtus IV. Joannes XXII. Julius III. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens Octavus in bullis huic ordini concessis de Professoribus hujus S. instituti ita loquuntur: *Tanquam religionis speculum & exemplar claritate fulgentes, sanctorumque prophetarum Eliæ & Elisei & aliorum Patrum, qui montem S. Carmeli, juxta Eliæ fontem habitârunt, successionem hæreditariam tenentes.* Unde Sixtus V. huic religioni concessit, ut Eliam & Elisæum tanquam suæ institutionis Patronos coleret, dies festos in eorum honorem celebrando, propriáque officia in eorum memoriam recitando, quod & ipsa Religio studiosè servat, & in ipso officio nomen & Solennitatem Patroni Eliæ tribuit.

Carmelitarum origo



Caput

Caput decimum septimum.

Bellum Israelitarum cum Syris grande. Propheta se vulnerari præcipit. Nabothi historia. Elias ignem de cœlo evocat ad perdendos milites.

95. Bellum Israelitarum cum Syris. 3. Reg. 20.

ANn. Mund. 3134. Grande bellum inter Syros & Israelitas exarsit, causa illius erat denegatum Syris ab Israelitis tributum. Itaque Benadad Syrorum rex cum 32. Satrapis, quos scriptura reges, cum ingenti exercitu ad ipsam regiam pervasit, Achabo se intra munitiones tenente, ad quem è latebris eliciendum misit Benadad legatos hæc poscentes v. 3. *Hæc dicit Benadad: argentum tuum & aurum tuum meum est, & uxores tuæ & filii tui optimi mei sunt.* Achab verò volens suavibùs verbìs lenire Benadadum dixit v. 4. *Juxta verbum tuum Domine mi Rex, tuus sum ego, & omnia mea.* Officiosa hæc verba existimans Syrus, misit alios legatos, qui petitionem urbanè elusam inculcarent, adjectìs minìs: consultat Achab, rem non tantùm suam, sed & totius populi agi, conclamatur ad arma. Syrus Samariam urbem cingere vallis, admovere muris machinas jubet. DúmqueAchab cum populo à desperatione minimum abesset, Dominus per Prophetam quendam Anonymum promittit victoriam. v. 13. *Hæc dicit Dominus: Certè vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? Ecce ego tradam eam in manu tua hodie, ut scias, quia ego sum Dominus.* v. 14. *Et ait Achab: per quem? dixitque ei: Hæc dicit Dominus: per pedissequos Principum provinciarum, & ait: quis incipiet præliari? & ille dixit: Tu.* v. 15. *Recensuit ergò pueros principum provinciarum, & reperit numerum ducentorum triginta duorum, & recensuit post eos populum, omnes filios Israel septem millia.* v. 16. *Et egressi sunt meridie, Benadad autem bibebat temulentus in umbraculo suo, & reges triginta duo cum eo.* Cùm ergo hi egressi essent, nuntiatum hoc Syro, qui per contemptum vivos comprehendi jubet; dumque Syri à vulneribus abstinent, illi in Syris stragem maximam edunt, ex qua fit in Syris consternatio, cui superveniunt 7000. Israelitarum; eò magis turbabantur Syri, tandem Rex ipse Achab cum præsidiariis suis fugientium tergis insistit. Magna strage, fatigatos fu-

232 pedissequi vincunt 3. Reg 20.

fuga afficit cum præda opima victor revertitur.

Ann. Mund. 3135. Confusionem ferre nequiens Syrus bellum redintegrat, ut enim regis sui dolori mederentur Syri, dixêre: v. 23. *Dii montium sunt Dii eorum, ideò superaverunt nos, sed melius est, ut pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos.* Venerunt ergo in campestria ingenti agmine contra Israelitas, qui respectu Syrorum videbantur v. 27. *Quasi duo parvi greges caprarum Syri autem repleverunt terram.* Itaque postquam in conspectum venit uterque exercitus, septimo die aggressus certamen, at, pervicaciter licèt pugnantibus Syris, victoria per DEi gratiam cessit Israelitis. v. 29. *Percusseruntque filii Israel de Syris centum millia peditum in die una.* Rex Syriæ fugit in Aphec, ibique in conclave alicujus domus se abdidit, jussis interea suis, imminentem muris hostem arcere, clausis itaque portis, Syri muros subiere v. 30. *Et cecidit murus super viginti septem millia hominum, qui remanserant.*

Syrorum 100000. de lentur. 3. Reg. 20.

27. millia muris obruuntur.

Re desperata domestici Benadad supplices ad Achabum venêre, posueruntque funiculos in capitibus suis, excepit illos perhumaniter Achab, de Rege Syro permanenter quæsivit v. 32. *si adhuc vivit frater meus est*, regiam fortunam collapsam miserans v. 33. *Ite & adducite eum ad me.* Postquam venisset Benadad, non solùm homini non exprobravit priores minas, sed afflictam regis conditionem miseratus v. 33. *levavit eum in currum suum.* Et verò distant judicia DEi à judiciis hominum. Videbatur fuisse hæc Achabi humanitas laudabilis, displicuit tamen DEo. Gratus pro tanto beneficio Benadad, & urbes Achabo, quas possederant Syri, restituit, & Israelitis, à quibus paulo ante tributa exegerat, tributum concessit. v. 34. *Et plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria* (P. Salian.) plateas vocat fora rerum venalium, super quæ vectigal aliquod constituat. At Dominus, qui hanc clementiam non probavit, misit prophetam ad Achabum, de quo 3. Regum 20. v. 35. *Tunc vir quidam de filiis Prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me. At ille noluit percutere* (P. Cornel. à Lap. hic ut proprii mei capitis vulnere repræsentem Achabo regi vulnus ipsius, quòd parcendo Benadad accepit in anima sua) v. 36. *Cui ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes a me, & percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo; invenit eum leo, atque percussit. v. 37. Sed & alterum inveniens virum, dixit ad eum: percute me. Qui percussit eum, & vulneravit. v. 38. Abiit ergo propheta, & occurrit regi in via, & mutavit aspersione pulveris os & oculos suos. v. 39. Cùmque rex transisset, clamavit*

Propheta jubet se vulnerari. 3. Reg. 20.

ad regem, & ait: Servus tuus egressus est ad præliandum cominus: cumque fugisset vir unus, adduxit eum quidam ad me, & ait: Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus, aut talentum argenti appendes v. 40. Dum autem ego turbatus huc illuc me verterem, subito non comparuit. Et ait rex Israel ad eum: Hoc est judicium tuum, quod ipse decrevisti v. 41. At ille statim abstersit pulverem de facie sua, & cognovit eum rex Israel, quòd esset de prophetis v. 42. Qui ait ad eum: Hæc dicit Dominus: quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus. Quòd se Propheta vulnerari jusserit, variæ assignantur causæ, apud Cornel. à Lap. hic. Abulensis hanc dat: ut per hoc vulnus Propheta à rege non agnosceretur sed videretur esse miles, sicque faciliùs accessum ad regem haberet, sed hanc potissimam causam assignat P. Cornel. ut scilicet DEus tam in percutiente, quàm percusso daret exemplum perfectæ obedientiæ. Consonat S. Chrysost. orat. 1. contra Judæos. *Qui percussit Prophetam, evasit incolumis, qui pepercit, dedit pœnas, nimirum, ut intelligeres in jussis divinis non oportere curiosum esse, examinareque rerum, quæ præcipiuntur, naturam, sed nihil aliud, quàm obtemperare. Etenim ne prior ille veritus parceret prophetæ, non dixit simpliciter illi, percute me, sed addidit in verbo Domini, hoc est, DEus præcepit, ne quære ulterius.*

Parcere interdum perniciosum.

Ann. Mund. 3137. Hoc an- 96.
no contigisse censetur Nabothi historia: Naboth porrò Jezrahelita vineam habuit in natali solo, Achab autem, qui Samariæ palatium habuit, in Jezrahele rus habuisse videtur (P. Salian.) quod Nabothi vineam contingeret, ut videtur Josepho, quam ad commoditatem prædii sui rusticani expetiit Achab, oblata in commutationem meliori vinea, aut dignô ea pretio, hic adhuc non peccavit. Sed dum Naboth non acquiesceret petitioni ejus, quod religioni duceret, quasi divinitus ad se per majorum suorum manus transmissam hæreditatem, in familia sua non conservare. Eam repulsam rex tulit indignè, ægro animo, & fortè corpore, nam v. 4. *Projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam, ad parietem, & non comedit panem.* Cùm autem id Jezabeli patefecisset, invenit hæc excedentem medicinam, modum, subordinavit scilicet accusatorem, testes, per hos in Jezrahelitano magistratu Naboth de blasphemia in DEum & regem convictus, condemnatus, lapidibus obrutus, filii quoque occisi. Ubi res delata ad Jezabelem, dixit Achabo v. 15. *Surge, & posside vineam Naboth Jezrahelitæ - - - non enim vivit sed mortuus est. v. 16. Quod cum audisset Achab mortuum videli-*

Nabothi historia 3. Reg. 21.

cet Naboth, surrexit & descendebat in vineam Naboth Jezrahelitæ, ut possideret eam v. 17. Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens v. 18. Surge, & descende in occursum Achab Regis Israel - - - v, 19. Et loqueris ad eum dicens: hæc dicit Dominus: occidisti, insuper & possedisti. Et post hæc addes: hæc dicit Dominus, in loco hoc iniquo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum &c. Cùm ergo Elias accuratè apud regem munere functus esset, Achab v. 27. *scidit vestimenta sua & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite.* Qua tota humiliatione dilationem pœnæ meruit, & consecutus est. Igitur filium Ochoziam adscivit ad regnum, ne, siquid ei nec opinato humanitùs accidisset, in ejus familia periclitaretur. Motus Achabi exemplo Josaphat ipse quoque filium suum Joramum impiæ Athaliæ maritum ac Achabi generum regni socium sibi adjunxit. Historiam Achabi respiciens D. Ambrosius de Naboth c. 2. inquit: *O dives, nescis, quam pauper sis - - - quantò plus habueris, tanto plus requiris, & quanquam acquisiveris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lucrô avaritia, non restinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditas habet, quò plures ascendit, eò ad altiora festinat, unde sit gravior ruina lapsuri - - - Rex Achab in Israel erat, & pauper Naboth, ille regni opibus affluebat, iste angusti socii cespitem possidebat - - - - Quis igitur pauper videtur? qui contentus est suo, an qui concupiscit alienum? alter certè pauper censu videtur, alter est pauper affectu.* Et deinde divites alloquitur c. 3. *Injuriam vestram putatis, si quid pauper habeat, quod dignum possessione divitis æstimetur, damnum vestrum creditis, quid quid alienum est.* Deinde c. 6. *non manducavit panem suum, quoniam quærebat alienum. Etenim divites magis alienum panem, quàm suum manducant, qui raptu vivunt - - Ditem dicunt gentiles inferorum præsulem arbitrum mortis. Ditem appellant & divitem, quod nisi mortem dives inferre non noverit, cui regnum de mortuis sedes inferi sunt.* Achabi pœnitentiam respiciens D. Gregor. Hom. 19. In quibus verbis pensandum est, quomodo ei in electis suis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent DEum, si sic ei, & reprobi (Achabi) pœnitentia placuit. Verùm tamen, & seriam hoc tempore fuisse Achabi pœnitentiam censent Abulensis, Hugo &c.

Avatitiæ ascensus & ruina.

Pœnitentia multum valeat.

97. *Ann. Mund.* 3138. Josaphat rex Juda invisit Achabum, ab illoque splendìtè acceptus, ac in societatem armorum contra Syros tractus, voluit tamen prius consulere Dominum circa expeditionem, dumqúe Achabi pseutoprophetis quadringentis fidem non daret, vocatus est Michæas propheta, de quo dixit Achab v. 8. *Remansit vir unus, per quem possumus interrogare Dominum, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum Michæas filius Jemla. Cui Josaphat ait: ne loquaris ita rex &c.*

Duo reges Hebræi infeliciter contra Syros pugnant 3. Reg. 22.

Veritas odium parit.

Venit itaque vocatus Michæas ad regem, interrogatus. 1. Ironicè respondit consentaneè pseutoprophetis 2. Adjuratus à rege veritatem dixit, significavitque, sibi revelatum, exercitum Israelitarum fusum iri à Syris, & rege suo privandum. Indignatus rex Achab, sed & Sedecias pseudoprophetarum primarius, qui ante hac cornua ferrea capiti suo imposuerat, dicens: v. 21. *His ventilabis Syriam, donec deleas eam.* Hic Sedecias percussit maxillam Michææ dicens: v. 24. *Méne ergo dimisit spiritus Domini, & locutus est tibi?* patienter tulit injuriam propheta, suam tamen sortem Sedeciæ prædixit, fore, ut vulnerato rege, ipse fugitivus in intimum se cubiculum abscondat. Conjecit posthac in carcerem Michæam Achab, vel ut illum pseudoprohetis eriperet; vel ut convictus mendacii reverso mox rege ex bello suppliciô afficeretur, ipse ad bellum profectus cum Josaphato, cumque ventum esset in Ramoth, Achab mutavit habitum, ne rex agnosceretur, simulque Josaphatum regimine universi exercitus honoravit. Omne igitur hostilis exercitus robur Josaphato incubuit, quasi is esset Achabus. Quo in periculò Josaphat cum clamore Dominum invocavit, & Syri agnitô Josaphatô averterunt se ab illo, Achabum qui latebat, quærentes; cùm gregarius aliquis miles, telum in confertam multitudinem jaciens nihil minùs cogitans, quam Achabum, eum, DEo sagittam in nocentem dirigente, confodit. Acceptô vulnere dixit Achab aurigæ v. 34. *Verte manum tuam, & ejice me de exercitu, quia graviter vulneratus sum.* v. 37. *mortuus est autem rex* (Achab) *& perlatus est in Samariam sepelieruntque regem in Samaria, & laverunt currum ejus in piscina Samariæ, & linxerunt canes sanguinem ejus.* Rediit quoque in propria Josaphat non infestatus à Syris, DEo illum specialiter protegente. Dúmque venisset Jerusalem, misit ad eum DEus Jehu prophetam, qui illum argueret 2. Paral. 19. v. 2. *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris v. 3. sed bona opera inventa sunt in te, eò quòd abstuleris lucos de tribu Juda &c.* En etiam in hac vita mercedem bonorum operum retribuit DEus, cur non in futura, num melior temporalis merces, quàm æterna.

Fructus honoris onus.

Societas cum impiis Deo odiosa.

Mortuo Achabo successit Ochozias, sensitque regni sui regimen amaritudine plenum, hoc tollerabiliùs, quod breve, nam impietatis Parentum Secta-

Ochozias Achabo succedit, non diu regnat. 4. Reg. 1.

 tor

tor, mox ad ultima devenit. v. 2. *Ceciditque Ochozias per cancellos cœnaculi sui*, ex qua ruina conquassato corpore, ægrotavit, misitque nuncios ad idolum Beelzebub, qui exquirerent, an desperata nec ne salus ejus esset. His occurrit Elias, ac pro merito coarguit, quòd omissô DEo Israelis Beelzebubum DEum Accaronitarum, consultum irent. Addiditque. v. 4. *Quam ob rem hæc dicit Dominus: de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Hoc dicto reversus Elias in Carmelum, nuncii in Samariam ad regem, qui ex descriptione illorum cognoscens Eliam, quem nuncii non noverant, misit in Carmelum iratus eidem prophetæ, qui illum, etiam invitum, ad se adducerent. Cúmque Dux militum per ludibrium Eliam hominem DEi appellâsset, [Elias ignem de cœlo evocat. 4. Reg. 1.] dixit Elias: v. 10. *Si homo DEi sum, descendat ignis de cœlo, & devoret te, & 50. tuos, descendit itaque ignis de cœlo, & devoravit eum.* Impatiens moræ rex expedivit alium, sed & hic cum 50. suis igne similiter ab Elia è cœlo evocato conflagravit. Misit denique & tertium principem quinquagenarium Achab; interea fama iterati prodigii spargebatur, qua perterritus ille tertius, qui putatur esse Abdias, summâ & corporis & verborum humilitate ad misericordiam Eliam movit. Interea locutus est angelus cum Elia, jussitque adire Samariam cum hoc duce, nihilque formidare. Adiit, & coram moribundo rege carmen illud iteravit v. 16. *De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Ita dictum & factum, Ochozias v. 17. *mortuus est, - - - & regnavit Joram frater ejus pro eo.* [Ochoziæ mors.]

Josaphat verò Rex regnum suum visitavit, si aliquid alicubi Idololatriæ reperit, exterminavit, judices constituit, & consilium hierosolymitanum, ad quod inferiorum urbium causæ devolverentur. 2. Paral. 19. 11. *Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester; in his, quæ ad DEum pertinent, præsidebit.* (P Salian. de politicis verò negotiis ibidem additur v. 11. *Porrò Zabadias filius Ismahel, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent.* [Josaphat justitiam promovet. 2. Paral. 19.] Optima sanè sacrorum politicorumque negotiorum partitio: si suis quisque intendat, nec Divinis Laicus sese intrudat, nec prophanis Ecclesiasticus, sacra misceat. [Politicorum & sacrorum cura diversa.] Si, dinumeret miles vulnera, pastor oves. Si tractent fabrilia fabri, si navita de ventis, de bobus narret arator.

Caput

Caput decimum octavum.

Eliæ translatio. Eliseum irridentes pueri morte puniti. Eliseus siti afflicto exercitui succurrit. Suscitat filium Sunamitis. Facit natare securim. Josaphati victoriosa oratio.

98. [Eliæ translatio.] A*Nno Mundi* 3139. Contigit translatio Eliæ. 4. Reg. 2. v. 1. *Cùm levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cœlum* &c. (P. Salian. Angelorum scilicet ministeriô excitavit Dominus ventum vehementer, qui mox spiritus Domini appellatur à filiis prophetarum, quem moderabatur angelus. Tostatus ait: hujus venti fuisse partes duas, alteram in modum nubis addensatam, & instar ignis rutilantem, itaque densam, ut Eliæ corpus & sustinere possit & capere, & in modum currus ignei circumvolvere. Alteram, quæ vim impressam acciperet, & priorem impelleret, angelo quasi auriga dirigente ad condictum locum. Comitatus est Eliam Eliseus, etsi illum à se expedire vellet, gloriam suam occultare cupiens Elias, veneruntque imò in Galgala posteá in Bethel, ubi humaniter à filiis prophetarum excepti: inde Jordanem versus iere, sequebantur illos de longè 50. filii Prophetarum, cúmque ad Jordanem venissent, & nec pons, nec vadum occurreret, tulit Elias pallium suum, & involvit in formam oblongam & rotundam, aptam ad percutiendum. v. 8. *Et percussit aquas, quæ divisæ sunt in utramque partem, & transierunt ambo per siccum. v. 9. Cumque transissent, Elias dixit ad Eliseum: postula quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar à te, dixitque Eliseus, obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus. v. 10. qui respondit, rem difficilem postulâsti, attamen, si videris me, quando tollerar à te, erit tibi, quod petisti.* P. Salian. alii putant, per hunc spiritum duplicem intelligi gratiam duplicem, scilicet prophetiæ & miraculorum, sed hoc non esset adeò difficile. Alii probabiliùs per duplicem spirittum intelligunt gratiam, duplô majorem ea, quæ in præceptore residebat, hoc enim erat difficile, [Spiritus duplex Eliæ.] habere enim parem illi gratiam, satis erat difficultatis, cùm nemo parem ab ipso Moyse habuit, multò magis duplicem. Videtur

autem hanc duplicē impetrâſſe, non unum enim ſed duos mortuos excitavit Eliſeus, non triennii cum dimidio, ſed ſeptennii famem peccatorum vindicem induxit in terris, aliáque ſimiliter. B. Petrus Damianus Serm. 2. de nativ. S. Joan. Bapt. *In Eliſeo fuit duplex Eliæ ſpiritus, non meritorum cumulo, ſed exhibitione miraculorum, quia 24. miracula fecit, cùm Elias fecerit 12. duntaxat.* 4. *Reg. 2. v. 11. Cùmque peregerent* (Elias & Eliſeus) *& incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diviſerunt utrúmque, & aſcendit Elias per turbinem in Cœlum.* P. Salian. nubes videlicet rutilans in quandam ſoliditatem condenſata, & quaſi metheorum quoddam in ſpeciem currûs, & equorum igneorum efformata, ſuper terram decurrere videbatur verſus utrumque prophetam, & inter utrumque pertranſiens alterum ab altero ſeparavit, & raptus eſt Elias ab angelo in currum igneum, ubi conſedit, ſtatímque conſurgens ventus vehemens, equos paulatim ac currum ex terra extulit, donec ab oculis ſpectantis & inclamantis Eliſei ſubduceretur. Proſecutus abeuntem valedicentis Eliſei clamor, ac proteſtantis ſe abeuntem Eliam videre, ideóque voti compotem fieri, oportere: Reſpiciens triumphalem Eliæ currum D. Ambroſ. Serm. 2. de Eliſ. *Quadriga ignea impoſitus quaſi in quodam triumpho victor aſcendit? Victor enim extiterat, non gentium barbararum, ſed ſæcularium voluptatum.* Ex hoc Eliæ raptu in cælum poëtas accepiſſe fabulas de Solis quadriga. Aſſerit D. Beda. S. Chryſoſt. Hom. 1. de Elia, ubi docet Eliam dici quaſi Ilion, id eſt, ſolem. Anagogicè raptus Eliæ fuit expreſſus typus aſcenſus Chriſti in cælum, ùt docet S. Bernard. Serm. 3. & 6. de Aſcen. S. Gregor. Hom. 29. in Evang. An ſit Elias in ſtatu merendi, nec ne, problema eſt. Affirmat Abulenſ. q. 24. Viegas &c. Negant P. Fran. Suarez. Thom. 2. in par. 3. diſp. 5. P. Pererius. Vaſquez &c. Rationem dat P. Cornel. à Lap. quòd raptus ejus reputetur quaſi mors, in qua ceſſat omne meritum. Et quia ipſe alioqui augendo ſua merita per tot annorum millia omnes Sanctos gratiâ & gloriâ ſuperaret, exceptâ Beatiſſimâ. Similiter de Enocho diſcurrendum. Tropologicè reſpiciens Eliam S. Ambroſ. lib. de Iſaac c. 8. *Currus eſt anima Sancta, auriga & agitator eſt Chriſtus, equi ſunt 4. prudentia, temperantia, fortitudo, juſtitia.*

Elias curru igneo vehitur 4. Reg. 2.

S. Greg. Magn. l. 2. in Ezech. hom. 21. *Quid eſt, quòd Elias currus Iſrael, & auriga dicitur* (v. 12.) *niſi, quia auriga agitat, currus portat? Doctor ergo, qui mores popu-*

li,

li, & per patientiam ſuſtinet, & Sacri eloquii verbis docet, & currus dicitur & auriga. Quàm talem currum diſſolutæ rotæ non decent, quæ illi & his, quos ſuſtentat, ſolent eſſe exitio. Lyranus in comment. moral. ad 1. Reg. 9. *Currus, qui ducitur hic, ponitur primò, & auriga, qui ducit, ſecundò, ad oſtendendum, quòd ille benè ducit regendo, qui primò fuit ductilis in obediendo.* Raptus eſt Elias menſe Julio, ac die ejus vigeſimâ: illa enim die conſignatur raptus ejus in Martyrologio. Habuit annos ante raptum ad minimum 46. De illo P. Buſſieres: Prodigiorum patrator Inſignis, Moyſi ſuppar vel æmulus, niſi quòd ad pœnam alter, alter ad veniam Deo uſi ſunt.

Obedientia regimen bonum præcedit.

99\. Regreſſus Eliſeus cum pallio ad commiſſam ſibi familiam, cum pallio inquam, quod currum aſcendenti Eliæ Divinâ providentiâ ceciderat, ut hoc ſigno Diſcipulis Eliæ innoteſceret, Eliſæum ſicut in pallio, ità in officio ſucceſſiſſe. Dignus erat tantô magiſtrô Elia diſcipulus Eliſeus, qui ſub 6. regibus Juda prophetavit per annos 66 (P. Cornel. à Lap. hìc) mortuúſque eſt annô ætatis 106. S. Epiphanius in vita Eliſei ait: eo die, quo natus eſt Eliſeus, vitulum aureum à Jeroboam conflatum vocem edidiſſe tam ſonoram, ut audiretur Jeroſolymîs, qua ſignificabatur, illo die natum eſſe infantem, qui vitulos aureos, cæteráque idola everteret.

Eliſeus dignus Eliâ magiſtro diſcipulus.

Vitulus conflatus mugit.

Servavit magni muneris inſtar pallium Eliæ Eliſeus hoc, percuſſit primò aquas Jordanis, & non ſunt diviſæ, non tamen propter diffidentiam, ſed ut inſiſteret orationi, nam cùm inſtitit, ſecunda diviſione diviſit aquas. 4. Reg. 2. v. 14. *Stetit ſuper ripam Jordanis, & palliō Eliæ, quod ceciderat ei, percuſſit aquas, & non ſunt diviſæ, & dixit: ubi eſt Deus Eliæ etiam nunc? percuſſitque aquas, & diviſæ ſunt huc atque illuc.*

4. Reg. 2. v. 14.

Revertentem Eliſeum diſcipuli, qui ex editiore aliquo locô propè Jericho miraculum aſpexerunt (in Jerichunte enim manebant etiam prophetæ, neque enim Joſue maledixerat ei, qui habitaret, ſed illi, qui ædificaret Jericho) venerúntque in occurſum ejus, & adoraverunt eum. Dúmque triduo, Jerichunte conſolaretur ſuos Eliſeus, aquam noxiam, quæ ibi erat in aliquo fonte, ſanavit in perpetuum, injecto fonti Sale, ſimúlque ſterilitatem terræ, propinquitate noxii fontis vitiatæ ſanavit. Aſcendit verò Eliſeus ex Jerichunte in oppidum Bethel v. 23. *Cúmque aſcenderet per viam, pueri parvi egreſſi ſunt de civitate, & illudebant ei dicentes: Aſcende, cal-*

Eliſeum irridentes inſolentéſque pueri a burſis lacerantur 4. Reg. 2.

ve,

ve, ascende calve. Qui cùm respexisset; vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis 42. pueros. Maledixit eis, id est (P. Salian) invocato Dei nomine pueris à Deo punitionem expetiit, neque abfuit ab hac petitione divina inspiratio, quoniam Deus contemptum sui, in propheta suo, volebat ulcisci, ostenditque, quantùm illi displiceat contemptus suorum, qui in puerulis, magìs levitate, quàm malitiâ peccantibus illum sic puniit.

Parentes indulgentes liberio puniti.

Parentes hic quoque in morte filiorum deliquisse & habuisse suam pœnam notat P. Cornel. Nam ut ait S. Augustin. Serm. 204. de temp. item parentibus instigantibus fecisse pueri contumeliosi credendi sunt, neque enim illi clamarent, si parentibus displiceret. Et S. Just. c. 80. *Deus puerorum clade parentes flagellavit, & simul posteros monuit, ut in vero dei cultu, modestiâ, & probitate filios suos educent, ne similiter castigentur.* Undè S. Gregor. l. 4. Dialog. c. 18. narrat, parvulum quemdam blasphemare solitum à Dœmonibus è sinu Patris abreptum *Quatenùs reatum suum, inquit, pater ejus agnosceret, qui parvuli filii animam negligens, non parvulum peccatorem gehennæ ignibus nutrivisset.*

Joram Rex Israelis Idololatra licèt melior tamen fuit suîs parentibûs, quare in societatem belli allexit Josaphatum, qui tamen non priùs contraxit cum illo dictam societatem, quam ille idolum Baal ad instantiam Josaphati evertit. Accessit Josaphati ratio, cùm tulit Joramo suppetias contra Moabitarum regem, qui Joramo rebellârat, ut in officio contineret suum regem Idumæum, qui illi, & regno Judæ parebat.

Cùm ergo per septem dies itum esset per desertum, sitis exercitum afflixit, unde Joramus impiè & stolidè contra Deum conqueritur; nam huic necessitati prudenter ab ipso Joramo provisum oportuit. Josaphat verò cùm censeret consulendum Dominum, & rescivisset adesse Eliseum, cum duobus regibus scilicet Joramo, & rege Idumæo, eundem convenit, qui objurgavit Joramum, & contemptum repulit, in gratiam tamen Josaphati optimi regis jussit psaltem ad se adduci, qui aliquid ad Dei laudem ex Psalmis Davidis caneret; cúmque ille caneret, spiritu prophetico inflatus Eliseus, jussit in arido torrente fieri fossas plurimas: ergo manè facto, hora matutini sacrificii aquæ ad exercitum defluunt, & fossæ præparatæ illîs replentur, præsentique hominum & jumentorum

Eliseum tres reges adeunt 4. Reg. 3. ut sitim exercitus restinguat.

rum necessitati fit satìs. Moabitæ quoque bellum parabant; & ecce v. 22. *Orto jam sole ex adverso aquarum viderunt Moabitæ contra aquas rubras, quasi sanguinem.* P. Cornel. à Lap. hìc: ex reflexione radiorum solis, qui ob vapores nocturnos, per quos transparebant, rubri videbantur, sicut iidem rubri videntur, dum transeunt per vitrum rubrum. Porrò hac aquarum rubedine Moabitæ decepti, putarunt enim illas sanguine hostium inter se dimicantium rubricari, quare ad hostes confestim nullo ordine tanquàm ad certam prædam, non ad pugnam concurrerunt, sed ab Hebræis ipsi cœsi. Ità incauti Moabitæ, sensu oculorum delusi, dum hostium cœdem intendunt, propriam invenêre perniciem. Sanguineam cladem in rubris ad speciem aquis quasi in speculo experti. Vastata deinde à victore exercitu Moabitarum regio, urbs ipsa, in qua rex Moabitarum degebat, obsidione cincta. Rex, cùm frustra defensionem tentâsset, ad desperationem adactus. v. 27. *Arripiénsque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum: & facta est indignatio magna in Israel, statímque recesserunt ab eo, & reversi sunt in terram suam* (P. Salian) fecit id dictus rex, sive ad extorquendum auxilium à Diis suis, quibus talia sacrificia grata erant, sive ad impetrandam ab Israelitis commiserationem, propterea non in seorsivo fano, sed in publico muro, illum immolavit, atque incendit. Nec frustra, commiseratione enim tacti obsidionem solverunt. Id perpendens Theodoret: *Hæc dum conspexisset multitudo hostium, miserata est casum illum, & solvit obsidionem.*

Rex Moabitarum primogenitum filium sacrificat. 4. Reg. 3.

100. *Ann. Mund. 3140.* Accidit illud insigne miraculum, quo Eliseus obærratæ viduæ necessitati prospiciens jussit eam plurima vasa corrogare à vicinis, in eáque infundere oleum ex lecyto suo jugiter manante. v. 3. *Vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vasa vacua, non pauca, & ingredere, & claude ostium tuum, cùm intrinsecùs fueris tu, & filii tui, & mitte inde in omnia vasa hæc, & cùm plena fuerint, tolles.* Impletîs vasis dixit deinde propheta v. 7. *Vade, inquit, vende oleum, & redde creditoribus, tu autem, & filii tui vivite de reliquo.* Mysticè perpendens S. Augustinus id, quòd jusserit propheta claudere ostium, ait Serm. 206. de temp. *significatur, ut unusquisque eleemosynam clausô ostiô faciat, id est, pro solo Dei amore, non ut videatur ab hominibus, sed ut apud Deum invenire gratiam mereatur; qui enim pro laude humana Eleemosynam facit, apertô*

Eliseus oleum multiplicat 4. Reg. 4.

Eleemosyna in abscondito.

Charitas erogando non minuitur, imò debitum exsolvit.

ostiô facit, quia apertum omnibus patet. Tropologicè idem S. Augustin. per oleum accipit charitatem : *Considerate fratres Charissimi, quamdiu vidua illa oleum in vasculo proprio habuit, nec sibi sufficiebat, nec debitum reddere poterat. Verum est charissimi, qui se solum diligit, nec sibi sufficit, nec peccatorum suorum debitum solvit - - - - - & verè fratres, talis est natura sancti amoris, & veræ Charitatis, ut erogando crescat, & quantùm in aliis plus expenditur, tantùm in se abundantiùs cumuletur.*

Eliseus hospitatur in Suna. 4. Reg. 4.

Cùm autem Eliseus per Sunam de more transiret, insignis quædam mulier tam probitate quàm opibûs viro suo persuasit, ut cœnaculum sua suppellectili instructum exstrueret, quo virum Dei illàc sæpiùs transeuntem de Carmelo in Jericho, hospitio exciperet. Huic mulieri propheta Eliseus prolem masculam, cujus jam spem non habebat, promisit. Unde illa

Virum Dei mendacium dedecet.

4. Reg. 4. 16. *Noli quæso Domine mi, vir Dei noli mentiri ancillæ tuæ.* P. Salian: putabat enim non propheticè, sed jocô hoc dicere. P. Cornel. à Lap. *mentiri* non formaliter, sciebat enim, Eliseum virum sanctum nolle eam fallere, & contra mentem loqui, ut falsò ei promitteret filium, sed materialiter, quod est, utinam verus, non falsus re ipsa accidat sermo tuus, utinam sermo tuus non sit tantùm apprecatio benevola, sed efficax prophetia.

Josaphat hostes, non tam armîs, quàm oratione & jejuniô superat. 2. Parlip. 20.

Ann. Mund. 3143. Grande in Josaphatum suscitatum bellum 2. Paral. 20. 1. *Congregati sunt filii Moab & filii Ammon, & cum eis de Ammonitis* (P. Cornel. à Lap. hìc. host est, de Idumæis, hi enim, ne viderentur contra Judæos fratres suos pugnare, vocabant se Ammonitas) *ad Josaphat, ut pugnarent contra eum. v. 3. Josaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium universo Juda. v. 13. Omnis verò Juda stabat coram Domino cum parvulis & uxoribus, & liberis suis.* Ad hunc versum advertit P. Cornel. à Lap. Ecce hic patet antiquitas Litaniarum, sive orationis publicæ, & communis, qua in publica calamitate, publicè omnes, cujúsque Sexûs & ætatis conveniunt, ut unanimi voce Dei opem implorent, Deóque quasi vim faciant. *Hæc enim vis grata est Deo*, ait Tertullianus in Apoc. Idem fecêre Ninivitæ Jonæ 3. 5. & Machabæi 2. Mach. 3. v. 18. &c. Idem fecit S. Gregorius in peste, quæ romam & Italiam populabatur, indixit enim publicas omnium ordinum Litanias, easque in varias classes distribuit, ac omnibus Dei opem inclamantibus Deus pestem stitit, ut habet ejus vita.

Oratio publica ac communis, seu Litaniæ quàm proficua.

Con-

Consolatus est aliquis ex Levitis Josaphatum victoriam promittens, quare progressus obviam hosti Josaphat in fronte exercitus constituit Cantores, qui. v. 21. *Voce consona dicerent: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Cúmque cœpissent has laudes canere, cœpit Dominus pugnare cum eis. Nam v. 22. *Vertit Dominus insidias eorum in semetipsos - - - & percussi sunt. Namque filii Ammon & Moab consurrexerunt adversùm habitatores montis Seir, ut interficerent & delerent eos: cúmque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi mutuis concidêre vulneribus.* Quare ex colle aliquo, re cognita venerunt Judæi, ad detrahenda spolia, cæterámque prædam v. 25. *& arripuerunt ita, ut omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre præ prædæ magnitudine.*

2. Paralip. 20. v. 21.

Præda ex hoste specialis.

101.

Eliseus suscitat filium Sunamitis 4. Reg. 4.

Cúmque tertium annum ageret filius Sanamitis, ad Patrem, qui cum messoribus erat, delatus, radióque solis ferventis tactus, ac in sinum matris relatus, obiit. Hæc mortuo filio, in lecto Elisei in domo sua collocatô, ipsa ad Eliseum in Carmelum ivit, dixítque Eliseo 4. Reg. 4. v. 28. *Nunquid petivi filium à Domino meo, nunquid non dixi tibi, ne illudas me*, q. d. satiùs fuit non genuisse filiolum, quàm illum tam brevi tempore amisisse. Misertus afflictæ matris propheta celeriter famulum suũ Giezi abire cum baculo suo, & imponere super corpus mortui, abiit ille, posuit baculũ super mortuum, illum tamen non resuscitavit. v. 31. *Non surrexit puer*, cur? Rabbi Salomon apud Lyranum: *Hoc*, inquit, *fuit propter demeritum Giezi, qui non servavit præceptum Elisei, sed occurrentibus sibi hominibus jactanter dicebat: se missum ad suscitandum mortuum.* Præviderat hoc Eliseus, dixerátque v. 29. *si tibi occurrerit homo, non salutes eum, & si salutaverit te quispiam, non respondeas illi.* Nam ut rectè Theodoretus l. 17. *Sciebat, inquit, eum esse honoris cupidum, & causam dicturum, inanem autem gloriam fore impedimento, ne faciat miraculum.*

Jactantia gloriæ inanis, impedit Dei gratiam.

Postquàm verò propheta ipse cum matre pueri venit, institit precibus, incubuit super puerum, corporis sui calore emortuum corpus calefecit. v. 34. *Posuitque os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus, & incurvavit se super eum, & calefacta est caro pueri etc. Posuit* oculos super oculos, manus super manus P. Salianus, puta successivè, & alternatim, aliàs membra viri membris pueri non congruissent, dum adhuc non resuscitaretur puer, iterùm oravit propheta, post secundam

ora-

orationem, & positionem super puerum. v. 35. *Et oscitavit puer septies, aperuitque oculos,* alii legunt, *singultavit*, alii *sternutavit.* Resuscitato puero gratias reddidit Deo, & eundem puerum matri Elisæus, reversúsque in Carmelum. Allegoricè S. Ambros. tom. 2. in cap. 4. Ecclæ: in Exhort. ad Cler. hæc de Christo, in cruce se nobis commensurante, calefaciente, & vivificante explicat. S. Bernard. Serm. 16. in Cant. *Oculis suis tetigit meos, interioris hominis frontem claris luminaribus ornans, fide & intellectu ori meo junxit suum, & mortuo signum pacis impressit: quoniam, cùm adhuc peccatores essemus, reconciliavit nos Deo, justitiæ mortuos. Os ori meo applicuit, iteratò inspirans in faciem meam spiraculum vitæ, sed sanctioris, quàm primo. Nam primo quidem in animam viventem creavit me, secundò in spiritum vivificantem reformavit me, manus suas meis superposuit, exemplum præbens bonorum operum, formam obedientiæ.* &c.

Correctio proximi charitati jungenda.

Symbolicè Petrus Damiani de contem. sæculi c. 28. *Is, quem terroris virga suscitare non poterat, per amoris spiritum ad vitam redit; dúmque se parvulo accomodavit, & composuit, facilè erexit, & suscitavit.* Rursùm Eliseus hìc Symbolum dedit Eucharistiæ, in qua Christus, ùt ait S. Cyrillus, totum se nobis commiscet, ac quasi oculos oculis, os ori, manus manibus, animam animæ nostræ applicat.

Symobum Christi in Eucharistia se nobis applicantis.

Annus Mundi. 3144. Primus septenii famis, quæ grassabatur solùm in decem tribubus Israelis, quô annô venit in Galgala Eliseus, ubi habitabat familia una discipulorum ejus, ibi, cùm fame premerentur, mandavit Eliseus uni discipulorum, ut herbas in agro colligeret, jam enim hortenses defecerant, ísque invenit quasi vitem silvestrem, & in ea cucurbitas agrestes, quas vocant colocynthidas, quas, cùm misisset in ollam, & post coctionem apposuisset sociis, tantam senserunt omnes gustando amaritudinem, ut clamarent 4. Reg. 4. v. 40. *Mors in olla vir Dei.* q. d. P. Cornel. à Lap. pulmentum hujus ollæ amarissimum est, & pessimum, ut videatur esse venenum mortiferum. Tunc Propheta, missâ in ollam farinulâ, summam amaritudinem ingenti miraculô absterserit, vix enim magna farinæ vis paululùm colocynthidis, quæ ob amaritudinem vocatur fel terræ, ut ait Vallesius, emendare potuisset. P. Cornel. Mors est in olla deliciarum mundi, quæ gulam & venerem provocant, ideóque varios morbos ac mortem præ-

Mors in olla.

In deliciis mundi mors.

præsentem, & æternam accersunt.

Eliseus facit natare securim 4. Reg. 6.

Ann. Mund. 3145. Dum in præsentia Elisei quidam ejus discipulorum in sylva propè Jordanem arborem scinderet ad ædificium, accidit, ut securis de manubrio fugiens demergeretur, quam jacturam, cùm lamentaretur discipulus, quòd securim mutuò accepisset, nec haberet, unde domino faceret satìs, misericordiâ motus Eliseus, indicatô sibi locô, præscidit ipsemet lignum, aptavítque, ut esset manubrium, & proiecit in aquam. v. 9. *Natavítque ferrum, & ait: tolle, qui extendit manum, & tulit illud.* Ex quo geminum consecutum miraculum, alterum, quòd manubrium rectâ incidit in foramen ferri, eóque spontè se induit, alterum, quòd manubrium fecit natare ferrum. Potuit tamen res sine alio miraculo unius Angeli operâ perfici, ut vult Abulensis. Allegoricè S. Augustinus Serm. 210. de temp. per fluviū accipit fluentes voluptates & concupiscentias, ex quibus nos mersos liberat Eliseus, id est Christus. *Fluvius enim ille, ubi securis cecidit, significat præterfluentem, & fugitivam & in abyssum descendentem voluptatem, vel luxuriam hujus sæculi - - - - - & quia omnes peccatores transitoriis voluptatibus inhærentes fluere dicuntur, ideò securis illa in fluvio, & in limo jacebat oppressa - - - - veniens verò Eliseus misit lignum, & natavit ferrum. Quid est lignum mittere, & ferrum in medium producere, nisi patibulum crucis ascendere, & de profundo inferni humanum genus erigere.* Eodem anno contigit mors Josaphati, multis virtutibus celeberrimi.

Crux nos salvat.



 Caput

Caput decimum nonum.

Eliseus è Cælo habet suppetias, Syros cæcitate percutit. Prædicit solutionem obsidionis Samariæ. Damasci honorificè excipitur, Naamanum à lepra Sanat. Giezi Simoniacus punitus. Jehu in regem inunctus delet Achabi familiam.

102 ANn. *Mund.* 3146. Mortuo Josaphato filius ejus successit. 2. Paralip. 22. Surrexit ergo Joram super regnum patris sui, cúmque se confirmasset, occidit omnes fratres suos gladiô (sex scilicet) & quosdam de principibus Israel. Rex verò Syriæ certior factus, quòd Elisei operâ, consilia ejus secreta nota fuerint Joramo regi Israelis, præmissis exploratoribus, misit validam manum, qui Dothan civitatem, in qua erat Eliseus, cingerent, ac ad deditionem Prophetæ adigerent, quo spectaculo cùm famulus Elisei vehementer territus fuisset, & ad prophetam fugisset, dicens v. 15. *Heu, heu, heu domine mi, quid faciemus? At ille respondit*: v. 16. *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis* v. 17. *Cúmque orasset Eliseus, ait: Domine, aperi oculos hujus, ut videat, & aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisei.* P. Cornel. à Lap. hic: Angeli hos equos & currus, specie ignis ex aere & nubibus, ac radiis Solis apposite ad ignis colorem exhibendum per eas transparentibus efformârunt. Locum perpendens S. Ambrosius Serm. 1. de Eliseo: *Divinus timor terrorem à nobis expellit hostilem, arma autem hæc nostra sunt, quibus nos salvator instruxit: Oratio, misericordia, atque jejunium - - - mira res, plures de cœlo defensores meretur Sanctitas, quàm in terris oppugnatores adduxit iniquitas.* Et Serm. 2. de Elis. *Quid mirum, si is auxilia meretur è Cælo, cujus animus semper in Cœlo est, sicut ait Apostolus: nostra autem conversatio in cœlis est.* Percussi deinde ad orationem Elisei cæcitate Syri, v. 18. *Porrò Eliseus oravit Dominum, dicens: percute, obsecro, gentem hanc cæcitate, percussitque eos Dominus, ne viderent, juxta verbum Elisei* v. 19. *Dixit autem ad eos Eliseus: non est hæc via, neque ista est civitas, sequimini me, & ostendam vobis virum, quem quæritis: duxit ergò eos in Samariam*, v. 20. *Cúmque ingressi fuissent in Samariam, dixit Eliseus: Domine aperi oculos istorum, ut videant, & viderunt, se esse in medio Samariæ.* P. Salian: dum diceret Eliseus, *non est hæc via* &c. haud commisit mendacium (quidquid dicat Abulensis) sed ad mentem suam locutus est, non ipsorum, nimirùm eam civitatem non esse Samariam, nec eos illam hactenùs tenuisse viam, quæ ad illam duceret, in qua agnituri erant Eliseum. Sic in Samariam inducti Syri humaniter excepti à rege suasu Prophetæ, & convivio tractati. Hanc incruentam victoriam considerans S. Ambros. Serm. 1. de Eliseo ait: *Quæ caterva regum, quæ turba militum talem victoriam perpetrârunt, ut ità hostes prosternerentur, ut de illis nullus occumberet? hæc est vera hac incruenta victoria, ubi sic adversarius vincitur, ut de vincentibus nemo lædatur.*

Elisei è cælo suppetiæ

Eliseus Syros cœcitate percutit. 4. Reg. 6.

Clementia victrix.

Ann. Mund. 3147. Benadad Syriæ rex pro gratia bellum reddidit, collecto enim maximo exercitu, Samariam obsidione pressit, ac ad tantam adegit penuriam, ut caput asini 80. argenteis, id est, 110. Francis venderetur.

Fames in obsidione Samariæ quæ mirabiliter soluta.

Ann. Mund. 3148. Urgebatur obsidio Samariæ. Vendebatur v. 25. *Quarta pars cabi* (P. Cornel. à Lap. mensura victûs diurni continens 4. libras, & 5. uncias) *Stercoris columbini* 5. *argenteis.* Materna devoratio in filios desæviit. Inducit S. Augustin. Serm. 211. de temp. *Matrem famelicam alteram alloquentem: recipe, inquit, recipe miseranda mater in viscera filium nuper visceribus procreatum, esto tui nati sepulchrum, esto ejus corporis diversorium.*

In his Angustiis Rex Joram ad pœnitentiam conversus, ciliciô indutus, exarsit tamen iracundiâ in Prophetam, quòd civitatem, quam precibus liberare potuisset, ad tantam calamitatem devenire pateretur, ac immissô Sicariô conatus est interficere prophetam, sed re prævisâ & patefactâ à propheta, mutavit rex sententiam, conquestus tamen coram propheta, à quo audivit, fore in crastinum diem ingentem annonæ vilitatem. 4. Reg. 7. *Cras modius similæ uno statere erit, & duo modii hordei statere uno in porta Samariæ*, quòd, dùm non crederet Dux quidam, qui erat à rege tertius, audivit à propheta: v. 2. *Videbis oculis tuis, & inde non comedes.* Interea ingentem pavorem immisit in Syros Dominus, audiêre (P. Salianus,) aliquem sonitum, existi-

Samaria obsidione liberata. 4. Reg. 7.

Incredulitas punita.

exiſtimarúntque aliquem ingentem exercitum in ſe irruere, quare in fugam verſi, in caſtris magnam annonæ copiam, réſque varias reliquêre, ne frena quidem injicere equis præceps pavor permiſerat. Res in urbe patefacta à 4. leproſis, qui fame urgente præ certa morte, dubiam vitam elegerant, ac ad hoſtium caſtra aufugerant. Effuſa urbs in prædam ingentem, ille tam Dux incredulus ad portam à populo conculcatus, & obtritus. v. 17. *Porrò rex ducem illum, in cujus manu incubuerat, conſtituit ad portam, quem conculcavit turba in introitu portæ, & mortuus eſt.*

Litteræ à translato Elia ad Joramum. 2. Paral. 21.

Hoc annô allatæ ſunt Joramo regi Juda ab Elia propheta, cùm decimum jam annum ab hominibus abeſſet, litteræ, per Eliſeum redditæ, ſive tunc adhuc, dum viveret Elias, illi traditæ nunc reddendæ, ſive modo ſcriptæ, angelo revelante Eliæ, in quonam ſtatu res eſſent. In his: 1. illum arguit tanquàm impietatis regum Iſrael ſectatorem. 2. Accuſat eum cœdis fratrum. 3. Pœnam illi imminentem in hæc verba ſubjungit 2. Paral. 21. v. 14. *Ecce Dominus percutiet te plagâ magnâ cum populo tuo, & filiis & uxoribus tuis, universáque ſubſtantiâ tuâ v. 15. Tu autem ægrotabis peſſimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per ſingulos dies.* Nec tardavit pœna, hoc enim ipsô annô, grandi viſcerum dolore torqueri cœpit, totóque bienniô ad obitum cruciatus eſt.

Ann. Mund. 3149. Dum Joram 103.
Rex Juda lecto affixus jacet, Philiſthæi, & Arabes regnum ejus invadunt, deprædantur, uxores regis & filios abducunt, & occidunt; Quis non videat hoſce babaros, crudeli cœde filiorum regis, regiorum fratrum manibus parentâſſe.

Eliſeus Damaſci honorificè excipitur, regi mortem prædicit. 4. Reg. 8.

Rex verò Syriæ Benadad poſt ignominioſam ſolutionem obſidionis & fugam languebat mœrore, ut ait Joſephus. Interea venit Eliſeus Damaſcum, utique Dei monitu ad inungendum Hazaelem in regem Syriæ. Cùm Benadad Prophetæ audiviſſet adventum, miſit in occurſum viri Dei cum muneribus, ut ejus operâ Deum conſuleret de infirmitate ſua, quæ munera tanta fuêre, ut dicantur v. 9. *Onera 40. Camelorum*, repudiavit tamen tantas opes paupertatis amans propheta, ne ſuis eſſet offendiculo, aut vaticinium vendidiſſe videretur; ſtetit Hazael coram Propheta, & ait v. 9. *Filius tuus Benadad Rex Syriæ miſit me ad te dicens: ſi ſanari potero de infirmitate mea hac? dixítque ei Eliſeus: vade, dic ei: ſanaberis: porrò oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur.* Excuſatur hìc Propheta, quòd non juſſerit

rit mendacium, ſi exponantur hæc verba *vade, dic*: id, eſt vades & dices. Sic Dominus dixit ſpiritui malo coram Michæa: *Egredere, & fac ità*, hoc eſt, egredieris, & ità facies. Vel ſi dicatur *Sanaberis*, ſcilicet quantùm eſt ex parte morbi, q. d. morbus tuus non eſt lethalis, ex morbo hoc non morieris, quod erat verum; nam non morbus, ſed vis Hazaelis occidit, & ſuffocavit Benadad. Ità Cajetan. Serarius &c.

Hìc Propheta, cùm divinitùs in cognitionem veniſſet, quæ facturus Iſraelitis erat Hazael, flevit: v. 12. *Cui Hazael ait: Quare Dominus meus flet? At ille dixit: Quia ſcio, quæ facturus ſis filiis Iſrael mala.* Sub id tempus facta videtur (P. Salian.) Hazaelis in regem inunctio. Mox enim reverſus ad Dominum ſuum dixit ei: Prophetæ nomine, eum recepturum Sanitatem, poſtridiè autem pannum madefactum, ut ait Kimchi, regi porrexit, quo febrim æſtuantem refrigeraturus, re autem vera ſuffocare voluiſſe, itáque feciſſe, ut, qui jam jus haberet ad regnum, quòd homo crudelis crudeliter videtur auſpicatus fuiſſe. Alii malunt tam regis petentis, quàm Hazaelis porrigentis imprudentiâ mortem contigiſſe.

104. *Ann. Mund.* 3150. Cùm duobus annis ægrotaſſet Joram rex Juda, & ſic longa conſumptus tabe, ut egereret etiam viſcera ſua, nullum tamen ſignum pœnitentiæ ejus in tam longinquo morbo, quem nunc cum vita ſimul finivit, notatur. Vivente adhuc patre conſtitutus Rex Ochozias, Solium ejus non ſine motu poſſedit. In hunc annum hiſtoriam Naaman Sanati, P. Salian: & alii incidiſſe volunt, ſcilicet in ultimum Jorami, antequàm à Jehu occideretur. Nam, cùm Giezi c. 8. cum Joram Rege collocutus dicitur, eique miracula Eliſei narrâſſe, id videtur contigiſſe, antequàm percuſſus eſſet leprâ, aliàs in regis conſpectum leproſus non admitteretur. Si quis tamen ordinem S. Scripturæ retinere velit, dicat oportet, Giezi pœnitentiam egiſſe, ſicque Deum ac Eliſeum placâſſe, lepràmque à ſe, ſi non à poſteris omnibus, repuliſſe.

Naamanâ Lepra.

Naaman itáque Princeps militiæ regis Syriæ, leprâ infectus, ab Eliſeo ſanari cupiit, cujus miracula audiverat, útque id faciliùs obtineret, accepit à rege ſuo ad regem Iſraelis litteras commendatitias, ut curaret Sanari à lepra Naamanum, quæ litteræ, cùm fervorem ſpiritus regum Syriæ ſaperent, commotus ad iracundiam rex. Cùmque Eliſeus ægrum evocâſſet ad ſe, (quod non ambitionis ſpiritu fecit, ſed ut Sanitatis fu-

turæ magnitudinem augeret) nec adhibuisset curationis modum, quem ipse cupiebat, & contemptum se putaret, quod per nuncium secum ageret Eliseus, recedebat indignans, sed persuasus à suis, obtemperavit jussis prophetæ 4. Reg. 5. v. 14. *Descendit, & lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, & restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, & mundatus est.* Venit igitur ad Eliseum gratias agens, ac coram illo fidem veri Dei professus, offerebat munera prophetæ, quæ ille respuit, ne videretur gratiam Dei vendere. Ità perfecta sanctitas munera quælibet, & quantalibet respuit. Uti fecit Abraham Gen. 14. 22. de quo S. Ambros. l. 1. de Abrah. c. 3. Quantum est illud, quod de præda victoriæ nihil voluit contingere, nec oblatum sumere? minuit enim fructum triumphi mercedis susceptio, & beneficii arrodit gratiam. Plurimùm enim refert, utrùm pecuniæ an gloriæ dimicaveris. Hinc à Deo audire meruit Gen. 15. v. 1. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Ubi D. Ambros. *Quoniam sibi mercedem ab homine non quæsivit, à Deo accepit.* Petiit post hæc Naaman sibi dari de terra Israelitica, quantùm par burdorum, id est asinorum vel mulorum ferre posset, ut supra illam terram altari impositam sacrificaret vero Deo. Etsi ille ritibus Mosaicis non tenebatur, potuitque spirituali tantùm cultu fidei, spei, charitatis Deum colere, ut alii viri justi in lege naturæ. Addidit insuper petitionem Naaman 4. Reg. 5. v. 18. *Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quandò ingredietur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus Servo tuo pro hac re. Qui dixit ei: vade in pace.* Notat hìc P. Cornel. à Lap. adorationem hanc Naaman non fuisse propriè dictam, sic enim fuisset impia, & idololatrica, etsi interiùs fidem veram retineret, impiè enim Priscillianistæ, quos sequitur Machiavellus, dicebant, licitum esse simulare exteriùs hæresim, vel idololatriam, dummodò in animo veram fidem retineas, unde ajebant: *Jura, perjura, secretum prodere noli.*

Sancti munera respuunt.

Impropria itáque fuit hæc Naamani adoratio, scilicet incurvatio corporis, vel genu flexio obsequii causâ, ut scilicet regem ex officio sibi commisso fulciret, & sustentaret in templo, uti & alibi facere consueverat, quod facere non poterat, nisi rege genu flectente ipse quoque genu flecteret.

Erat ergo hæc ejus adoratio non religiosa sed politica, & civilis. Gen. 23. 7. Abraham adoravit filios Heth. Nec obest, quòd Naaman operabatur regi adoranti, cooperabatur enim regi ad actionem naturalem, scilicet ad inflexionem corporis, non autem ad moralem vel ad intentionem regis, quæ erat, curando se adorare Remmon idolum. Nullúmque dedit Naaman scandalum aulicis regis, tum quia sciebant Naaman ex officio teneri ad sustinendum regem in hac corporis inflexione, tum quia Naaman publicè abdicarat idola, & profitebatur cultum veri Dei Israelis. Porrò hac in re circumspectè agendum est, una enim circumstantia subinde speciem facti mutat, & quod erat licitum, facit illicitum, ut, si rex velit suos famulos cogere ad Idololatriam, ideóque illos compellat secum ire ad templum, ut secum idolum adorent, ut fecit Julianus Imperator Apostata.

Giezi Simoniacus leprâ punitus 4. Reg. 5.

Cùm verò reverteretur, perhumaniter à Propheta dimissus Naaman, gaudens in curru suo Giezi illum insecutus, callidè novam causam excogitavit, quæ ab ipsius Syri digressu contigisset, ut mutatio voluntatis prophetæ probabilis appareret. Nomine prophetæ petiit talentum argenti, oblata duo talenta, quasi coactus suscepit, quasi mandatum prophetæ de unico talento accipiendo præterire non auderet, ab offerente tandem libenter Syro acceptam pecuniam per duos famulos in domum suam deferri curavit, ne qua rumoris aura prophetæ aures afflaret. Sub vesperam venit ad prophetam, qui divinitùs de tota re edoctus dixit illi v. 27. *Lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo usque in sempiternum.* Et egressus est ab eo leprosus sicut nix. Multipliciter deliquit Giezi, etsi enim propriè non fuisset Simoniacus, quia miraculosam sanitatem Naamano non vendidit pretio, nec de eo cum illo pactus est, sed post gratis datam ab Eliseo sanitatem, munus aliquod ab eo expetiit, peccavit tamen mentali simonia (P. Cornel. à Lap.) animum enim habuit Simoniacum: petiit enim munera à Naaman intuitu sanitatis miraculosè illi ab Eliseo collatæ, quasi hæc merces & pretium pro sanitate Eliseo deberetur. Unde S. Ambros. l. de dignit. Sacerdot. c. 4. ait: Simoniacos esse Sectatores Giezi & Simonis magi.

Peccavit quoque Giezi, quòd Eliseo notam cupiditatis inusserit, quæ multùm ejus Sanctitati & honori derogabat. Nec à furto Giezi immunis fuit, quia Naaman munera hæc mittebat

tebat Eliseo, pro quo ea Giezi petebat: Videtur tamen, quòd Eliseus munera hæc sibi à Naaman per Giezi missa, ipsi Giezi concesserit, & dederit, ne ipse injustè ea possidens continuè peccaret, ac, ut deinceps factus ab hominum communitate extorris, cum filiis suis haberet, unde vitam tolerare posset. Duo talenta, quæ Giezi acceperat, faciunt 4000. francorum, quorum quisque continet 12. Julios, sive Regales.

105. *Ann. Mund. 3151.* Invisebat pro tunc Ochozias rex Juda Joramum Israelis regem, vulnera, quæ in bello Syriaco acceperat, curantem in Jezrahel; cùm mittitur ab Eliseo festinanter aliquis ex prophetis, qui Jehu in regem inungat. Venit in Ramoth Propheta, paulò ante à Ducibus Jorami occupatam, ingressúsque domum, ubi principes exercitus consederant, conjectis in Jehu oculis, eundem se vocavit in cubiculum, ibíque inunxit in regem, jussítque ex ore Domini, ut Achabi familiam deleret funditùs in pœnam impietatis ejus, nominatim sanguinis effusi innocenter à Jezabele, quam prædicit abjiciendam canibus insepultam. Hìs ità peractis redit ad suos Jehu, interrogatúsque, quid illi propheta renuntiâsset, respondet, regnum sibi delatum. Ad eam vocem omnes divinitùs excitati, regnum ei offerunt, & raptim excitant solium. 4. Reg. 9. v. 13. *Festinaverunt itáque, & unusquisque tollens pallium suum, posuerunt sub pedibus ejus, in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tubâ, atque dixerunt: regnavit Jehu.*

Jehu in regem inungitur. 4. Reg. 9.

Thronus è palliis.

Nec mora, festinavit Jehu ad Joramum, antequam res illi nota fieret, dúmque appropinquaret Jezraheli, vidit speculator globum, ad quem rex equitem cursorem expedivit, qui retentus dum non rediret, expeditus alius exploratum, similitérque retentus. Cognitus tamen à longè Jehu, regíque, quis esset, significatum. v. 21. *Et ait Joram: junge currum, junxerúntque currum ejus, & egressus est Joram rex Israel, & Ochozias rex Juda, singuli in curribus suis, egressique sunt in occursum Jehu, & invenerunt eum in agro Naboth Jezrahelitæ,* ubi, cùm Jorami salutatio convitiô à Jehu exceptа sensit periculum, v. 23. *Et fugiens ait ad Ochoziam: Insidiæ Ochozia. Porrò Jehu tetendit arcum manu, & percussit Joram inter scapulas, & egressa est Sagitta per cor ejus, statímque corruit in curru suo.* Quem Jehu projici jussit in agrum Jezrahel, ut Prophetia Eliæ impleretur. Ochozias quoque rex Juda jussu Jehu occisus. Venit deinde Jehu in civitatem Jezrahel v. 30. *Porrò Jezabel introitu ejus audito de-*

Jehu regem Joram interficit, Ochoziam occidi jubet 4. Reg. 9.

depinxit oculos suos stibio, & ornavit caput suum, & respexit per fenestram. P. Cornel. à Lap. usa hoc ornatu ad ostendendam animositatem, quòd non timeret Jehu, unde eum increpuit, vocavítque Domini sui interfectorem, ut eum percelleret v. 32. *Levavitque Jehu faciem suam ad fenestram, & ait: Quæ est ista? & inclinaverunt se ad eum duo vel tres eunuchi* v. 33. *At ille dixit eis: Præcipitate eam deorsum: & præcipitaverunt eam, aspersúsque est sanguine paries, & equorum ungulæ conculcaverunt eam.* v. 35. *Cùmque issent, ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calvariam & pedes, & summas manus.* P. Salian: nimirùm, cùm conculcata est ungulis, canes certatim divino instinctu ex tota civitate congregati, membratim dilacerarunt corpus, omnibûs ad spectaculi magnitudinem admiratione defixis. Unde ea vox: v. 37. *Hæccine est illa Jezabel?* Impletáque prophetia Eliæ, quam advertit ipse Jehu v. 36. *In agro Jezrahel Comedent canes carnes Jezabel:* Notat S. Chrysost. Hom. 25. in Epist. ad Roman: *Jezabel majores pœnas dedit quàm Achab* (qui in bello sagittâ confixus decorè decubuit) *Vineæ raptor, ipsa enim universum istud negotium texuerat, regique lapsûs occasionem dederat.* Dederat lapsûs occasionem, ipsa quoque gravissimo lapsu in ultimam præcipitata ruinam, utpotè præcipitis ingenii & industriæ ad rapienda aliena Harpia.

Incentrix malorum Jezabel graviùs punitur præ Achabo à canibus devorata.

Jezabelis mortem secuta 70. filiorum, tam Achabi quàm Jorami cœdes in Samaria, misit enim ad optimates Samariæ Jehu litteras, ut eligerent aliquem de Achabi familia in regem, intellexêre illi Ironiam, metúque compulsi obsequium Jehu universè polliciti sunt, eúmque in regem susceperé, re cognita ille jubet ad se deferri postridiè capita 70. filiorum Achabi ac Joram. 4. Reg. 10. v. 7. *Cúmque venissent litteræ ad eos, tulerunt filios regis & occiderunt 70. viros, & posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum in Jezrahel.* (P. Salian.) Etsi autem multorum innocentum cædes hìc contigit, non fuit peccatum, si Jehu propositum habuit unius Dei voluntati obtemperare, & illi optimates crediderunt, id facinus divinô decretô imperatum. Eadem nocte delata capita in Jezrahel, quòd, cùm audisset Jehu, dixit. v. 8. *Ponite ea ad duos acervos juxta introitum portæ usque manè.* (P. Cornel. à Lap.) ut totus populus ingrediens & exiens per portam videat hoc justum Dei judicium contra domum Achab. Et sic ab ejus Idololatria ac cultu Baal recedat. Cœdes quoque Achabita-

Jehu familiam Achabi delet 70. viros. 4. Reg. 10.

Minima quæque parvitate sua tuta sunt.

bitarum facta in Jezrahele, scilicet in consanguineis Achabi. v. 11. *Percussit igitur Jehu omnes, qui reliqui erant de domo Achab in Jezrabel* (P. Cornel. à Lap.) *omnes*, id est, ferè omnes, quia pauci illique ferè pauperes abjecti & imbelles fuère relicti. Remansère quoque fratres Ochoziæ regis Juda prognati ex Athalia filia Achab, quos paulò post occidit v. 14. Remansit quoque Joas, qui Patri Ochoziæ in regno Judæ successit. Simili modò dixit scriptura nullum relinquendum ex domo Jeroboam, Baasa, & Ela &c. quia digniores omnes sublati, & pauci, vilésque relicti fuère. Tandem Sacrificuli Baalis in templum Baalis convocati. v. 21. *Et ingressi sunt templum Baal: & repleta est domus Baal, à summo usque ad summum.* (Videtur significare sursum, deorsum in superioribus & inferioribus ambulacris plena omnia sacrificulis.) Interfecti omnes jussu Jehu. Idola deinde Baalis dispersit, & fana, sed mirum est, quòd ipse Jehu idola non deseruit, vitulorum aureorum cultor, avitam illorum superstitionem non sustulit, superstitione cum veri Dei cultu copulata, ex injusto utique atque inconsulto metu. Propter hæc, quæ intuitu Domini fecerat, accepit mercedem, ut ejus posteri, ad quartam generationem in throno Israelis sederent.



Ca-

Caput Vigesimum.

Joas puer à cæde servatus, septennis rex constituitur. Eliseus sagittis designat victoriam. Ejus mortui ossa suscitant mortuum. Rex Juda à Rege Israelis captus. Jonæ historia, & Ninivitarum pœnitentia.

106. Athalia in suos crudelis. 4 Reg. 11.

IN regno Juda impia Athalia videns mortuum filium suum Ochoziam, carnificinam in regiam sobolem exercuit 4. Reg. 11. v. 1. *Interfecit omne semen regium*, an ambitiosa mulier, non nepotum, sed suo nomine regnare voluerit, an metuerit sibi, cùm sciret, se esse Achabi filiam, hácque crudeli pôtestate totum Judæ regnum in officio continere sibi sperabat. Voluit tamen Dominus ad conservandam familiam Davidis, filium Ochoziæ Joam conservare, iste enim Joas parvulus, cum nutrice Josabethæ Sororis Ochoziæ, in triclinio, sive cubiculo lectulorum absconditus.

Joas puer à cæde servatus. 4. Reg. 11.

Athalia Idololatriam promovet. 4 Reg. 11.

Ann. Mund. 3152. 2. Paral. 24. 7. *Athalia enim impiissima & filii ejus destruxerunt Domum Dei. Filii* id est, Sacerdotes Idolorum interprete Hieronymo cultum Baalis, qui in regno Israelis erat collapsus, in regno Judæ promovebant, Jehu autem persistebat in cultu vitulorum, invaluerat enim inter hos Principes diabolica hæc opinio: regnum Israelis, sublatis vitulis aureis, cum quibus fuerat à principio constitutum, stare non posse. Sed in pœnam scelestæ idololatriæ Jehu perdidit non solùm Rhamoth, quod olim receperat, sed etiam magnam partem regni Israelis in annos circiter 60. multáque damna intulit Hazael regno Israelis, quæ olim prævidens Eliseus Propheta flevit, causámque interrogatus Hazael respondit 4. Reg. 8. v. 12. *Quia scio, quæ facturus es filiis Israel mala, civitates illorum igne munitas succendes, & Juvenes eorum interficies gladiô, & parvulos eorum elides, & prægnantes divides.*

Idololatriæ Jehu pœna.

Ann.

Ann. Mund. 3157. Joas: 2. Paral. 22. v. 12. *Fuit ergo cum eis in Domo dei abſconditus ſex annis, quibus regnavit Athalia, ſuper terram*, induſtria Jojadæ Pontificis, pertœſi impietatis Athaliæ, & Zelô pro Domo Dei ducti, rex conſtituitur in atrio Levitarum, excitatus ſuggeſtus, qui columnîs nitebatur; & ad quem gradibûs aſcendebatur, ut puerulus undique totis atriîs conſpicuus fieret. 2. Para. 23. v. 11. *Et eduxerunt filium regis, & impoſuerunt ei diadema, & teſtimonium, dederúntque in manu ejus tenendam legem, & conſtituerunt eum regem: unxit quoque illum Joiada Pontifex, & filii ejus: imprecatique ſunt ei, atque dixerunt: Vivat Rex. v. 12. Quod cùm audiſſet Athalia, vocem ſcilicet currentium atque laudantium regem, ingreſſa eſt ad populum in templum Domini.* Divinâ providentiâ illam Ducente ad victimam, putabat enim ſuâ præſentiâ & authoritate ſedatura tumultum; itaque impatiens mulier 4. Reg. 11. v. 14. *Scidit veſtimenta ſua, clamavitque: Conjuratio, conjuratio.* Sed fruſtra vociferante muliere exiit Joiada Pontifex ex atrio Levitarum, adiit centuriones, cum quibus jam conſilium inierat, ut diſpoſiti eſſent benè armati & dixit eis 4. Reg. 11. v. 15. *Educite eam extra ſepta templi, & quicumque eam ſecutus fuerit, feriatur gladiô. Dixerat enim ſacerdos: Non occidatur in templo Domini. Impoſuerúntque ei manus, & impegerunt eam per viam introitus equorum juxta palatium, & interfecta eſt ibi.* Joiada verò pepigit fœdus inter Dominum & regem cum populo ſuo. Poſthac Baalis fanum cum aris ſuis deſtructum, & Mathan Sacerdos Baalis coram altari interfectus. Ivit ergo ſolemniter rex in palatium, Pontifex regreſſus in templum conſtituit præpoſitos in Domo Domini, aliáſque res templi ordinavit.

Joas puerulus ſeptennis rex Judæ conſtituitur. 2. Par. 23.

Athalia impia occiditur. 4. Reg. 11.

Pyramides

Circa hæc tempora reges Ægypti Pyramides prodigioſa vanitatis humanæ monumenta certatim erigebant; immensîs populorum ſumptibûs & ærumnîs; in quibus illa celeberrima, quæ quinque ſtadia longa pro miraculo mundi habita eſt. Sed regum ſuperbiæ Deus illuſit, qui disjectîs molibûs & nomina perdidit conditorum: una tamen perſtat; an ad minus ludubrium. Nam auctor neſcitur, & tropheum regium veſpertilionum aſylum eſt. Ite mortales, & immortalitatem à ſaxis quærite. P. Buſſieres in Floſcul. Porrò Pyramis definitur à P. Galtruchio in math. eſt figura ſolida, quæ ſub aliquibus planis, ab unoquoque plano ad unum punctum, ſeu apicem concurrentibus Beyerlink liter. P. 868. ait: Pyramides

des ſunt moles maximæ quadratam formam referentes, & in modum flammæ acuminatum faſtigium prætendentes. Excogitatæ à regibus Ægypti, ne plebs eſſet otioſa, & ut ſui memoriam poſteris magnitudine operis relinquerent.

Jehu ob Idololatriam inglorius moritur. 4. Reg. 10.

Ann. Mund. 3158. Inſtituebat Joiada Pontifex regem, uti affinitate conjunctiſſimum, ſiquidem Joſabeth amita regis, quæ primo vitam illius infantis conſervârat, uxor erat Joiadæ. Hoc ipſo tempore Jehu inglorius regnabat in Samaria, DEus enim, quem ſimul cum Idolis colebat, non deſtitit eum Syrorum flagellis graviter cædere, ut ad mentis ſanitatem revocaretur.

Ann. Mund. 3178. Jehu mortuus, de quo 4. Reg. 10. v. 34. *Reliqua autem verborum Jehu, & univerſa, quæ fecit, & fortitudo ejus, nonne hæc ſcripta ſunt in libro verborum dierum regum Iſrael: Qui tiver interiit.*

Permiſſio mali graviter punita.

Ann. Mund. 3185. Poſtquam obiit præteritô annô Joiada Pontifex 2. Paral. 24. v. 17. *Ingreſſi ſunt Principes Juda, & adoraverunt regem, qui delinitus obſequiis eorum acquievit eis. Et dereliquerunt templum Domini DEi Patrum ſuorum, ſervieruntque lucis & ſculptilibus, & facta eſt ira contra Judam & Jeruſalem propter hoc pecc. tum*(P. Salian.) non tamen ipſe rex accuſatur Idololatriæ à ſcriptura, hac tamen permiſſione graviſſimè deliquit. Punitúſque ſequenti anno invaſione Syrorum, apud quos pacem etiam theſauris templi Domini emere coactus eſt.

Ann. Mund. 3192. Zachariæ 107.
filii Joiadæ fatalis fuit; namque juxta regis imperium, de quo Script. 2. Paral. 24. v. 22. *Et non eſt recordatus Joas rex miſericordiæ, quam fecerat Joiada pater illius ſecum, ſed interfecit filium ejus. Qui cùm moreretur, ait: videat Dominus & requirat* (quæ dixit juſtitiæ deſideriô, non livore vindictæ) in atrio Levitarum, in cujus medio erat altare holocauſtorum, inter idem altare, & templum lapidibus obrutus. Moverat is impiorum bilem, dum animoſè diceret: v. 20. *Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquiſtis Dominum, ut derelinqueret vos?*

Innocentis ſanguinis effuſio, effuſione ſanguinis punita. 2. Paral. 24.

Ann. Mund. 3193. Innocentis Zachariæ ſanguis juſtam evocavit vindictam DEi. 2. Paral. 24. 23. *Cúmque evolutus eſſet annus, aſcendit contra eum exercitus Syriæ: venitque in Judam & Jeruſalem, & interfecit cunctos principes populi.* Senſit hanc cladem etiam ipſe rex Joas, nam, etſi magna cum multitudine ſuorum, victus, captus, multîs vulneribus affectus, magna tamen DEi gratia & providentiâ in Syriam non abductus, neque occiſus, ſed dimiſſus, qui poſt aliquot annos ſervorum ſuorum manus non

evasit ab iisdem in lectulo suo occisus. 11. Sicarii fuere ex Ammonitide & Moabitide, quorum genus scriptura memorat, significans ad infamiam pertinere provinciarum, quæ talia monstra pepererunt.

Sagittis designatur victoria Judæorum de Syris. 4. Reg. 13.

Ann. Mund. 3204. 4. Reg. 13. v. 14. *Eliseus autem ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est: descenditque ad eum Joas rex Israel, & flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, Pater mi currus Israel, & auriga ejus v. 15. Et ait ei Eliseus: affer arcum & sagittas. Cumque attulisset ad eum arcum & sagittas v. 16. Dixit ad regem Israel: pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit Eliseus manus suas manibus regis, v. 17. Et ait: Aperi fenestram orientalem, cumque aperuisset, dixit Eliseus: jace sagittam. Et jecit. Et ait Eliseus: sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam: percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam. Et ait: tolle sagittas v. 18. qui, cum tulisset, rursum dixit ei: percute jaculo terram. Et cùm percussisset tribûs vicibûs, & stetisset v. 19. iratus est vir DEi contra eum, & ait: si percussisses quinquies aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.* P. Salian. tribus vicibus percussit terram, tribus vicit. Dominus enim, qui immerentibus hasce victorias gratis dabat, potuit eas ad quemlibet casum, circumstantiam, conditionem alligare. P. Cornel. à Lap. hìc: illa erat voluntas & decretum DEi, ut Joas (alius ab illo rege Juda) toties percuteret Syriam, quoties percussisset terram, quod decretum DEi sciebat Eliseus, sed jussu DEi noluit indicare regi Joas, ut illius permitteretur arbitrio toties percuttere, quoties vellet terram. Simili modo Josue contra Amalec DEus alligavit extensioni manuum, & orationi Moysis Exod. 17. 11. Et ejusdem Josue victoriam contra Chananæos alligavit elevationi clypei Josue 8. 18. Porrò quòd Joas ter tantum percusserit terram; ideóque ter tantùm Syros percusserit, ejus peccatis, & culturæ vitulorum attribuit Abulensis. Dum dicitur *percuties Syriam in Aphec*, quæ urbs erat in tribu Isachar hostium clade celebris, alluditur (P. Cornel. á Lap.) ad veterum ritum, qui bellum hostibus denuntiabant, & prælium inchoabant, jactâ in terram hostilem sagittâ vel telô, uti fecerunt Romani teste Sericio in illud Turni apud Virgil. 9. Æneid.

Lassitudo in bonis operibus noxia.

En ait, & jaculum intorquens emittit in auras,
Principium pugnæ &c.

Ad illud: *Superposuit Eliseus manus suas manibus Regis*, Tropologicè P. Cornel discant hìc Principes & cæteri hominum, quantum

Opera nostra operibus Sanctorum jungenda.

tum virorum sanctorum nobis prosit oratio & merita, & nisi ipsi manus suas manibus nostris & operibus apponant, frustra nos laborare. Doctor ori prædicationis admoveat manum operationis bonæ, ut, quod docet verbô, doceat priùs exemplo, sic efficax erit prædicatio. Ita Angel. & Eucher. (P. Salian.) imposuit manus super manus regis, ut is intelligeret DEum, cujus tunc vices gerebat Propheta, ejus libertatis effectorem fore. Ita videmus fortem esse manum creatam, cui DEus omnipotentem jungit dexteram, & efficacia hominum opera, quibus DEus manum imponit.

Exemplum Jungendum doctrinæ.

Libertatis DEus effector.

Circa hæc tempora floruit Amos Propheta Isaiæ parens, Amasiæ regis Juda frater. Prædictô annô sanctissimam vitam fine optimo clausit post prædictionem victoriarum Eliseus Propheta, qui sex regum tempore prophetavit.

Amos Propheta.

Elisæi mors.

Ann. Mund. 3205. Censetur
108. accidisse prodigium suscitati
mortui ad Sepulchrum Elisei. Dum enim quidam homines cadaver hominis ad sepulchrum deferrent, juxta sepulchrum Elisei, casu aliquo apertum, visa à longe militari turba cadaver illicò in apertum sepuchrum abjecerunt. 4. Reg. 13. v. 21. quòd cùm tetigisset ossa Elisei, revixit homo, & stetit super pedes suos. P. Salian. Hoc pactô & sanctitatem Prophetæ declaravit DEus, & docuit, Sanctorum lipsana, per quæ ille mirabilia patraret, ab hominibus esse veneranda.

Reliquiæ Sanctorum venerandæ.

Attactu ossium Elisei mortuus resurgit. 4. Reg. 13.

Concilium Nicenum secundum, quod celebratum fuit circa ann. Christi 787. Sanctorum lipsana vocat fontes salutares, per quos DEus rorem suæ gratiæ in mortales defluere facit. S. Greg. Nazianzenus insignis Theologus, qui circa ann. Christi 366. floruit, declamans contra Julianum apostatam vehementi oratione insecutus est impietatem, quòd Sanctorum reliquias inhonoraverit. S. Ambros. qui circa ann. Domini 380. vixit, de sancto Nazario & Celso: *Honoro, inquit, in carcere martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viventis memoriam perennitate virtutis, honoro per confessionem Domini sacratos cineres, honoro in cineribus semina æternitatis.* S. Hieronymus, qui obiit ad annum Christi 420. egregiè refundit Vigilantium, ait enim: *te offendit, quòd videas Sanctorum reliquias velis pretiosis involutas, tibi nimirum magis placeret, si sordidis involucris clauderentur, aut omnino in urbis communem cloacam projicerentur.* Videant Novatores doctæ sanctæque antiquitatis Ecclesiasticæ sensum de cultu Sanctorum, eorumque reliquiarum. P. Cornel. à Lap. hìc: Eliseus fuit hac in re ty-

typus Christi, cujus in cruce mortui gratiâ, & meritorum contactu omnes resurgemus: Ita Angelom. Eucher. &c.

Resurrectionis nostræ figura.

Ann. Mund. 3208. Æmula regis Israelis Joasi virtute, qui juxta prædictionem Prophetæ triplicem, eamque insignem de Syris reportavit victoriam, urbesque, quas Pater ejus amiserat, recepit, excitatus Amasias Rex Juda in Idumæos, qui ante 60. annos jugum excusserant Judæorum, arma movit. 2. Paral. 25. v. 5. *Et recensuit à 20. annis supra, invenitque trecenta millia juvenum, qui egrederentur ad pugnam, & tenerent hastam, & clypeum v. 6. Mercede quoque conduxit de Israel centum millia robustorum, centum talentis argenti.* Hos tamen conductos DEi jussu, internuntiô Propheta, dimisit, condonatô etiam stipendio. Hi in patriam rediêre irati, Idumæorum enim præda inhiabant, operamque suam pro inutili damnatam doluêre, ac mox occupato rege Juda, bello Idumæo, ex regno Judæ prædas egerunt, interfectîs tribûs millibûs hominum. Interea Amasias præclaram de Idumæis reportavit victoriam, Deósque illorum abduxit captivos, sed proh dolor! ipse mox illorum factus captivus, immani scelere. v. 14. *Amasias verò post cædem Idumæorum, & allatos deos filiorum Seir, statuit eos in deos sibi, & adorabat eos, & illis adolebat incensum.* P. Salian.

Amasias vincit Idumæos 2. Paral. 25.

Præda robusti inhiant.

Captans occasionem peccandi capitur pulchritudine.

apparet, hæc simulacra pretii & pulchritudinis causâ conservata, primo placuisse, postea dæmone per illa responsa dante, adorata.

Ann. Mund. 3209. Aliquot mensibus adorabat istos Deos Amasias, cùm misit Dominus ad eum Prophetam, qui dixit v. 15. *Cur adorasti Deos, qui non liberaverunt populum suum de manu tua? v. 16. cumque hæc ille loqueretur, respondit ei: num consiliarius regis es? quiesce, ne interficiam te.* His tamen imperteritus Propheta mortis metum illi intentavit. *Scio, inquit, quod cogitaverit DEus occidere te*, quod postea evenit. Neglecto monito Prophetæ Amasias bellum intentavit regi Israelis, à quo priùs apologô monitus de coercenda superbia, postea victus, exercitu suo, divinitus terrore percusô, & ne consertis quidem manibûs cum hoste, fugiente, captus magnâ cum ignominia, Jerosolymam ductus, coactus persuadere civibus, ut urbs in potestatem Joæ traderetur, factum, ingressus Jerusalem Joas ad 400. cubitos muros ejus destruxit, ut quasi triumphans, pro arbitrio ingrederetur & egrederetur; thesauros sacros prophanósque abstulit, tributum regi, ejusque subditis imposuit, victor reversus in patriam. Non tamen diu victoriæ gloriâ uti illi licuit, nam Samariam reversus, hôc ipso annô mortuus est

4. Reg. 14. 2. Paral. 25. Rex Juda à Rege Israelis victus, captus.

est. Fuit igitur Joas virga DEi ad cædendum primo regem Syriæ, postea regem Juda, quibus Dominus castigatis virgam suam in ignem. Ita in ordinem redactus Amasias, reliquâ vitâ inglorius, tributarius totis annis 15. quibus hosti suo Joas superstes fuit, nec hiscere ausus.

Ann. Mund. 3211. Successit Patri Joæ in regno Israelis Jeroboam filius, qui 11. annis adhuc cum patre tractabat regni negotia, ad hunc Jeroboamum misit Dominus Jonam Prophetam de quo 4. Reg. 14. v. 25. qui exhortaretur illum ad strenuè agendum bellum cum Syris. Hic Jonas non fuit filius Sareptanæ Viduæ, aliàs fuisset Tyrius, qui tamen hebræum se profitetur. Itaque benè animatus à Propheta Jeroboam Syris bellum intulit, eosque omnibus terris, quæ olim Israelitatum erant, spoliavit.

Jonas Propheta regem adhortatur.

Ann. Mund. 3216. Jeroboam
109. bellis atterere Syros non cessavit, adeò, ut etiam Damascum & Emath, regno Israelis acquisiverit, vel ut scriptura loquitur, *restituerit*, habita scilicèt ratione Davidis, qui Damascum, Syriamque totam pridem habuit vectigalem. Hoc annô celebris illa historia Jonæ ad Ninivem legatio accidisse censetur (P. Salian.) Hic à DEo non solum hebræorum, sed etiam gentium tanquam communi patre, curam habente expeditus, missionem subterfugit, de quo Jonæ 1. v. 3. *Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis à facie Domini* (P Salian.) veritus, ne DEus exoratus Ninivitarum precibus sententiam mutaret, & ille, qui imminentem ruinam prænuntiaret, mendax deprehensus, populi irrisionibus, fortè & verberibûs afficeretur. Posset ei illud Poetæ non incongruè aptari:

Jonæ historia.

Jonas fugit à facie Domini Jon. 1.

Quo fugis Encelade? quacunque accesseris oras,
Sub Jove semper eris &c.

Pulchrè S. Chrysost. (citatus à P. Cornel. à Lap.) Homilia de Jona docet, Jonam fugientem esse typum peccatorum, qui quasi ebrii non advertunt, quo eant ubi pedem figant, sed cupiditatem sequentes propria præcipitantur insania. Censet Nazian. in apolog. & S. Hieronym. causam fugæ Jonæ fuisse pietatem nimiam in gentem suam, ne ea periret, prophetico enim spiritu Jonam cognovisse, tunc Israelitas perituros, cùm gentes credidissent, *eò quòd pænitentia gentium ruina sit Judæorum* ait S. Hieronymus. Idcirco amator patriæ suæ, non tam saluti invidet suæ, quàm non vult perire populum suum. Sapienter monet S. Augustinus in Psal. 70. *qui fugere vult DEum iratum, fugiat ad placatum.* Ergo quocunque tulisset casus, è patria Jonas abiit, descendit in Joppen,

Peccatores non advertunt se in interitum ire.

Inordinatus patriæ amor nocivus.

portum mediterranei maris, & inventa navi, quæ cursum dirigebat in Tharsis pretiô vecturæ persolutô, vela fecit. Sed ecce ingens consurgit tempestas, Jonas descendit inferiora navis, ibique mœstus somnô opprimitur. v. 5. *& dormiebat sopore gravi.* Tropologicè S. Hieronym. *Sopor Jonæ gravissimus hominem significat erroris sopore torpentem, cui non suffecerat fugere à facie DEi, nisi quadam vecordiâ mens illius obruta ignoraret iracundiam DEi, & quasi securissimus dormiret, & profundissimum somnum, roncha nare sonaret.*

Indormire malis quam periculosum.

Excitat dormientem Jonam gubernator tum ex somno, tum ad preces, ratus tempestatem ob alicujus culpam desævire, quam forte indagare conati sunt. v. 7. *mittamus sortes, & sciamus, quare hoc malum sit nobis.* Notat S. Hieron. Theodoretus. Remig. Lyran. nautas misisse sortes, quia videbant maris periti tam repentinam in mari quieto tempestatem non esse naturalem, sed subitô à DEo immissam. Notat P. Cornel. à Lap. hìc, quòd, licèt hæc sors nautarum fuerit superstitiosa, DEus tamen illam, licèt malam, disposuit, & ordinavit in bonum, ita enim eam direxit, ut Jonas reus deprehenderetur, & culpam agnosceret, ac ad DEum rediret.

Jonas mittitur in mare. Jonæ 1.

Deprehensum nihilominus reum (P. Salian.) in terram exponere volebant, sed cum per tempestatem non liceret, eum v. 15. *miseruut in mare.* S. Hieronym. non dixit: *abripuerunt*, non ait; invaserunt, sed tulerunt, quasi cum obsequio & honore portantes, miserunt in mare, non repugnantem, sed præbentem manus in ipsorum voluntati. Addit Arias ex Eleazaro antiquissimo divinorum librorum interprete, qui circa ætatem Christi scripsisse videtur, quòd illi nautæ post orationem communiter susceptam, illud postremum sæpiùs tentaverunt, *ut sublatum Jonam, in mare usque ad collum demitterent, rursumque in navim ad se reciperent, evenisse verò ait, ut, quoties demissus esset, mare conquiesceret, dum autem receptus, rursum fremere, & intumescere sentiretur, quo signô divinæ voluntatis certiores facti, Jonam tandem in mare conjectum penitus demisere.* v. 15. *Et stetit mare à fervore suo* v. 16. *& timuerunt viri timore magno, Dominum & immolaverunt hostias Domino, & voverunt vota.* Conversos ab idolis, affirmat S. Hieronymus in hunc locum scribens, additque. *Timent autem timore magno, quòd intelligunt sanctum, & sanctæ gentis virum - - - & tamen fugitivum celare non possunt. Magnus est, qui fugit, sed major ille, qui quærit, non audent tradere, celare non possunt.* Notat hic P. Cornel. à Lap. Jonæ charitatem magnanimam dicentis v. 12. *tollite me, & mittite in mare,* quâ, ne alii pereant, ipse solus perire cupit. Ita S. Hieronym censeturque Jonas hæc dixisse ex instinctu DEi, quo sciebat, DEum velle, ut quasi piaculum & lustramentum mitteretur in mare; alioquin nec nautæ potuissent eum mergere, nec ipse nautis potestatem se occidendi dare potuisset. Tropologicè notat S. Hieronym. Non tantum Jonam puniri, sed & nautas, eò quòd Jonam recepissent, hinc discendum, quàm noxia sit cum peccatoribus societas. Sic S. Ambros. serm. de cath. S. Petri docet, Apostolos jactatos esse tempestate propter Judam. *Tranquilitas est, ubi solus Petrus navigat, tempestas, ubi Judas adjungitur.*

Timor ad DEum compellit.

Charitas proximi in offerente se pro aliis.

Conversatio cum peccatoribus noxia.

110. Jon. 2. v. 1. *Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam: & erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus.* Multa hic notat miracula P. Cornel. à Lap. 1. Quòd venter piscis calidissimus Jonam non consumpserit. 2. Quòd Jonas ibi vivere, respirare, & aerem frigidam attrahere potuerit. 3. Quòd odor, qui in ventre ceti est intollerabilis, Jonam non exanimaverit. 4. Quod in his angustiis compos mentis fuerit.

Jonas sorbetur à ceto. Jon. 2.

Tropologicè S. Gregor. l. 6. moral. c. 12. *Ecce fugitivum DEi tempestas invenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit, & qui authori suo obedire renititur, ad locum, quò missus fuerat, suo reus carcere portatur.* Symbolicè S. Hieronym. ad Heliodor. in Epitaph. Nepotianæ hæc accomodat morti, quæ fideles absorbet quidem, sed instar Jonæ quasi vivos retinet ob spem resurrectionis. *Devorâsti*, inquit, *Jonam, sed in utero tuo vivus fuit, juxta illud* Oseæ 13. 14. *Ero mors tua, ô mors.*

Inobedientia punita.

Anagogicè ex Jona è ceto redivivo probat resurrectionem corporum S. Irenæus l. 5. contra hæreses c. 5. & l. 3. c. 22. Allegoricè totam historiam Jonæ S. August. l. 4. de Symb ad Catechum. c. 6. adaptat Christo. *Ascendit navem propheta fugiens, lignum Christus ascendit per mare hujus mundi transiens. Irruit tempestas magna in mari, perturbatio maris perfidia Judæorum est &c.*

Jonæ 2. v. 2. *Et oravit Jonas ad Dominum DEum suum de ventre piscis.* Tropologicè S. Gregor. in Psal. 6. pœnitent. *De profundis clamavi &c. Clamavit Jonas ad DEum de ventre ceti de altitudine maris de profundo inobedientiæ, & ad aures DEi oratio illius pervenit, qui eum eruit à fluctibus, eripuit à bestia, absolvit à culpa. Clamet & peccator, quem à DEo recedentem cupiditatum tempestas contrivit, quem malignus hostis absorbuit, quem præsentis sæculi fluctus involvit, agnoscat, se esse in profundo, ut ad DEum sua perveniat oratio.*

Oratio de profundis eruit.

Jonæ 2. 11. *Et dixit Dominus pisci: & evomuit Jonam in aridam.* Dicitur ab aliquibus, cetus celeritate mirabili, ùt quidam putant, trium

trium dierum spatio totam mediterranei maris longitudinem, & omnia undique Africæ littora pervolasse, & Jonam incolumem evomisse in aridam in Arabia. Rectiùs tamen alii (P. Salianus) putant ejectum ad Joppen, unde solverat, hinc enim citius poterat pervenire Niniven.

Ninivitarum pœnitentia salutaris. Jonæ 3.

Liberato Jonæ iteravit Dominus præceptum nuntiandi Ninivitis fore, ut Ninive intra 40mum diem subverteretur. Jon. 3. v. 4. *adhuc 40. dies, & Ninive subvertetur.* Admirabilis fuit apud istos Assyrios divini verbi efficacia, ad prædicationem Jonæ convertebantur. Quæres, quô argumentô moti, ut crederent Jonæ? Respondet P. Cornel. à Lap. hìc. Moti sunt ad credendum Jonæ per miraculum devorationis & liberationis è ventre ceti, quod Jonas eis proposuit, quodque per nautas jam sparsum erat per totum orientem. v. 5. *Et crediderunt viri Ninivitæ in DEum: & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem* v. 6. *Et pervenit verbum ad regem Ninive: & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum à se, & indutus est saccô & sedit in cinere,* P. Cornel. à Lap. hic hunc regem, probabile censet, fuisse Sardanapalum, additque P. Salian., non absurdum eundem pænitentiam egisse, nam illa pertinet ad principium regni ejus, quando non erat adhuc ita depravatus. De hoc rege pœnitente, quisquis ille fuerit S. Ambros. in Hist. Jonæ tom. 2. in fine. *Rex Ninives*, inquit, *hostes virtute superabat, DEum autem humilitate vincebat: sapiens inquam rex, qui pro salute civium peccatorem se magis confitetur, quàm regem.*

Adeò strictum Ninivitarum fuit jejunium, ut etiam parvulos & jumenta affligeret, v. 7. *Homines & jumenta, & boves & pecora non gustent quidquam: nec pascantur, & aquam non bibant.* S. Ambros. ad fin. Tom. 2. de Jon. *non enim sufficiebat ad placandum DEum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata parvulorum innocentia deploraret, & fletibus alienis delicta sua inventus ablueret.* Verisimile est, hoc rigidum jejunium Ninivitarum ad aliquot dies v. 9. tres ut sentit S. Chrysost. Homil. 1. de pœnitent. duràsse, ita, ut per triduum nec homo, nec pecus quidquam cibi aut potus gustâret. Deinde continuarunt hoc jejunium ad 40. dies, sed ita (P. Cornel. à Lap.) ut suo tempore v. g. vesperè aliquid panis & aquæ sumerent.

Jejunium Ninivitarum etiam parvulorum Jon. 3.

III. Emendatio vitæ jungenda jejunio mortificationi &c.

Nec contenti solo jejuniô Ninivitæ, à vitiis etiam jejunârunt. S. Chrysost. Hom. 3. ad popul. *Videamus, quid inevitabilem illam iram solverit, num jejunium solum & saccus? nequaquam, sed totius vitæ mutatio: quoniam conversus est quisque à viis suis malis - - - honor enim jejunii non ciborum est abstinentia, sed*

peccatorum fuga. Jejunas? demonstra mihi per ipsa opera. Qualia, inquis, opera. Si pauperem videris, miserere, si inimicum videris, conciliare: si amicum laudabiliter agentem videbis, ne invideas. Si mulierem videris speciosam, prætereas. Non enim os tantum jejunet, sed & oculus, & auditus & pedes, & manus & omnia corporis nostri membra. Jejunent manus à rapina &c. Pœnitentia sua videntur fuisse conversi & justificati Ninivitæ, saltem multi, & salvati, quicunque in justitia usque ad finem vitæ perstiterunt. Hinc discendum, quantum possit pœnitentia, quæ tantis peccatoribus misericordiam conciliavit. Præclarè S. Bernard. serm. de S. Andrea pœnitentiam vocat *ultricem vitiorum, altricem virtutum.* Idem serm. 71. in cant. *cibus ejus* (Christi) *pænitentia mea, & cibus ejus salus mea, cibus ergo ipse mandor, cùm arguor, glutior, cùm instituor, decoquor, cùm immutor, digeror, cùm transformor, unior, cùm conformor.* Dum dicit aliquis in Ninive v. 6. *Quis scit, si convertatur, & ignoscat DEus*, Existimat P. Cornel. à Lap. Quòd dubitent Ninivitæ de remissione non culpæ sed pœnæ, eversionis scilicet Ninive. Simili modô DEus condonavit adulterium Davidi, sed punivit eum morte filii ex eo geniti.

Pænitentiæ efficacia.

De reconciliato peccato metus.

S. August. in Psal. 50. *de incerto pænitentiam egerunt, & certam misericordiam meruerunt.* Et S. Hieron. *Ideò ambiguum ponitur, ut, dum homines dubii sunt de salute, fortius pænitentiam agant, & magis ad misericordiam provocent Dominum.*

Alii hanc dubitationem extendunt ad remissionem culpæ. Licèt enim certissimæ sint promissiones DEi, quibus pænitentibus promisit veniam, tamen incertum est, an homo impleat conditionem, quam exigit promissio, puta, quòd sit sufficienter dispositus ad gratiam. Dicta verba *ignoscat DEus* vertuntur ex Hebræo: & pænitentiam agat, vel pænitudine ducatur DEus. Ita Septuaginta. Pagin. Quomodo pænitentiam agat DEus, pulchrè S. Chrysostom. Hom. 1. de pæniten. docet, in DEo verè non esse pænitentiam, quia non vult, nec optat nobis malum, sed tantùm minatur, ne cogatur illud infligere. *Cujus*, inquit, *rei gratia, quæ facturus es, mala prædicis? ut non faciam, quæ prædico. Propterea & gehennam minatus est, quo gehennam non inducat. Terreant vos verba, ne facta conturbent.*

Honoris amor indiscretus & vitiosus. Jon. 4.

Cùm tempus esset elapsum, & omnia in civitate loco subsisterent, Jonæ 4. v. 1. *afflictus est Jonas afflictione magna, & iratus est.* Afflictionis ejus causam varii variam assignant. P. Cornel. à Lap. hìc existimat illum afflictum fuisse, eò quod videret DEum parcere Ninivitis, ac consequenter suum oraculum de subvertenda Ninive esse vanum

& falsum, ideóque timeret, se irridendum, nimis ergo & indiscretus amor honoris proprii fuit causa istius afflictionis, unde optat potiùs mori, quàm cum ignominia vivere. Ita Theodoret. S. Ephrem &c. Nec tamen doluit, ut ait Theophilactus, quòd servatis invideret, ac de eorum interritu voluptatem caperet, sed voluisset decretoriam nuntiare sententiam, & non ex eventuum mutatione pendentem; sua utique magis causâ, quàm DEi. Moraliter disce, quàm perversus sit zelus indiscretus, quamque displiceat DEo: Jonas enim cogitare debebat, seque consolari, quòd magis hic ageretur honor DEi, qui miserat Jonam, quàm suus. Hic quoque notandum cum P. Cornel. quàm DEus clementior sit homine etiam sancto, quàm satius sit confugere ad DEi, quam ad hominum tribunal. Si Jonas in causa Ninivitarum fuisset Judex, tulisset in omnes licèt pœnitentes ob præterita scelera sententiam mortis.

DEus homine clementior in peccatores.

V. 5. *Et egressus Jonas de civitate & sedit contra orientem civitatis; & fecit sibimet umbraculum ibi, & sedebat subter illud in umbra, donec videret, quid accideret civitati. v. 6. Et præparavit Dominus DEus hederam, & ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, & protegeret eum, & lætatus est Jonas super hedera lætitia magna. v. 7. Et paravit DEus vermem ascensu diluculi* (Chaldæus sub conspectum auroræ) *in crastinum; & percussit hederam, & exaruit.* Hederâ Septuaginta, Syrus, arabicus uterque & Pagnin. vertunt cucurbitam, cucurbita enim amplis foliis magnam facit umbram. Symbolicè hedera symbolum est vanitatis mundi, omnisque rei, & spei mundanæ, de hac enim hedera v. 10. in Hebr. dicitur: *filia noctis erat, & filia noctis periit*, id est (P. Cornel.) unâ nocte nata est, unâ periit. An non filia noctis est honor, pompa, deliciæ atque divitiæ mundi &c. Rursum hedera propriè dicta (P. Cornel.) arctissimo complexu arbores sibi implicat, & vincit, ac vinciendo enecat, hoc ipsum faciunt amantibus voluptates, & sæpè Amasiæ. Quocirca olim Romæ flamini Diali nefas erat tangere hederam, atque adeò ne nominare quidem fas erat, ut significarent, quanta puritas & castitas æquè ac libertas decebat sacerdotem.

Vanitas, gloria mundi citò perit.

Theophil. ait: *Cucurbitæ umbra est gloria hujus mundi, quæ quasi flos fœni nos refrigerat in afflictionum æstu, ideóque à nobis expetitur; sed ferit eam vermis matutinus, scilicet conscientia nostra remordens, & peccatorum nobis sensum exhibens.*

Dum percussâ à verme hederâ, urente sole æstuaret Jonas. Jon. 4. v. 8. *Petivit animæ suæ, ut moreretur, & dixit: meliùs est mihi mori, quàm*

quàm vivere. v. 9. & dixit Dominus ad Jonam: putasne benè irasceris tu super hederam, & dixit: benè irascor ego usque ad mortem. P. Cornel. à Lap. dolet Jonas de umbra hederæ, sic multi dolent & contendunt *de umbra asini*, ut vulgò dicitur, id est, de re parvi vel nullius momenti. Fabulam, ex qua natum est hoc proverbium, narrat Aristophanes, & Plutarch. in vita Demost. Demosthenes, inquit, cùm Judices parum haberet attentos, ut faceret attentos, narravit fabulam. Quidam conduxit asinum, ut Athenis veheretur Megaram, in itinere ardente sole meridie, non habens aliud umbraculum sub asino sedens ejus umbrâ se obtegebat. Cæterùm id agaso non sinebat hominem inde depellens, clamansque asinum esse locatum, non asini umbram, alter ex adverso contendebat etiam asini umbram esse locatam. à rixa ventum ad verbera, inde ad jus & tribunal. Hæc locutus Demosthenes, repentè descendit, & discessit, revocatus à judicibus, ut reliquum fabulæ enarraret, ait: *Itáne de asini umbra libet audire, viri verò de vita periclitantis causam audire gravamini.*

Ira dolor gravis de re parvi momenti reprehenditur.

In Iudicio attentio.

Jonæ 4. v. 10. Et dixit Dominus, tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti, ut cresceret, quæ sub una nocte nata est, & sub una nocte periit. v. 11. Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plus, quàm centum viginti hominum millia, qui nesciunt, quid sit inter dexteram & sinistram suam, & jumenta multa? Infantium cœde paterna cœlestis Patris viscera tangi non mirum, at illa meritò notatur (P. Salian.) suavissima dulcedo bonitatis DEi, quæ etiā jumentorū morte tangatur, quomodò itaque non dolebit super morte peccatorum.

Jonas dolet super hederam.

Ex Jona gentiles videntur sumpsisse fabulam sui Herculis, finxerunt enim, quòd Hercules à balæna sit devoratus, & ex ea incolumis redierit, nisi quòd depilatus fuerit, ob internam belluæ caliditatem. Ita Theophila-

Ann. Mund. 3225. Amasias rex, DEo Idololatriam ejus puniente, à conjuratis conjuratione publica occiditur in Lachis. Censetur ante mortem pænitentiam egisse, quod deducitur ex 4. Reg. 15. v. 3.

Amasias idolatra morte punitus. 4. Reg. 14.



Ii2 CAPUT

Caput vigeſimum primum.

Oſeas Propheta fornicariam ducit. Manahem prægnantes diſſecuit. Viſio Iſaiæ, in qua vidit Dominum in ſolio, & Seraphinos, os ejus tactum caculo. Hebræorum interna per exteros advocatos ruina. Ruina regni Iſraelis.

112. ANn. Mund. 3226. 4. Reg. 15. v. 1. *Regnavit Azarias* (qui & Ozias dicitur) *filius Amaſiæ regis Juda, ſedecim annorum erat, cùm regnare cæpiſſet, & 52. annis regnavit in Jeruſalem.*

Oſeas fornicariam ducit.

Anno Mundi. 3227. Utrumque hebræorum regnum ſub hæc tempora florebat, & Oſeas Propheta, cujus anceps eſt genus & patria, de quo Oſeæ 1. 2. *Et dixit Dominus ad Oſee: vade, ſume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum.* P. Salian. Communior & verior ſententia dicit, Oſeam DEi juſſu duxiſſe uxorem Gomer, dudum meretricem, factam poſtea continentem, idque inter alios S. Hieroym. S. Auguſtin. affirmant Filios ex ea ſuſcepit verè legitimos, licèt fornicationum filii dicuntur, quòd fuerint filii illius, quæ olim fuerat meretrix. Cur DEus juſſerit, cauſam aſſignat P. Cornel. à Lap. hìc *Primariam* litteralem, ut nimirum hoc, quaſi vivum ſpeculum daret Judæis, in quo clarè conſpicerent, & contemplarentur ſuam turpitudinem, & idololatriam (quæ in ſcriptura ſæpè fornicatio dicitur) Secundariam, charitatem, ut ſcilicèt fornicario pudori, & conſcientiæ conſuleret, dum eam commutat in uxorem. Ita S. Auguſt. l. 22. contra fauſt. c. 80. An DEus poſſit diſpenſare ut fornicatio ſit licita, vide ibidem diſcurſus apud P. Cornel à Lap. ubi docet contra alios, Deum in nullo præceptô legis naturæ poſſe diſpenſare. Cùm illa, quæ talibûs præceptîs continentur, ſunt intrinſecè bona, adeóque illis contraria intrinſecè mala, hoc eſt, ex ſua natura mala, ex ſe ipſis naturæ rationali contraria & repugnantia. Sub hæc quoque tempora floruêre Joel & Amos Prophetæ.

Ann. Mund. 3229. Creſcebat in optima educatione Ozias rex. Idumæos vicit, & ab illis Ethan recuperavit, Philiſthæos deinde & vicit & ſua ab illis recuperavit, urbes quoque illorum expugnavit, & reſtauravit: Arabes & Ammonitas debellatos tributa ſibi pendere coegit.

Amos propheta alter.

Ann. Mund. 3248. Dedit initium ſuæ prophetiæ Amos, qui alius fuit ab illo, qui initiô Iſaiæ memoratur pater illius. Hic Amos biennium vaticinatus contra Damaſcum, & 10. tribus Iſrael.

Ann. Mund. 3251. Mortuus Jeroboam rex Iſrael, regnô non utique piè ſed feliciter adminiſtratô. Accidit quoque mors prophetæ Amos, quem Ozias vecte per tempora transfixit.

12. annorum interregni finis 4. Reg. 15.

Ann. Mund. 3263. Impoſitus hoc annô fuit finis interregni, poſt 12. Annorum de paterno regno contentionem, vicit tandem Zacharias filius Jeroboam. de quo 4. Reg. 15. v. 8. regnavit Zacharias filius Jeroboam ſuper Iſrael in Samaria 6. menſibus. Quanto conſtat labore evanida mundi gloria 12. annis pro ſex menſium honore. Ach quid fit pro gloria cœleſti?

Plures reges brevi tempore. 4. Reg. 15. Zacharias Sellum.

Ann. Mund. 3264 Ozias rex anno ſui regni 39. mô tres vidit in Iſrael reges. Nam Zacharias inchoatum præteritô annô ſemeſtre abſolvit hoc annô, à Sello, conjuratione facta cæſus. Qui Sellum regnavit pro eo ad menſem unum, donec & ipſe à Manahem præfecto Exercitus Zachariæ cæſus fuerit. Rectè iſte Manahem, ut ait Joſephus, iiſdem copiis adverſùs hominem facinoroſum inſurrexit, non rectè tamen, propria authoritate regnum invaſit, & culpam, quam ulciſcebatur, perpetravit.

Ann. Mund. 3265. Primô regni ſui anno, Manahem, tyrannidem exercuit, reſiſtentem ſibi Tapſam urbem captam cœdibûs implet. v. 16. *Interfecit omnes prægnantes ejus, & ſcidit eas.* Hoc eſt, diſſecuit eas, ut fœtum educeret, ait Abulen. Et quia timida eſt ambitio, præcipuè crudelitati ſociata, Phul regem Aſſyriorum ad ſtabiliendum regnum ſuum evocavit, quod auxilium mille talentîs redemit. Quanquàm (P. Salian) non abſurdum eſt, hæc talenta de annuo tributo interpretari, ut ejus recuſatio poſtmodum cauſa fuerit Theglathphalaſar invadendi regnum Iſraelis.

Oziæ potentia felicitas inflat ambitionem 2. Paralip. 26.

Ann. Mund. 3274. Ozias rex Juda 2. Paral. 26. 16. *Cùm roboratus eſſet, elevatum eſt cor ejus, in interritum ſuum: & neglexit Dominum Deum ſuum: ingreſſúsque templum Domini, adolere voluit incenſum ſuper altare Thymiamatis.* S. Chryſoſt. Hom. 3. de verbis Iſa: id perpendens notat in Ozia ſuperbiæ cauſam. *Cùm roboratus eſt, cùm potens eſſet, elevatum eſt cor ejus, non ferebat principatûs magnitudinem, ſed quemadmodùm ex edaci-*

edacitate naſcitur inflatio, ex inflatione gignitur febris, deinde ex febri plerumque mors: itidem & hic, ex actionum eminentia nata eſt ſuperbia, mox ex ſuperbia nata eſt appetentia rerum ipſi non competentium. Voluit enim in ſolenni ſacrificio adolêre incenſum. Reſtiterunt Sacerdotes regi, atque dixerunt: v. 18. *Non eſt tui officii Ozia* v. 19. *Iratúſque Ozias tenens in manu thuribulum, ut adoleret incenſum, minabatur ſacerdotibus, ſtatimque orta eſt lepra in fronte ejus.* Atque ità, qui Sacerdotale munus invaſerat, regium amiſit, qui in locum ſacrum temerè invaſerat, ne quidem in communi, & prophano habitare permiſſus eſt, tota civitate excluſus. (P. Salian.)

Manahem quoque rex Iſraelis mortuus, cujus filius Phaceia bienniò pro eo regnavit in Samaria, quamvis enim Pater ejus tyrannicè occupavit regnum, deinde tamen populus ſpontè ſe ei ſubjiciens illum legitimum regem fecit. Hic tamen Phaceia occiſus à Phacee Præfecto Exercitus 3. Reg. 15.

113. *Ann. Mund. 3277.* Contigit mors Oziæ, ſeu Azariæ regis Juda, de quo 2. Paral. 26. v. 23. *Sepelierunt eum in agro regalium ſepulchrorum, eò quòd eſſet leproſus.* P. Cornel. à Lap. hìc: leproſi enim ſicut in vita etiam in morte à conſortio cæterorum ſeparantur, lepra enim etiam cadavera inficit, & conſumit.

Viſio Iſaiæ, in qua vidit Dominum & Seraphinos. Iſai. 6.

Eodem anno contigiſſe cenſetur viſio Iſaiæ Prophetæ, de qua Iſaiæ 6. Circa hanc viſionem prænotat P. Cornel. à Lap. antè cap. 6. Iſaiæ. Potuiſſet totum hoc caput tribus verbis comprehendere dicendo: futurum eſt, ut Judæi à Deo reprobentur, ſed quia hæc prophetia gravis erat, & odioſa, hinc Deus eam, ſua tam magnifica viſione præmunivit & confirmavit. Porrò hæc viſio deſcribitur Iſaiæ 6. v. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum: & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Notat hìc P. Cornel. à Lap. Iſaias vidit hìc Deum ſedentem in auguſto ſolio, ídque in templo, ut patet ex verbo, *& ea, quæ ſub ipſo &c.*

An oculis corporeis vidit.

An oculis corporeis hæc viderit Iſaias, nonnulli affirmant. Sed contrarium verius eſt, ſcilicet hanc ſpeciem fuiſſe imaginationi, ut vult S. Auguſtinus contra Adimantum c. 28. aut potiùs menti Iſaiæ objectam.

Quam perſonam.

Alcazar in Apocal. cenſet, quòd Iſaias ſolum Deum Patrem viderit. Arias & Sanchez, cenſent ſolum filium hìc appáruiſſe. Idem cenſent omnes illi Patres & Doctores, qui putant in omnibus apparitionibus factis in veteri teſtamento apparuiſſe filium, idque ad hoc, ut patribus daret

ret ſpecimen ſuæ incarnationis futuræ. Ità Theodoret. Juſtin. Tertul. &c. P. Cornel. à Lap. hic cum Toleto, Maldonato cenſet Iſaiæ hìc apparuiſſe tres perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis, non per concomitantiam, ſed per ſe directè.

Solium excelſum (P. Cornel. à Lap.) hoc eſt Dei Judicis, ideóque ſignificat definitam eſſe Dei contra Judæos ſententiam de eorum excæcatione & reprobatione

Seraphim alati.

v. 2. *Seraphim ſtabant ſuper illud* (ſolium) *ſex alæ uni & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Seraphim ex Hebræo (P. Cornel. à Lap.) quaſi ardentes & incendentes. S. Bernard. in hanc viſionem Serm. 3. *Ut quid tu, qui manè oriebaris lucifer, in veritate non ſtetiſti, id eſt, quia Seraphim non fuiſti? Seraphim quippè ardens, vel incendens interpretatur. Tu verò habuiſti miſer lucem, ſed ardorem non habuiſti. Bonum erat tibi, ſi ignifer magis fuiſſes, quàm Lucifer - - - - - ſtant, ait, planè Seraphim*, quia charitas nunquam excidit, ſtant attoniti & ſuſpenſi in contemplatione ſedentis in throno - - - *Tu* (lucifer) *ſedere tentaſti* (ſedebo alluditur ad illud in lateribus aquilonis) *ô impie, propterea tui moti ſunt pedes.* Velabant facies ſuas (P. Cornel. à Lap.) præ intima reverentia, quod tantum divinitatis jubar irretorto oculo aſpicere non poſſent. Velabant pedes, qui ſunt Symbolum actionis & executionis, ut ſignificent, ſe pro ſuo ardenti ad explendam Dei voluntatem ſtudio eſſe tardo atque impedito gradu.

Obedientia prompta.

Seraphim hìc ſchema erant perfectæ religioſæ obedientiæ, hæc enim quaſi velatîs oculîs cæca præceptum non diſcutit. Rurſum velat femora, id eſt, caſta eſt, neque tam ſuis affectibus, aut voluntati ſervit, quàm paret alienæ. v. 3. *Et clamabant* (Seraphim) *alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Ter repetunt Sanctus, ut ſignificent SS. Trinitatem in unitate eſſentiæ. Ità D. Ambroſ. Nazianzen. &c. citati à P. Cornel.

Calculus ignitus.

v. 6. *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* P. Cornel. Calculus, id eſt, carbo, vel pruina ignita, quæ calculo candenti, id eſt, carbunculo, ſeu pyropo eſt ſimilis. Utrumque hoc verum eſt, ſcilicet & calculum hunc fuiſſe calculum ſive carbunculum, nam in cœleſti templo & altari, ubi hæc vidit Iſaias,

Carbunculi pretium majus quàm adamantis.

omnia pretioſa ſunt, æterna, ergo carbones ejus non ſunt lignei. Ignis verò ille cœleſtis

nutri-

nutritur pyropîs & carbunculîs: carbunculus enim præ omnibus gemmis pretioſiſſimus eſt; nam carbunculus, qui ponderat unam drachmam, ſexaginta mill. aureorum æſtimatur, id eſt, pluris, quàm adamantes quatuor ejusdem ponderis.

Tetigit Seraphim hoc calculo labiâ Iſaiæ, ut peccatum labiorum ejus puniret, & expiaret, hinc ex calculo hoc aduſſit, præſertim, quia peccavit Iſaias non reprehendendo Oziam, qui prunas & thymiama altaris invaſerat. Calculus hic Iſaiæ eſt Symbolum pœnitentiæ, & contritionis, ut notat Alcazar, Viegas. Objicit ſibi P. Cornel. quomodò ignis altaris nutriri potuit carbunculîs? & reſpondet: in ignem immiſſos fuiſſe carbones, ſed vi ignis converſos fuiſſe in carbunculos; hæc eſt vis altaris pœnitentiæ, per quam peccatores, qui erant inſtar carbonum frigidi, nigri, fiunt carbunculi per charitatis ardorem, vel Smaragdi per caſtitatem, vel adamantes per patientiam. 2dô calculus hic ignitus erat Symbol. gratiæ Spiritûs ſancti, quæ à peccatis animam purificat & ſanctificat. Ità S. Ambroſ. L. de Spir. S. c. 9. 3tiô amoris & Zeli.

Pœnitentia ex carbonibus inferni facit carbunculos.

Spiritus S. gratiæ Symbol.

Deinde hic carbo eſt Euchariſtia, quæ ab omni peccato nos purgat, roborat, & inflammat, *ut tanquam Leones ignem ſpirantes, ab illa menſa recedamus facti diabolo terribiles.* Inquit S. Chryſoſt. Hom. 6. ad popul. Ità calculum hunc exponit S. Juſtin. in Reſponſ. ad Quæſt. 44.

Iſai. 6. ver. 8. *Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi: ecce ego, mitte me.* P. Cornel. à Lap. perfectè obediens inſtar Iſaiæ prævenit præcipientem, ut docet S. Bernard. Serm. de obedien. additque: *fidelis obediens neſcit moras, fugit craſtinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos viſui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes.*

Obedientia perfecta prævenit.

Ann. Mund. 3279. Phacee in Iſrael regnante, ingentem cladem, à rege Aſſyriorum Theglathphalaſare, quem ſcriptura regem Aſſur dicit, accepêre Iſraelitæ, puniente jam ſeriò Deo, qui 220. annis converſionem pervicacis populi expectabat. Hac calamitate Iſraelitæ duas tribus cum dimidia trans Jordanem, cis Jordanem verò totam Tribum Nephtali amisêre, hominibûs in ſervitutem redactîs.

Clades Iſraëlitarum ab Aſſyriis. 4. Reg. 15.

Ann. Mund. 3290. Regnante Joathamo rege, aliqua horrenda ab Iſaia & Michæa prophetis edita vaticinia contra Iſraelem. Michææ. 1.6. *Ponam Samariam quaſi acervum lapidum in agro,*

cùm plantatur vinea &c. Contra Judam Michææ 3. 12. *Sion quaſi ager arabitur, & Jeruſalem quaſi acervus lapidum erit.* Quamvìs enim Joatham rex Juda valdè pius eſſet, populi tamen pietas illi ex æquo non reſpondebat.

114. *Ann. Mund. 3294.* Rex Juda Achaz à Syris victus, captus, Damaſcum ductus, inde cùm ſe redimeret, 2. Paral. 28. 5. *Manibus quoque regis Iſrael traditus eſt, & percuſſus plaga grandi. Occiditque Phacee filius Romeliæ, de Juda 120. millia in die uno, omnes viros bellatores: eò quòd reliquiſſent Dominum Deum patrum ſuorum - - - v. 8. Cœperúntque filii Iſrael de fratribus ſuis ducenta millia,* imbellis ſcilicet multitudinis. Occurrens tamen victori exercitui Obed propheta, de proxima crudelitate reprehenſos movit, ut captivos ultrò dimitterent, neceſſario viaticô liberaliter proviſô.

Hebræorum bellum civile 2. Paral. 28.5.

Anno Mundi 3295. Syri & Iſraelitæ ſimul bellum redintegrant contra Judæos, præteritîs victoriîs, ad audaciam erecti, & prædæ magnitudine incitati. Itaque Hieroſolymam junctis viribûs obſident. Rex Achaz trepidat, licèt à propheta Iſaia in ſpem erigeretur, auxiliáque à Deo promitterentur: difficile ſcilicet exiſtimabat, ſe debilitatum, contra duos reges prævaliturum. (P. Salian.) etſi Iſaias diceret, majus fore prodigium, dum virgo illibata virginitate concipiat & pariat Meſſiam, qui liberaturus ſit populum ſuum à fortioribus hoſtibus, ſcilicet Satana, morte Idololatriâ.

Hebræos exteros in ſui ruinam advocant. 4. Reg. 16.

Ann. Mund. 3296. Miſit itaque Achaz ad Aſſyrios petens ſubſidia; allectus promiſsîs Rex aſſyriorum, ac Syriacæ prædæ inhians 4. Reg. 16. v. 9. *Aſcendit - - - Rex Aſſyriorum in Damaſcum, & vaſtavit eam.* Quod Raſin rex Syriæ intelligens, relicta obſidione Hieroſolymæ, domum revertitur, ſed vincitur, occiditur, Damaſcus ab Aſſyriis occupata, populus in Mediam ad ſervitutem abductus. Miſit etiam Aſſyrius populabundum Exercitum in Iſraelem, vitulum aureum ex Dan ſuſtulit. Phacee quoque rex Iſraelis relicta obſidione domum redit, ſed ibi conjuratione ab Oſea facta, ab eodem, Dominus à ſervo (uti etiam ille olim domino ſuo fecerat) occiditur. 4. Reg. 15. v. 30. *Conjuravit autem, & tetendit inſidias Oſee filius Ela contra Phacee filium Romeliæ, & percuſſit eum & interfecit.*

Per quæ quis peccat. 4. Reg. 15.

Ann. Mund. 3297. Hieroſolymam venit rex Aſſyriæ, magnificentiſſiméque ab Achaz rege ſuſceptus. In altare, quod ad ſimilitudinem altaris, quod damaſci viderat, exſtrui curavit, novô ſacrilegiô, ſacrificavit Achaz, non tamen leprâ punitus,

Exteri advocati Jeroſolymam diripunt. 4. Reg 16.

tus, ſed ut advertit P. Salianus, majori reſervatus ſuppliciô. Eò impietatis devenerat Achaz, ut filium ſuum conſecraret idolo Moloch 4. Reg. 16. transferens per ignem. Joſephus & Abulenſis putant, quòd cremaverit filium ſuum Achaz totaliter. Theodoretus verò & ex eo Salianus cenſent Achaz filium non combuſſiſſe, ſed traduxiſſe tantùm per ignem. Cæterùm adventus Aſſyrii & regi ipſi Achaz, & civibus Jeruſalem fuit luctuoſus, nam geſſit ſe Hieroſolymæ non tanquàm hoſpes, ſed ut hoſtis & prædo, de quo vid. 2. Paral. 28. v. 20. *qui* (Theglathphalaſar) *& afflixit eum* (Achaz) *& nullo reſiſtente vaſtavit.* Hac tamen plaga non ad converſionem, ſed inſanum furorem contra Deum motus Achaz; de quo Paral. v. 4. *Direptis itaque Achaz omnibus vaſis Domus Dei atque confractis, clauſit Januas templi Dei, & fecit ſibi altaria, in univerſis angulis Jeruſalem.*

Ann. Mund. 3305. Nonus fuit Oſeæ regis Iſraelis, is Idololatra licèt, minùs tamen fuit malus aliis; hunc, cùm rex Aſſyriæ conſtanter ſibi tributa pendere videret, regis titulum illi conceſſit, ea tamen lege, ut is conſtanter perſeveraret in penſione tributi.

115. *Ann. Mund. 3309.* Contigit mors impii Achaz regis Juda, qui impietate omnes anteceſſores ſuos reges ſuperâſſe dicitur, ſucceſſit illi religioſiſſimus filius Ezechias. Hic, quam primùm cultum Dei inſtaurare, & pro-

Achaz regi impio ſuccedit religioſiſſimus filius Ezechias, qui cultum Dei reſtituit. 2. Paral. 29.

ſtratam rempublicam erigere curavit, Idola & ſtatuas contrivit. 4. Reg. 18. v. 4. *Confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes, ſiquidem usque ad illud tempus filii Iſrael adolebant ei incenſum.* P. Cornel. à Lap. hìc: tanquàm numini benefico, ut qui patres eorum curâſſet à morſu venefico. Primo ipſo die primi menſis juſſu regis Sacerdotes & Levitæ cœperunt mundare templum Dei, omnémque immunditiem extulerunt in torrentem Cedron, dum octo dierum ſpatio exteriora templi, & octo ſimiliter diebus interiora templi priùs mundabant. (P. Salian.) in quibus immunditiis intelligimus omnia idolorum Simulacra, & nominatim altare Damaſcenum, in cujus locum Salomonicum reſtitutum eſt. Plurima deinde magna cum ſolemnitate oblata ſacrificia.

Populus, qui pro ſolemnitate paſchali confluxerat Hieroſolymam, idola in eadem urbe convertit, in aliis quoque urbibus Juda idola ſublata, immò Zelus hic & in aliud regnum propagatus, nam & de Ephraim quoque & Manaſſe omnia veſtigia Idololatriæ ſublata.

2. Paral 30.

Ipſi porrò dies Azimorum inuſitatâ celebrati lætitiâ, rex populo mille tauros & 7. millia ovium præbuit. Principes verò mille tauros, & 10000. ovium. Omnis multitudo magnâ hilaritate perfuſi, hic erat enim ducenteſimus & quinquageſimus annus, ex quo diviſo regno Salomonis uterque populus non convenerat, niſi quandò in mutuam armati perniciem concurrebant. Providit quoque rex Levitarum ſuſtentationi, ad quam magna populi acceſſit liberalitas.

Ann. Mund. 3310. Reſtaurato cultu divino, (hic enim antè omnia reſtaurandus, ut ſolidè procedat fabrica) in reſtaurationem reipublicæ incubuit Ezechias, & antequam negaret tributum Salmanaſari regi aſſyriorum. 4. Reg. 18. v. 8. *Percuſſit Philiſthæos usque ad Gazam, & omnes terminos eorum*, tributa tamen regi Aſſyriæ providenter ad tempus non negavit; Hæc enim denegatio regi Iſraelis Oſee non benè ſucceſſit. Nam

Regni Iſraelis Ruina. 4. Reg. 17.

rex Aſſyriorum Salmanaſar (de quo 4. Reg. 17. v. 1.) Samariam diuturna obſidione preſſit, in ſuam poteſtatem vi, an deditione accepit, regem & populum in ſervitutem abduxit. Sicque Iſraelis regnum, quòd contumaciter Deo reſiſtebat, ingenti ruina cecidit. Rex ipſe in ſervitute mortuus. 4. Reg. 17. v. 6. *Annô autem nonô Oſee cœpit rex Aſſyriorum Samariam, & tranſtulit Iſrael in Aſſyrios.* Abductus quoque in ſervitutem Tobias Senior (P. Salian.) cum filio, præteritô annô natô, divinâ utique providentia, ut bonis in captivitate eſſet ſolatio, & malis ad meliorem vitam incitamento. De illo Tob. 1. 9. *Cùm verò factus eſſet vir, accepit uxorem Annam de tribu ſua.* Hìc obſervat P. Cornel. à Lap. virilem ætatem & fortitudinem exigit conjugium, tum ad prolem validam generandam, tum ad labores & onera conjugii & familiæ ſubeunda. Audi Ariſtotelem l. 7. politic. c. 16. *Eſt autem adoleſcentum conjunctio improba ad filiorum procreationem, in cunctis enim animalibus juveniles partus imperfecti ſunt, & fæminæ crebriùs quàm mares, & parva corporis forma gignuntur, quo circa neceſſè eſt, hoc idem in hominibus provenire &c. in partu magìs quoque laborant puellæ, ac pereunt plures &c. ad continentiam quoque utile eſt, nuptias fieri ſeniores; intemperantiores enim eſſe videntur, cùm puellæ veneri aſſueſcunt. At maſculorum corpora creſcere impediuntur, ſi, adhuc augeſcente ſemine conſuetudinem ineant.* Hactenùs Ariſtoteles. Verùm ob ardores juven-

Tobias Senior in ſervitutem abductus.

tutis, & periculum incontinentiæ multis salutariùs est (ait P. Cornel.) tantam ætatem non expectare, sed citiùs uxorem ducere.

Ann. Mund. 3314. Ne terra melle & lacte fluens inhabitata maneret, misit rex assyriorum varios ex locis varios, qui regnum Samaritanum inhabitarent.

A Leonibus impii impetuntur, nec habitare finuntur. 4. Reg. 17.

4. Reg. 17. 25. *Cúmque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum, & immisit in eos Dominus Leones, qui interficiebant eos.* Quare coloni isti novi causam suæ stragis suspicati, quòd Deum Israelis non colerent, regi Assyriorum id proposuêre, qui misit illis Sacerdotem, qui habitavit in Bethel, & docebat eos, quomodò Deum colerent.

Notat P. Salian: Non ideò præcisè, quòd essent Idololatræ, à Deo leonibus puniebantur, sed quòd essent idololatræ in terra, quam sibi specialiter elegerat Deus, ut ibi coleretur, quare & Israelitas ipsos idololatras magnis plagis affecit. Cúmque cœpissent Deum colere, laniatus Leonum cessavit. Sic reverenti Deum homini parent animalia, nec lacerant illum feræ, qui Deum suum non offendit.

Caput Vigesimum secundum.

Tobiæ liberalitas, cæcitas. Tobiæ Junioris nuptiæ. Isaias nudus servitutem prædicit. Ezechiæ regis Calamitates, morbus, solis retrocessus; Ezechias Sanitati restitutus, tandem piissimus rex mortuus.

116. Tobiæ liberalitas. Tob. 1.

ANn. Mund. 3316. His annis Tobias magnâ & indefessâ liberalitate suos juvabat, de quo Tob. 1. v. 2. *Viam veritatis non deseruit, ità, ut omnia, quæ habere poterat, quotidiè concaptivis fratribus, qui erant ex ejus genere, impertiret.* Quare dedit illi Dominus gratiam in conspectu Salmanasar regis tantam, ut fieret regis dispensator, ab eóque magna donaria acciperet (P. Salian.) adeò, ut, cùm venisset in Rages civitatem Medorum, decem argenti talenta Amico Gabelo mutuò dare potuerit.

Ann. Mund. 3318. mortuo Salmanasare Assyriorum rege non statim negavit tributum Syris Ezechias, sed in ea servitute per unum aut alterum annum perseveravit, interim occultè apparatum bellicum præparabat, tam defensivum, quàm offensivum, muros Jerosolymæ reparavit. Ab Ægyptiis non absque muneribus suppetias petiit, quæ petitio displicuit Domino. Isaiæ 30. 1. *Væ filii desertores Dicit Dominus* (P. Cornel. à Lap. qui desertô & spretô Dei consilio secuti sunt suam voluntatem, fugeruntque in Ægyptum) *ut faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam* (id est inchoaretis opus me non inspirante) *& non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum: qui ambulastis, ut descendatis in Ægyptum - - - - habentes fiduciam in umbra Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia umbræ Ægypti in ignominiam.* Ita humana auxilia, si desint divina, imitantur umbram, quæ in nubilo vanescit.

Consilium & auxilium Dei non spernendum. Isai. 30.

Ann. Mund. 3321. Jacta belli semina inter Assyrios & Judæos, Ezechias enim denegavit tributum, quod injuste exigebat Assyrius. Hoc offensus Sennacherib rex Assyriæ, sequenti anno scilicet.

Ann. Mund. 3322. Ingentes ex tota ferè Asia contraxit copias, tam contra Judæos, quàm contra Ægyptios. Interea Dominus jussit Isaiam nudum incedere ad significandum Ægyptios & Æthiopes nudos in Assyriam transportandos. Porrò de nuditate Isaiæ habetur Isaiæ 20. 2. *Et fecit sic nudus & discalceatus.* Hanc nuditatem Hugo, Sanchez, Salianus putant non totalem fuisse, quorum sententiam P. Cornel. à Lap. hic dicit probabilem esse, & castiorem ac honestiorem in speciem. Verùm citat S. Hieronym. S. Cyrill. Dyonisi: &c. qui censent Isaiam omninò fuisse nudum, ídque probatur, tum quia dicitur hic Isaias factus in portentum populi, portentum autem est, si quis nudus incedat, non si in veste plebeia, tum quia allegoricè Christi in cruce nuditatem repræsentavit, quæ fuit plena & omnimoda ad expiandum Adæ peccatum, & concupiscentiam, indéque prognatam verecundiam & erubescentiam. Christus ergo ait P. Cornel. totus nudus, uti ex matris utero prodierat, pependit. Ità docent S. Ambros. Athanas. S. Bonaventura, Franciscus Suarez &c. Turpe quidem est, addit P. Cornel. & scandalosum ac incentivum libidinis, si id

Isaias nudus nuditatem in servitute prædicit. Isai. 20.

 spon-

sponte & ex petulantia fiat, non autem si fiat ex necessitate, ut, cùm quis nudus fugit ex incendio, aut excidio urbis, aut si fiat & voluntate, & jussu Dei, uti fecisse censetur Isaias?

Venit deinde Sennacherib rex, contra quem non ausus procedere Ezechias, Jerosolymis se continuit, immò & nuncios ad eum expedivit, qui obsidebat Lachis, veniamque petiit dicens 4. Reg. 18. v. 14. *Peccavi, recede à me, & omne, quod imposueris mihi, feram*, dicit se peccâsse (P. Salian.) juxta opinionem Sennacherib. Simulavit gratam sibi legationem assyrius, ut primò, quòd offerebatur, acciperet, & postea regnum occuparet. Indixit autem argenti talenta trecenta, auri 30. Illam pecuniam licèt ingentem conficiendam putavit Ezechias v. 15. *Deditque Ezechias omne argentum, quod repertum fuerat in Domo Domini, & in thesauris regis.* Notat P. Salianus, acceptum de Templo thesaurum, necessitate exigente, cum voluntate restituendi templo. Receptâ pecuniâ barbarus per nuncios deditionem Hierosolymæ postulat; responsum silentio, quod ipsum ad Assyrium delatum, ut intelligeret, Judæos non facturos, quæ ille petebat, Deo suo fisos. Interim Ezechias Deo supplicat, accipit responsum per Isaiam, non esse, cur timeret, abiturum mox ad propria acceptô nunciô. Recessit hostis, sed morbus periculosus invasit Ezechiam regem, causa morbi fuit ex infelici regni statu, qui virum Sanctum animo & corpore malè affecerat. Misit ad eum Dominus prophetam Isaiam, qui moneret, ut ordinaret, quæ post mortem fieri vellet, tanquàm valetudine conclamata. Orat rex mortis metu, maximè autem eum angebat, ut ait Hieronym. quia videbat promissionem Dei, factam Davidi, in sua morte perituram, quòd carebat filiô. Itáque misericordiâ motus Dominus remittit Isaiam prophetam nuntiaturum, triduo sanatum iri, sic ut ad templum Deo gratias acturus redire possit, insuper promisit Dominus 4. Reg. 20. 6. *Et addam diebus tuis 15. Annos: sed & de manu regis Assyriorum liberabo te.* (P. Salian) verum fuit prius Isaiæ oraculum de morte regis, juxta id, quod causæ secundæ exigebant, revera fuisse moriturum, nisi preces & lachrymæ intervenissent. Petiit autem signum Ezechias, propter quod non de divina veritate, aut potentia experimentum capere voluit, sed de propheta ipso, qui eàdem horâ gemina sibi vaticinia edidisset. Petiit itaque, in horologio solari reverteretur umbra decem lineis, quod

Ezechias magnum lytrum dare cogitur Sennacheribo 4. Reg. 18.

Ezechiæ morbus lethalis curatur à propheta. 4. Reg. 20.

quod & factum. Nec fuit hoc solum privatum miraculum in umbra solis, sed cum umbra ipse quoque sol retrocessit. Nam dicitur 2. Paral. 32. v. 31. *Attamen in legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram, dereliquit eum Dominus, ut tentaretur.* Per quod portentum P. Salianus dicit hoc de sole intelligi. Idem sensit scripsitque Dionysius Areopagita. Hinc 20. horis longior dies effecta, hanc sententiam secuti Origen. Nazian. Theodoret. Hieronym. Augustin. P. Cornel. à Lap. in cap. 38. Isai. v. 8. Censet Abulen. & indicat S. Dionysium: omnes orbes cœlestes cum sole retrocessisse, sicuti stante sole sub Josue, stetit & luna, ut dicitur Josue 10. 12. & consequenter steterunt omnes orbes cœlestes. Ratio est, quia alioquin perturbatus fuisset totus Ordo & harmonia cœlestis & majori miraculô fuisset opus.

Interea autem adhibitum est ab Isaia Cataplasma ficorum, ne humana remedia negligenda putaremus. Postridie Sanatus Rex tertia die ascendit in templum Deo acturus gratias. Sennacherib autem accepto, uti diximus, nunciô, relictáque aliqua parte Exercitûs in Judæa contra æthiopes iverat, eosdémque vicerat, alter quoque ejus Exercitûs profligavit Ægyptios, quorum magna turba abducta in servitutem, juxta vaticinium Isaiæ.

117. *Ann. Mund. 3324.* Reversus cum ingenti præda, victoria tumidus Sennacherib in Judæam, dúmque cum illo numerosissimo exercitu propè esset Hierosolymam 4. Reg. 19. v. 35. *Factum est igitur in nocte illa, venit angelus Domini, & percussit in castris assyriorum 185. millia.* Additque 2. Paral. 32. v. 21. *Et misit Dominus Angelum, qui percussit omnem virum robustum, & bellatorem & principem exercitûs regni assyriorum:* Sine strepitu accidisse hanc cœdem patet exinde, (P. Salian.) non enim diluculo surrexissent alii quasi cladis ignari. In Judæa hanc cladem inflixit Dominus, tum, ut illi soli hæc victoria, & non aliis diis, si in aliis terris contigisset, tribueretur, tum, ut ingentes divitiæ apud Judæos manerent. Non periit ibi ipse rex, oportebat enim eum gravissimo luctu priùs confici videntem cladem exercitûs. Deindè servabatur, acerbiore morte à filiis necandus. Cùm itaque Ninivem revertisset, in populum Dei iram effundebat, multos occidit, quorum corpora Tobias sepeliebat, quòd, cùm rex accepisset, jussit Tobiam occidi. Tob. 1. v. 22. *Et tulit omnem substantiam ejus. Tobias verò cum filio suo*

Angelus percutit 185. millia assyriorum 4. Reg. 19. 2. Paral. 32.

Tobias etiam hostibus amabilis.

ſuo & cum uxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum. Poſt dies verò 45. occiderunt regem filii ipſius. Et reverſus eſt Tobias in domum ſuam, omníſque facultas ejus reſtituta eſt ei. (P. Salian.) mortis Sennacheribi gemina cauſa traditur. 1ma. Regni primates ob cœdem cognatorum contra regem conjurarunt, quô cognitô rex ad templum tanquàm ad aſylum confugit, ſpoſpondítque Deo ſuo, ſi periculum evaderet, duos filios natu majores ſe illi ſacrificaturum, quo illi cognitô, paternum facinus, non diſſimili parricidiô anteverterunt. 2da. Deſtinaverat rex Aſarhaddonem minorem natu filium regni Succeſſorem, quo offenſi majores natu Patrem occiderunt.

Perturbatîs Aſſyriorum rebus, occaſione uſus Merodach prorex, an tributarius aſſyriis, rex Babylonis, regem planè agere cœpit, miſit ad Ezechiam regem Juda legationem, quæ ſpecie tenus tulit gratulationem ſanitatis, interrogationem de portento, re ipſa autem poſtulationis fœderis & amicitiæ. His legatis, dum lætus, ſed minus cautus bonus Ezechias ſuas divitias omnes oſtendit, & Babyloniorum appetitum in eas aliicit, & deliquiſſe cenſetur: nam mox ab Iſaia propheta audivit has opes Babylonem deportandas, 4. Reg. 20. v. 17. *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua. - - - - v. 18. ſed & ex filiis tuis, qui egrediuntur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt Eunuchi in palatio regis. Babylonis.* P. Cornel. à Lap. in Caput 39. Iſaiæ. v. 6. cenſet peccaſſe Ezechiam vanitate & ſuperbia, ſcilicet oſtentatione divitiarum ſuarum, ad quam eum impulit tam honorifica legatio Babyloniorum, inde enim ſibi placuit, & intumit, ita S. Hieronym. Tertuli: &c. Juſta fuit pœna, qui opes ſuas oſtentabat, meruit illis ſpoliari: unde tropologicè Eucher. & Beda in 4. Reg. 20.

Oſtentatio pernicioſa 4. Reg. 20.

Ezechias, inquiunt, *vanè oſtentans theſauros ſuos ſignificat ſervum Dei, dum virtutes ſuas vanæ gloriæ prodiderit, mox eas perdere, & in dæmonum dominio theſauros bonorum operum infelici permutatione tranſire.*

Audito tam triſti nuncio. 4. Reg. 20. v. 19. *Dixit Ezechias ad Iſaiam: Bonus Sermo Domini, quem locutus es, ſit pax & veritas in diebus meis.*

Ann. Mund. 3326. Aſarhaddon rex Aſſyriorum perſequebatur Iſraelitas, id intelligitur ex Tob. c. 2. Ubi Tobias poſt occaſum ſolis ſepeliebat, unde patet cædes, publica licèt iniqua authoritate factas fuiſſe, quæ etiam ſub pœna capitis (P. Salian.) ſepulturas prohibebat.

Virtus etiam hoſti æſtimata.

Hìc Dei providentia in Tobiam elucet; qui illum conſervabat. Immò idem rex magnis affecit honoribus, Achiacharum fratris Tobiæ filium, ut ex græco Tobiæ textu conſtat, ubi dicitur 1. à rege conſtitutus pincerna ipſius. 2. deinde ab annulo regio: 3. totius regiæ domûs adminiſtrator. 4. rationibus omnibus præfectus, tandem ſecundus à rege.

Ann. Mun. 3327. Sub hæc tempora Iſaiæ vaticinia fuerunt de Chriſto, tam clara, ut non tam prophetam, quàm Evangeliſtam agere videatur.

118. Tobias excœcationem patienter fert. Tob. 2.

Ann. Mund. 3331. Deo volente contigit Excæcatio Tobiæ ſenioris ab hirundinibus, ſive, ùt eſt in Græco, à paſſeribus. Ex Græco quoque conſtat acciddiſſe die pentecoſtes, quo convivium habuit, & poſt ejusdem diei veſperam ſepultô mortuô extra domum ad murum atrii decubuit; obſervantiſſimus enim erat legis, quæ prohibebat domum ingredi eum, qui ex cadaveris contactu inquinatus fùerat. Mirum eſt, quod ſcribit Plinius, hirundinum oculos erutos renaſci l. 10. c. 37. Idem aſſerit Ælianus l. 2. c. 3. Aldrovandus pag. 689. cinerem pulli hirundinis cum melle oculis inſperſum eorum caliginem allata claritate diſpellere ex Dioſcoride & Avicenna aſſeverat, immò ad idem valere fel & ſtercus frigidum, calidum enim acre eſt, & adurens, unde Tobiam excæcavit. Ex Alberto magno contendit P. Cornel. à Lap. hìc ad Tob. c. 2 v. 11. Ità Sancti in cœcitate Deo gratias cum Tobia egerunt, immò cæcitatem amârunt. Cæcus fuit S. Pigmenius Martyr, cui, cùm Julianus Apoſtata cæcitatem exprobraret: *Ego verò*, inquit, *Deo optimo maximo æternas ago gratias, quod non videam Julianum.* Cæcus fuit Dydimus S. Hieronymi præceptor, quem ipſe ſuum videntem vocat. Sanctimonialis illa apud Joann. Moſcum in prato ſpirituali c. 96. oculos ſibi erutos miſit ad adoleſcentem ſpecie oculorum ſuorum captum, eúmque ità compunxit, ut Monachum probatiſſimum effecerit. P. Cornel. hìc ad c. 2. v. 14.

Mira de Hirundinibus.

Cæcorum Deum laudantium exempla.

Vexabatur inſuper ſuorum exprobratione Tobias Tob. 2. v. 16. *Ubi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas, & ſepulturas faciebas. Tobias verò increpabat eos, dicens: nolite ità loqui, quoniam filii ſanctorum ſumus, & vitam expectamus, quàm Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Quantus amor juſtitiæ fuerit in Tobia, patet ex illis verbis, dum audierit vocem hœdi, quem domum ejus detulit uxor ejus v. 21. *Videte, ne forte furtivus ſit, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid aut contingere.*

Tobias Senior juniorem expedit. Tob. 5.

Ann. Mund. 3335. Divinâ providentiâ factum, ut Tobias cæcus, morti se proximum cernens, datis filio Tobiæ salutaribus monitis expedivit eundem ad recipiendum debitum à Gabelo; acquievit voluntati paternæ bonus filius, & obtulit se illi viæ ducem Angelus Raphael. Primo Die ad vesperam juxta fluvium Tygris acceptô hospitiô egressus est Tobias ad pedes in fluvio abluendos, cùm ecce piscis immanis exilit ad eum invadendum. Vallesius in sacra philosophia putat, illum piscem fuisse Callionymum, est enim voracissimus, & carnivorus, aspectu immanis, serratis dentibus, oculos habens in summo vertice, & os inter oculos situm, non frustra ergo exclamavit juvenis: Tob. 6. v. 3. *Domine, invadit me.* At comes Angelus constanter eum jubet apprehendere piscem, & extrahere ad ripam, mortuúmque exenterare. Et seposito corde, felle, & jecore ipsius ad certum usum cætera salierunt, quæ sufficerent eis ad victum, donec pervenerunt ad Rages civitatem Medorum. De corde illius piscis dicitur Tob. 6. v. 8. *Cordis ejus particulam, si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.* Lyranus hìc: *fumus iste non expulit dæmonem, sed figuravit expulsionem - - - & ideò fumus ille ex igne procedens significavit virtutem orationis Tobiæ junioris, & Saræ, cujus merito Angelus Raphael expulit dæmonem à Sara. Unde non dicitur infra v. 8. quòd fumus ille dæmonem expulerit, sed quòd Angelus Raphael ipsum apprehendit, & religavit in superioribus Ægypti.* S. Cyprianus in hoc corde pœnitentiam contriti cordis advertit: *O pœnitentia, quid de te novi referam, omnia ligata solvis, omnia contrita sanas, atque hoc est cor, quod servari jussit Angelus.* In via ingessit Angelus mentionem de nuptiis cum Sara filia Raguelis, à quibus refugit Tobias timore dœmonis, sed eum instruit Angelus, quomodò posset reddi inanis vis dæmonis. Ingressi ad Raguelem excepti humanissimè, petiit Tobias à Raguele filiam ejus in uxorem. At ille expavit, sciens, quòd septem viri ab Asmodæo fuerint occisi. Sed enim timorem depulit Angelus, initus contractus, factæ nuptiæ, trinoctio orarunt conjuges. Interea compendium facturus Tobias socium ad Gabelum mittit, qui strenuè rem egit, pecuniam recepit, Gabelum insuper ad nuptias adduxit.

Invaditur Tobias Junior à pisce Tob. 6.

Lyranus.

Parentes interim Tobiæ ex absentia filii magno afficiebantur mœrore, Mater præcipuè, de qua Tobiæ cap. 10. v. 4. *Flebat igitur mater ejus irremediabilibus lacrymis, atque dicebat: Heu, Heu me fili mi, ut quid te misimus*

pere-

peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostra, spem posteritatis nostræ? Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis. Sensit quodammodò parentum dolorem Tobias, hinc discessum à Raguele expetiit, dicens: v. 9. *Ego novi, quia pater meus & mater mea modò dies computant.* Nequiens itaque generum retinere Raguel, cum filia illum dimittit, cum dimidia parte omnium bonorum suorum. Rediit itáque Tobias magna cum lætitia parentum, tam de incolumitate ipsius, quàm de contracto fortunato connubio. Tob. 11. v. 13. *Tunc sumens Tobias de felle piscis linivit oculos patris sui, v. 14. Et sustinuit quasi dimidiam ferè horam: & cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi. v. 15. Quam apprehendens Tobias* (Junior scilicet) *traxit ab oculis ejus, statímque visum recepit Tobias Senior. v. 16. Et glorificabant Deum.*

Antecesserat cum suo socio Tobias: post septem dies advenit Sara cum familia. Tam fido comiti volebant uterque Tobias mediam partem allatorum bonorum in vim gratitudinis offerre, sed ille recusavit, respondens gratias imprimìs agendas & referendas Deo, primario omnium largitori, tum bonorum operum efficacitem apud Deum memorat, quæ à Tobia frequentata, & Deo ab Angelo oblata fuerant.

Deinde fatetur, se esse Angelum, hortatúsque ad benedicendum Deum, & ennarrenda mirabilia ejus disparuit. Tam insperatæ rei novitas Sanctam turbavit familiam, itâ, ut trementes caderent in faciem. Tob. 12. v. 22. *Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum.* Quæres, ex qua Hierarchia sit iste Raphael Angelus. Plures & optimè censent P. Cornel. à Lap. in Tob. c. 3. v. 25. Raphalem esse ex primo ordine Seraphinorum, adeóque esse unum ex septem primis Seraphinis, hi enim proximè assistunt Deo, uti astare se ait Raphael c. 12. v. 15. Ità Greg. de valen. 1. par. in Quæst. 112. D. Thom. Quæst. 6. & alii. Porrò Raphael bonæ valetudini præsidet, hinc nomen ejus Sonat Medicina Dei, sicut Asmodæus est Rex dæmonum & præses luxuriæ, sic ejus antagonista S. Raphael est rex Angelorum, & præses castitatis, & castorum Tutelaris, uti fuit hìc Tobiæ & Saræ.

Ann. Mund. 3337. Obiit piissimus rex Judæ Ezechias, hunc scriptura 4. Reg. 18. 3. exæquat pietati Davidis. *Fecítque, quod erat bonum coram Domino, juxta omnia, quæ fecerat David Pater ejus.*

 Caput

Caput Vigesimum tertium.

Manassis impietas, captivitas, pœnitentia, mors. Nabuchodonosoris superbia. Historia Judith Holofernem plectentis capite. Jeremiæ humilitas A, a, a, dicentis, virgam & ollam succensam videntis. Josiæ regis pietas, mors. Joakimi regis impietas, mors.

119. Manasses impius filius piissimi Patris 4. Reg. 21.

A*Nn. Mund. 3338.* Successit Ezechiæ Manasses; hic à principio statim ea, quæ pater ad stabiliendam pietatem instauràrat, evertit; Excelsa instauravit, in iis aras Baal erexit, Isaiam Prophetam sibi sanguine conjunctum, canitie venerandum Serrâ dissecuit, describitur ejus crudelitas 4. Reg. 22. v. 16. *Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os.* P. Cornel. à Lap. hic præcipuè illorum sanguinem fudit, qui suæ impietati resistebant, illumque de ea arguebant, uti erant Isaias &c. Ita, ut quotidie aliquem de Prophetis occideret, ait Joseph. De Manasse 2. Paral. 33 3. *Adoravit omnem militiam cœli.* P. Cornel. hic puta solem, lunam, cæteráque sydera, quæ quasi milites DEi ordinata acie incedunt, ac Deo, cùm opus est, pugnant, vibrantque in hostes tonitrua & fulmina. Ita S. Hieronym. 2. Paral. 33. v. 6. *Transiréque fecit filios suos per ignem.* P. Salianus: quos sacrilega cæremonia dæmoni consecrabat, magiam quoque Idololatriæ perditus juvenis conjunxit.

2. Paral. 33.

Ann. Mund. 3344. Manasses ab Assyriis sive Babyloniis captus, de quo 2. Paral. 33. v. 11. *Idcirco superinduxit eis* (Dominus) *Principes exercitûs regis Assyriorum: cœperuntque Manassen, & vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem.* P. Cornel. à Lap. hic: Manassi in carcere dabatur parvus panis ex surfuribus parvo pondere, & parva mensura aquæ cum aceto, ut viveret, aiunt quidam codices græci &c. Tales dapes recalitranti regi divina meritissimè subministravit justitia, ut regiis asuetus deliciis & desipiens, tandem gustans acerbiora sapere inciperet. Captivitatem hanc & reditum Manassis prius con-

Manasses captus ab Assyriis 2. Paral. 33.

contigisse quàm cœdem Holofernis rectè advertit Bellarminus Fuit tunc Rex Babylonis & Assyriorum Merodachus (P. Salian.) qui idem est & Nabuchodonosor, de quo in lib. Judith, qui etiam & Mardocempadus vocabatur. Manasses verò in captivitate detentus 2. Paral. 33. v. 12. *Postquam coangustatus est, oravit Dominum DEum suum, & egit pœnitentiam valdè coram DEo patrum suorum, deprecatusque est eum, & obsecravit intentè & exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum.*

Nabuchodonosoris superbia.

Ann. Mund. 3346. Elatus tot felicibûs successibûs Merodachus sive Nabuchodonosor, init consilium, non solùm de toto Assyriorum regno, sed etiam de toto orbe terrarum possidendo (P. Salian.) Tanta insuper fuit hominis arrogantia, ut omnes terras exterminare vellet, ut ipse solum diceretur DEus in omnibus nationibus. In vulgus verò jactatum, Judith. 1. v. 12. *quod defenderet se de omnibus regionibus his, id est,* ulcisci vellet eorum contemptum, qui contra Medos vocati eum superbè contempserant.

Holofernis apparatus. Judith. 2.

Itaque approbato ab omnibus belliducibus, Dynastisque consilio, Holoferni militiæ principi munus exequendi consilii datum. Fuit is genere Persa, bellicosus imprimis, ac ferox, habuit sub signis 120. millia peditum, non numeratîs servitiîs, lixîs. Equitum sagittarum 12. millia. Profectus cum tanto exercitu, memor illius mandati regii, Judith 2. v. 6. *Non parcet oculus tuus ulli regno*, non solum in obstantes, sed etiam in humiles, & se ultrò dedentes barbarè sæviebat; quæ cum Judæi audissent, se se ad resistendum pararunt, occupato transitu locorum difficili. Joacim Pontifex populum ad pœnitentiam imprimis, deinde ad perseverantiam, & spem in misericordia DEi hortatus, cùm interim Rex Manasses, recuperatô regnô & libertate hilaris, publicam tamen tacitus calamitatem lugebat, cultum divinum idololatriâ subversâ restituebat, ipse tamen se belli aleæ non commisit.

Non ignarus Holofernes à Judæis ad resistendum sibi arma parari, accersivit Achiorem Ammonitarum Ducem, ut intelligeret ex illo, quid essent, valerentque Judæi. Respondit interrogatus Achior, Judæos DEo semper curæ fuisse, & pro studio pietatis, aut neglectu defensos vel castigatos. Judith. c. 5. v. 19. *Quotiescunque autem pœnituerit se recessisse à cultura DEi sui, dedit eis DEus cœli virtutem resistendi.* v. 24. *Nunc ergo mi Domine perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu DEi eorum, ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos DEus eorum tibi - - - Si verò non est of-*

 fen-

fensio populi hujus coram DEo suo, non poterimus resistere illis. Auditîs hîs Holofernes jussit Achiorem duci in Bethuliam Judith c. 6. ut eâ devictâ simul puniretur, at servi à fundibulariis repulsi, eum arbori alligarunt, quem solutum filii Israel, cognita causa, consolati sunt, laudaveruntque, quòd vera de DEo narrâsset, potestatémque illi dedêre aggregandi se populo DEi, ipsi ad orationem, jejuniumque conversi sunt.

InterimHolofernesBethuliam obsidet, incidit aquæ ductum & fontibus adhibet custodes, quod videntes filii Israel Judith 7. v. 4. *Prostraverunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, unanimes orantes, ut DEus Israel misericordiam suam ostenderet super populum suum.* Interea Dominus recordatus misericordiæ suæ, excitat Juditham viduam, eximiæ virtutis, & formæ mulierem, vix trigesimum tertium ætatis annum agentem, quæ quartum jam annum viduam agebat. Quæ Judith 8. v. 5. *In superioribus domûs suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur & habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbatha & Neomenias, & festa domus Israel.* Cornel. à Lap. in Judith c. 8. v. 6. fuit dos Judithæ perpetuum jejunium, quod incendia luxuriæ, fomenta deliciarum, immò ciborum necessariorum subtrahebat. Nota illud:

Israelitæ as-pergunt se cinere. Jud. 7.

Mortificatio insignis. Judithæ. Jud. 8.

Subtrahe ligna foco, si vis restinguere flammam

Audi S. Hieronymum Epist. 9. ad Salvianam de viduitate servanda: *Tu verò, quæ in tumulo mariti sepelivisti omnes pariter voluptates, quæ litam purpurisso, & Cerussa faciem super feretrum ejus lacrymis diluisti &c. nihil habes necesse aliud, nisi perseverare in jejunio: pallor & sordes gemmæ tuæ sint: plumarum mollities juvenilia membra non foveat: balneorum calor novum adolescentulæ sanguinem non accendat. Audi, quod ex persona viduæ continentis Ethnicus poëta decantet;*

Viduis commendatur jejunium aliæque mortificationes.

Ille meos primus, qui me sibi junxit amores,
Abstulit, ille habeat secum, servetque sepulchro.

Si tanti vilissimum vitrum, quanti pretiosissimum margaritum? si sic communi lege naturæ damnat omnes gentilis vidua voluptates, quid expectandum est à vidua Christiana, quæ pudicitiam suam non solùm ei debet, qui defunctus est, sed & ei, cum quo regnatura est. Et inferiùs; *Multò meliùs stomachum te dolere quàm mentem, imperare corpori, quam servire, gressu vacillare, quàm pudicitia &c.* Idem Epist. 10. ad viduam Furiam: *ardentes*, inquit *diaboli sagittæ jejuniorum & vigiliarum rigore retorquendæ sunt:* Cæterùm vidua, quæ in deliciis est, vivens

vens mortua est 1. Tim. 5. Idem inferius. Apostolus macerat corpus suum, & animæ subiicit imperio, ne, quod aliis præcipit, ipse non servet; & adolescentula fervente cibis corpore de castitate secura est? neque verò, hæc dicens condemno cibos, quos DEus creavit ad utendum cum gratiarum actione, sed juvenibus & puellis incentiva aufero voluptatum: non Æthnei ignes, non vulcana tellus, non Vesuvius & Olympus, tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ & dapibus inflammatæ. Deinde eam exhortans, ut vino, carneque abstineat, ait: nihilque ita scias conducerere christianis adolescentibus, ut esum olerum. Hæc Judith, cùm audisset Oziam primarium magistratum, in deditionem Bethuliæ intra 5tum diem concessisse, præsbyteros Charmi & Chambri evocavit ad se, cum his venit etiam Ozias, studio addiscendi aliquid à sancta muliere bono publico necessarium, hos illa arguit, quod dierum certorum definitione, defectu confidentiæ in DEi providentiam & bonitatem laborent atque ita non provocent misericordiam DEi, sed furorem accendant. Hocque modo spem divini auxilii in eis excitat: Ipsa verò, liberum sibi cum ancilla sua exitum ex urbe petit, quo impetratô ingressa est oratorium. Judith c. 9. v. 1. *Et induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum:* Oravit, fortitudinem à DEo petiit. Deinde illa, quæ ad corporis cultum & formam pertinebant, adhibuit, acceptô secum viaticô, noctu urbe exivit, oravit, transfugium simulavit, ab Assyriis suscepta, ad Holofernem deducta. Circa hunc ejus actum aliquibus dubitationibus respondet P. Salian. Juditham rectè dolo & stratagemate adversus injustissimum hostem uti potuisse, & frequenti Ironia, quæ mendacium dici non debet. Neque per hoc, quòd adoraverit Holofernem, peccavit, licita est enim veneratio Principum virorum.

Judith apparatus ad bellum. Judith. 9.

Judith. 10.

Quòd periculum castitatis adierit, non sine speciali DEi instinctu id fecit, à quo speravit auxilium. Deinde prudenter sperare potuit, se Holofernem ad voluntatem non impudicam, sed conjugii allecturam, cum ejusmodi principes plurimas uxores habere solerent. Excepta à Holoferne humanissimè magnopereque illi placuit. Dixit (Judith c. 11. v. 19.) *Non est talis mulier super terram, in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum, & dixit ad illam Holofernes: benefecit DEus, qui misit te ante populum, ut des illum tu in manibus nostris, & quoniam bona est promissio tua, si fecerit hoc mihi DEus tuus, erit & DEus meus, & tu in domo Nabuchodonosoris* 120.

foris magna eris, & nomen tuum nominabitur in universa terra. Tunc jussit eam introire, ubi depositi erant thesauri ejus, constituitque, ut daretur illi de convivio suo. At Judith respondit, se religione prohiberi, ne alienos cibos usurparet. Impetravit deinde, ut sibi liceret ex castris noctu ad orationem egredi, quod cùm concessum esset, crebrius exivit, & rediit, ut nocturnos custodes assuefaceret, ut, quacunque noctis horâ exiret, nihil mali suspicarentur, foris autem lavabat se aquâ ritu Judaico, orabat, atque ità tres dies abierunt, quarto autem die fecit cœnam domesticis suis Holofernes, invitavit Juditham ad cœnam, Judith c. 12. v. 19. *Et manducavit & bibit coram ipso ea, quæ paraverat illi ancilla ejus. Et jucundus factus est Holofernes ad eam, bibitque vinum multum nimis, quantum unquam biberat in vita sua.* Post hoc convivium *Holofernes* c. 13. v. 4. *jacebat in lecto suo, nimia ebrietate sopitus.* v. 5. *Dixitque Judith puellæ suæ, ut staret foris ante cubiculum, & observaret.* v. 6. *Stetitque Judith ante lectum orans cum lachrymis, & labiorum motu in silentio dicens:* v. 7. *confirma me Domine DEus Israel - - -* v. 8. *Et cùm hæc dixisset, accessit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli ejus, & pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat, exsolvit.* v. 9. *Cumque evaginasset illum, apprehendit comam capitis ejus, & ait: confirma me Domine DEus in hac hora* v. 10. *& percussit bis in verticem ejus, & abscidit caput ejus, & abstulit conopeum ejus à columnis, & evolvit corpus ejus truncatum.* v. 11. *& post pusillum exivit, & tradidit caput Holofernis ancillæ suæ, & jussit, ut mitteret illud in peram suam.* v. 12. *Et exierunt duæ secundum consuetudinem suam, quasi ad orationem, & transierunt castra, & gyrantes vallem, venerunt ad portam civitatis &c.* Rediit ad suos cum capite Holofernis, excepta ingenti lætitia. Sed quoniam nondum erat perfecta victoria solo duce ablato, in cujus locum poterat alius substitui, suasit Juditha, ut caput de muro in aliquo loco eminenti suspendatur, ut eodem spectaculo & hostibus terror incuteretur, & civibus audacia suscitaretur, tum ut sub solis ortum vehemens fieret in hostem irruptio, factum id, fugerunt Assyrii magna clade à Judæis affecti, præda tanta capta, ut vix spatio triginta dierum colligeretur. Quæ autem Holofernis peculiaria fuerunt, Judithæ à populo tradita sunt omnia. Joacim ipse Pontifex cum sacerdotibus Hierosolymâ Bethuliam venit, cui obviam progressa Juditha eximia laude, & gratulatione excepta est. Actæ solennes DEo gratiæ, instituti dies festi per tres menses Judith. 16. v. 31. *Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Judæis ex illo tempore usque ad præsentem diem* Videant Acatholici, si potuit Synagoga instituere festum, quàm potiori jure universalis Christi Ecclesia dies festos instituere potest.

Ebrius mortem haurit Holofernes, præciso capite à Juditha. Judith. 13.

Ipsa Judith vasa bellica Holofernis, & conopeum DEo consecravit, ut esset anathema, quo divinum hoc beneficium ab obsidione vindicaretur. Judith verò domum reversa insigni castitatis exemplo in florenti ætate statum viduitatis conservavit.

Tanta per imbecillem fragilemque sexum divina effecit potentia, fracta dejecto capite hostilis acies, & corpus; ingentia de possidendo orbe toto, per ea, quæ mundi fuerat infirma, à sexu nimirum fragili, vota Nabuchodonosoris discussa, qui à morte Holofernis excutientibus jugum nationibus magis fuit nomine quàm re imperator.

Ann. Mund. 3392. Extremum clausit diem Manasses Rex Juda, in quo insignis DEi misericordia cum singulari hominis impietate certavit, hunc in viam & spem æternæ felicitatis reduxit, incolumem regno restituit, propter cujus peccata illud ipsum regnum incredibili vastitate desolatum.

Ann. Mund. 3392. Successit Manassi filius Amon, dum esset annorum 22. hic vitiis patrem imitatus (immò superavit) non virtutibus in idololatriam lapsus, existimaturque ab aulicis depravatus, brevi tamen ad supremi judicis tribunal raptus, ad quod non raró peremptoriè evocantur impii, à domesticis enim conjuratis occisus, quorum nihilominus scelus non mansit impunitum.

Ann. Mund. 3395. mirabili divinâ providentiâ post occisum patrem Amonem Josias octennis puerulus à populo in throno paterno collocatus, specialiter domum Davidis inter prospera & adversa conservante Domino, nam nec illi conjurati minorennem regem occidere ausi, nec successionem regni quisquam in se derivavit.

Josias octennis Rex. 4. Reg. 22. pius.

Ann. Mund, 3407. Excitatus à DEo Jeremias Propheta 14tum circiter annum agens. Hic totus est in denuncianda reipublicæ Judæorum imminenti ruina per regem Nabuchodonosorem, excusabat is coram DEo se vocante ad prophetandum, infantiam suam ex ætatis infirmitate profectam, de quo Jerem 1. v. 6. & dixit *A a, a, Domine DEus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Viegas in Apocal. 9. sect. 5. sanctissimæ Trinitatis mysterium hìc innui putat. Hoc ipso anno oblata est ei gemina visio virgæ vigilantis & ollæ succensæ. De virga c. 1. v. 11. *Quid tu vides Jeremia? & dixi: virgam vigilantem ego video.* P. Cornel. à Lap. hic, id est, minantem, vibrantem, & agi- 221.

Jeremias A, a, a, nescire se loqui dicit, ejusque visiones de virga & olla Jerem. 1.

agitantem se. Ita Rupertus.

Providentiæ Symbolum virga vigilans.

Theodoret. virgam amygdalinam, quæ primo inter arbores evigilat. Viegas in Apocal. virgam oculatam, significat enim DEi providentiam & justitiam. P. Cornel. Hæc virga significat 1mò DEi potentiam, ac imperium, item vigilantiam, ac providentiam. 2. celerem DEi ultionem. De olla v. 13. *Quid tu vides? & dixi: Ollam succensam ego video.* (P. Cornel. à Lap. hìc per ollam 1mò intelligitur Jerusalem à Nabuchodonosore per Nabuzardam succensa. Ita S. Hieron. 2. Pectus DEi bilem concoquens & fervens. Ita Hieron. Prado. &c. Tropologicè Origen. Rupert. & Ambros. in Psal. 38. prius DEus hìc pænitentibus exhibet virgam correctionis, quam, si nolint, impœnitentibus reservat ollam Gehennæ.

Pœna DEi primò mitior.

Ann. Mund. 3408. Josias Idololatriæ exterminium strenuè prosequebatur, habens zelosum adjuctorem Jeremiam, ad quem verba illa referuntur. Jerem. 1. v. 18. *Ego quippe dedi te hodiè in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum, super omnem terram regibus Juda &c.* Quippè, ùt ait S. Hieronymus, murus æneus nulla violatur rubigine, nec cæsus imbribûs deperit, sed vetustate fit firmior. Præco ergo verbi DEi & pastor bonus sit columna sustentans infirmos. Sic incorruptus juxta illud Poetæ: *Hic murus aheneus esto, nil conscire sibi.* Pollicetur hìc DEus, ait Theodoretus, Jeremiæ non pacem, nec quietem, sed certamina & victoriam.

Bonus pastor columna.

Ann. Muud. 3412. Josias renovavit templum Domini, repertusque liber, quem Hieronymus ait esse librum Deuteronomii, is liber delatus ad regem, coram eo lectus, quibus auditis rex scidit vestimenta sua zelo divini honoris, & metu vindictæ in regnum.

Convocatis majoribus natu renovavit cum Domino fœdus 4. Reg. 23. sacrificia multa obtulit 30000. ovium agnorum &c. Tantæ fuit pietatis & zeli, ut de illo dicatur 4. Reg. 23. v. 25. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua.* P. Cornel. à Lap. non fuit similis, nimirum, quoad omnimodam Idololatriæ tam in Israele, quàm in Juda excisionem, & religionis reformationem, qua in re Josias omnes antecessores suos etiam Ezechiam superavit, nam alioqui Josia melior & sanctior videtur fuisse David, ait Abulen. Attamen sub tam pio rege Idololatria privatim inveniebatur, unde Dominus ad Jeremiam. Jerem. 7. 17. *Nonne vides quid isti faciunt in civitatibus Juda, & in plateis Jerusalem, filii colligunt ligna & patres succendunt ignem.* (P. Cor-

Josias præfertur cunctis antecessoribus. 4. Reg. 23.

Cornel. q. d. omnes, qui in familia sunt, aliquid conferunt & cooperantur Idololatriæ) *& mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cæli.* Septuaginta vertunt militiæ cœli. Optimè S. Hieronym. & S. Thom. *reginæ cæli*, id est, lunæ, quam Dianam seu Phœben Gentiles vocabant. Sic Ethnici olim placentæ genus, quod bovem à similitudine cornuum appellabant, lunæ offerebant (Cornel. hìc)

Ann. Mund. 3425. Pharaonem Ægypti regem, cognomento Nechao, invasit cupido occupandi Asiæ regni, quare transitum per Judæam primo pacificè petiit, postea dum à Josia rege denegaretur, vi sibi viam patefecit. Occurrit illi Josias cum suis copiis, sed brevi à sagittariis vulneratus, dum ex prælio reduceretur, & in alium currum transferretur, ex accepto vulnere mortuus est. Ita nec sanctis, ut ait P. Bussieres, *illibata semper prosperitas.* Occubuit sagitta, sed hic ictus non iræ divinæ fuit, sed amoris.

Josias rex piissimus in bello occisus. 4. Reg. 23.

Mortuô Josia Joachaz filius ejus secundo genitus cum injuria primogeniti Joakimi, sive Joacimi populi accedente favore in solio patris collocatus, immò & unctus. Interim apparuit Pharao, qui redibat ex Asia per Judæam; conjicere autem possumus cum Abulensi, venisse ad eum Joakimum, & ad illum quasi ad arbitrum à fratre acceptam injuriam detulisse, opem non sine muneribus postulâsse, tributum etiam Ægyptio, si rex fieret, promisisse. Quare Pharao novum regem Joachaz in vincula conjectum amandavit in Ægyptum, ubi juxta prophetiam Jeremiæ obiit.

Succedit illi Joachaz mox amandandus 4. Reg. 23.

Ann. Mund. 3426. Jam ergo beneficio Ægyptii solus regnare cœpit Joakim, magis tamen precario, quam proprio jure. Impius fuit & crudelis iste Joakim, occidit Uriam, Jeremias quoque de vita periclitatus est. 122.

Joakim in locum Joachaz sufficitur. 4. Reg. 23.

Ann. Mund. 3427. Arguebat crudelitatem Joakimi Ezechiel Propheta. Ezech. 19. v. 3. *Eduxit unum de leunculis suis, & Leo factus est: Et didicit capere prædam, hominemque comedere. v. 7. didicit viduas facere.*

Ann. Mund. 3428. Nabulassar sive Nabuchodonosor senior mortuus, cui successit Nabuchodonosor Magnus dictus, qui in captivitatem Joakimum regem Juda vinctum catenis cum multis Babylonem abduxit. 2. Paral. 36. v. 9. Sequenti nihilominus anno rediisse ex servitute censetur Joakim promisso tributo, quod tribus annis solvit.

Joakim vinctus catenis Babylonam abducitur. 2. Paral. 36.

Circa Annum Mundi 3430. Baruch Propheta scripta vaticinia, quæ ille dictante Jeremia Propheta scribebat, coram populo

 ju-

jubetur legere, non erat enim illi par periculum aliena legenti quàm Jeremiæ, ſi adeſſet. Legit ergò hæc vaticinia, in quibus minæ, vaſtitas, fames, peſtis, gladius prædicebantur, legit hos ſermones in die jejunii, in domo Domini, omni populo audiente, legit & apud ipſos Ophmates. Rex autem erat tunc in domo hyemali, & poſita erat coram illo arula plena prunîs. Re autem ad ipſum relata juſſit ad ſe librum adferri, & legi, auditaque parte aliqua Jerem. 36. 23. *Scidit illud ſcapello ſcribæ & projecit in ignem, qui erat ſuper arulam, donec conſumeretur omne volumen igni.* P. Salian. cùm illum decebat ſcindere veſtimenta ſua, & cum lachrymis pœnitentiam agere. Baruch autem & Jeremias abſconderunt ſe divina protectione tuti. At DEus jubet volumen iterum deſcribi, in quo minacia vaticinia contra Joakimum iterantur, inter quæ de ipſo cadavere ipſius ignominioſè projiciendo,

Rechabitæ paterni conſilii obſervantes de non bibendo vino. Jerem. 35.

Circa Ann. Mund. 3431. Factum eſt verbum Domini ad Jeremiam de adeundis Rechabitis, & invitandis ad vinum bibendum contra illorum inſtitutum, quod illi ſe facturos conſtanter negarunt. P. Salian. Noluit quidem Dominus illorum abſtinentiæ propoſitum labefactare, ſed inde argumentum ſumere reprehendendi populum, diviniora magiſque veneranda DEi præcepta violantem. Jerem. 35. v. 14. *Prævaluerunt ſermones Jonadab filii Rechab, quos præcepit filiis ſuis, ut non biberent vinum. Quare dixit Dominus v. 18. pro eo, quòd obediſtis præcepto Jonadab &c. - - - v. 19. non deficiet vir de ſtirpe Jonadab filii Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.* Notat P. Cornel. à Lap. hìc, iſtos Rechabitas originem duxiſſe à Jethro, egiſſe vitam curis vacuam, & prædiîs carentem, in tabernaculis vixerunt per 300. annos. Præceptum hoc Jonadab de non bibendo vino fuiſſe non politicum ſed religioſum, vel certè ipſe filios tam bonos & morigeros ſciebat, ut ultrô ſibi illud imponi ſinerent.

Obedientia perfecta regularum obſervantia.

Daniel abſtinens pulchrior. Dan. 1.

Circa Ann. Mund. 3433. Daniel cum ſociis impetravit à Præfecto Eunuchorum, ne cibis regiis veſcerentur propter legem prohibentem, quo impetrato decem diebus veſcebantur leguminibus, & tamen præ cæteris, qui veſcebantur cibîs regiîs, corpulentiores, & formoſiores apparuerunt, inſtituebanturque ſcientiîs. Hìc notat P. Cornel. â Lap. Quòd temperantia fovet & nutrit humidum radicale, quod intemperantia obruit & ſuffocat. Hinc ſuadet ſchola ſalernitana:

Jejunium roborât.

Si tibi deficiunt medici, medici tibi fiant.
Mens hilaris, requies (ſomnus) facilis, moderata diæta.

In-

Inſuper mater eſt ſapientiæ ſobrietas. Hinc Salomon Eccl. 2. *Cogitavi in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, ut animum transferrem ad ſapientiam.* Monet S. Bernard. de modo benè vivendi c. 14. *non nutrias carnem tuam vermibus, ita manduca, ut ſemper eſurias.*

Ann. Mund. 3433. Joakimo defectionem à Chaldæis ſuaſit Ægyptius, qui regem ſibi vicinum quaſi propugnaculum habere voluit contra Chaldæos. Judæi quoque malebant regem vicinum habere fœderatum, longinquum verò hoſtem.

Ann. Mund. 3436. Nabuchodonoſor rex etſi laborioſam expeditionem contra Tyrios ſuſceperit (obſidio enim Tyri 13. annis illum detinuit) defectionem tamen Judæorum non neglexit, immò cupiebat bello Judaico finem quàm citiſſimè imponere, ut eſſet expeditior contra Tyrios; Quare magna velocitate Hieroſolymam obſidet *ann. mun.* 3436. deditione accepit. At illâ receptâ non ſervavit fidem, ait Joſephus, & florem juventutis Hieroſolymitanæ unacum ipſo rege interfecit, quem etiam interfectum extra mœnia projici juſſit, ut Jeremiæ vaticinium impleretur, oportuitque Uriæ Prophetæ cadaver projectum ſuper ſepulchra ignobilis vulgi vindicari. Advertit P. Salianus in 2. Paral. 36. v. 8. ſignificari, in ejus corpore inventas fuiſſe notas, quæ oſtendebant, eum alicujus idoli ſtigmaticum fuiſſe.



Caput vigesimum quartum.

Joachinus Rex Babylonem captivus abducitur. Susannæ Historia. Ezechielis visio de 4. animalibus, & curru. Ezechielis delineatio in latere obsidionis Hierosolymitanæ. Dormitio ejusdem in uno latere 390. Item 40. diebus. Ejus barbæ & capitis abrasio. Tum raptus Jerosolymam.

123. Joachin Rex aliquot mensium.

EOdem *ann. Mund.* 3436. Nabuchodonosor in demortui Joakimi regis Judæ locum substituit Joachinum, sive Jechoniam ejus filium, is licet vir sterilis dicatur, habuit, ut constat ex lib. Paral. filios octo, quorum secundus est Salathiel, à quo ad Christum usque Davidis familia propagata est; eò dicitur sterilis, quòd nullus filiorum ejus sedit in throno ejus. Idem quoque Nabuchodonosor post tertium mensem veritus, ne memor patris occisi Joachinus regionem ad defensionem propelleret, Babylonem eum captivum abduxit. 4. Reg. 24. v. 14. *Et transtulit omnem Jerusalem, & universos Principes, & omnes fortes exercitus, decem millia in captivitatem - - - v. 15. transtulit quoque Joachin in Babylonem, & matrem regis, & uxores regis, & Eunchos ejus: & judices terræ &c.* Regnum verò tradidit Nabuchodonosor Mathaniæ (cui nomen in Sedeciam commutavit, ut clientem se intelligeret sub Patrono Chaldæo) Patruo Jechoniæ, sive Joachini, jurejurando quoque illum adegit, ut fidem servaret, Ægyptiorum societate abstineret.

Joachinus rex captivus Babylonem abducitur, cùm Principibus & populo. 4 Reg. 24.

Sedecias.

Ann. Mund. 3438. Contigit notissima Susannæ historia, verissima fuit hæc historia, etsi dæmon nobis eam à multis sæculis invideat, (P. Salian) ejusque authoritatem infringere conetur, dicitque S. Hieronymus, eam semper pro Canonica habitam, ut docet & P. Cornel. à Lap. in Dan. c. 13. Continet hæc Susannæ historia illustrissimarum ejus virtutum, fiduciæ in DEum, constantiæ, patientiæ nobilissima documenta. Memoria præsentiæ DEi fragilem roboravit Dan. 13. v. 23. *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in con-*

Historia Susannæ. Dan. c. 13.

spectu Domini. Hìc P. Cornel. q. d. melius est mihi mori corpore quàm anima, satius est DEi, quàm hominum præsentiam & offensam revereri. Pulchre S. Bernard. illa Eccle. 23. v. 26. Verba adulteri *quis me videt*, perpendens ait: *Esto, nemo te videat, non tamen nullus. Videt te Angelus malus, videt te Angelus bonus, videt te & bonis & malis Angelis major Deus.* Fuit sanè Susanna lilium inter spinas, hìc aptè Susanna hebraicè lilium dicitur. Invehitur strenuè Emman. Thesaurus in infensos pudicitiæ senes: *Post Patriæ incendia sceelestiores flammas Babylonem adtulistis hypocritæ, perjurii, ardentes nives, quid de nobis existiment hostes, si optimates peccant, Judices pejerant, senes lasciviunt*; inducitque Susannam loquentem. *Quid multa mutatur rerum scena, desultant vincula à me ad senes, ego ad thalamum ducor, illi ad flammas, ut benè ardeant, qui malè arserant.*

Jeremiæ liber vaticinius demergitur: Isai. 51.

Ann. Mund. 3439. Profectus Sedecias Babylonem, sive devincendi sibi Nabuchodonosoris gratiam, sive liberandi Jechoniam regem à vinculis. Misit Jeremias per Saraiam vaticinium de calamitate Babyloniorum, quæ illos expectabat à Persis & Medis, jussit Saraiam legere librum vaticinii coram populo, deinde eundem alligatum lapidi in Euphratem projicere cum imprecatione hac contra Babylonem Jerem. 51. v. 64. *Sic submergitur Babylon.* P. Cornel. à Lap. ante hoc caput: Quô factô designabat projiciendam Babylon æterna scilicet & irreparabili ruina.

Denunciavit quoque Jeremias longam futuram servitutem, jussus enim fuit à Domino sibi catenas, ac vincula facere, ac cervicibus suis imponere, & per urbem circumferre, vicinísque principibus mittere in monumentum Babylonicæ servitutis. Itaque tam ipsis quàm Sedeciæ author fuit Jeremias, ut fidem servarent Judæi Chaldæis. Cùm ergo Jeremias de chaldæico Jugo multum verbis, factísque prophetaret, & mendacii pseudoprophetas super vasorum restitutione argueret, unus eorum Hananias nomine ad confirmandam falsam promissionem suam, de 70. annis in biennium commutandis, invadit Jeremiam & jugum de collo ejus ereptum in totius populi conspectu confringit. Jerem. 28. v. 10. *Et tulit Hananias propheta catenam de collo Jeremiæ Prophetæ, & confregit eam*, ratus fortasse, omnes istas gentes, quæ ad libertatem aspirabant, brevi in conjurationem consensuras. E contra Jeremias jussu Dei denunciat fore; ut jugum ligneum in ferreum mutetur. v. 13. *Catenas ligneas contrivisti, & facies pro eis catenas ferreas.* P. Cornel. à Lap.

Jeremias vinculis se onerat. Jerem. 27.

à Lap. hìc q. d. O Hanania, tu non vis ligneum jugum, quod ego ſuadeo, ut ſcilicet Judæi ſpontè dent ſe Chaldæis, hinc facies, id eſt, cauſa eris, ut fiant catenæ ferreæ. Notat deinde hìc modum P. Cornel. quo Deus duros & rebelles Judæos, qui jugum ſuave Dei excuſſerant, compulit ad illud reſumendum, imponendo illis jugum durius Chaldæorum. Nam ut ait S. Paulus, duri durè ſunt increpandi, Tit. 1. v. 13. *Increpa illos* (Cretenſes) *durè.* De illis enim paulò ante dictum v. 12. *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.* Et de his ait Chriſtus Lucæ 14. v. 23. *Compelle intrare.* Pulchrè S. Bernard. in Sentent. *Venientium ad cælum quatuor ſunt claſſes. Cœlum enim rapiunt pauperes ſpiritu, mercantur divites, furantur miſericordes, compelluntur miſeri & afflicti.* Hananiæ verò dixit Jeremias: Jerem. 28. v. 16. *Hoc anno morieris, adversùs enim Dominum locutus es, & mortuus eſt Hananias in anno illo.*

Laguncula confringitur in ſignum confrigendi populi. Jerem. 19

Hoc probabiliter (P. Salian.) anno contigit vaticinium Jeremiæ prophetæ, quod edidit juſſu Domini, accepta à figulo lagunculâ teſtaceâ, quam ille in valle filiorum Ennom confregit in conſpectu populi, dixitque ità conterendum populum, ut reſtaurari non poſſit. Ibique denunciavit afflictionem tantam, ut qui audierit, v. 3. *Tinniant aures ejus.* P. Cornel. præ dolore & pavore q. d. ità percellentur metu, ac ſi validiſſimo tonitru aures ferirentur. Prædixit horrendam Judæorum cladem, in qua illud impletum. v. 9. *Et cibabo eos carnibus filiorum ſuorum, & carnibus filiarum ſuarum, & unusquisque carnem amici ſui comedet in obſidione & in Anguſtia.* P. Cornel. Id accidit Hieroſolymæ in obſidione Chaldæorum. Pleniùs hoc contigit, ait S. Hieronymus, obſeſſis à Tito & Veſpaſiano.

Ann. Mund. 3440. Contigiſſe 124.
cenſetur illuſtris illa Ezechielis viſio de quatuor animalibus. Cujus, expoſitionem factam à P. Hieronymo Prado. P. Salianus cenſet eſſe veriſimilem, quæ horribile monſtrum 4. capitum effugiat, nec ſingulis animalibus quatuor capita tribuat, quaternas tamen formas ſive figuras animalium ſingulis decore accommodet. Facies hominis videbatur in erecta corporis figura in vultu juvenili, brachiis, manibus, cruribus & tibiis humanis, facies Leonis apparebat in cervicibus armis, atque pectore jubato, facies aquilæ in alis quaternis, quarum duabus volabant, & duabus medium tegebant humani corporis. Facies deinde vituli cernebatur in biſſidis pedum ungulis. Quatuor autem iſti juvenes quatuor ex lateribus currum Domini circum-

Ezechielis viſio de 4. Animalibus. Ezech. 1.

cumſtabant, qui tanquàm è curru bellico invehebat in Jeruſalem divinæ indignationis, atque ultionis incendium.

P. Cornel. à Lap. per 4. animalia intelligit quatuor primarios Angelos, qui ſunt quaſi principes & ſtipatores Dei, mundi & Eccleſiæ protectores, omníſque providentiæ & gubernationis Dei adminiſtri, ac nominatim belli victoriæ & triumphi, quem de Pharaone & Ægypto, aliiſque hoſtibus egit. Videtur deinde eidem vera, & quaſi certa ſententia eorum, qui 4. hiſce animalibus & Cherubinis dant quatuor facies ſive vultus, conſequenter totidem capita, aut potiùs ſemicapita, ita, ut anterius quodlibet haberet caput & faciem hominis, quaſi primariam & eminentiorem, cui à dextris inſerta vel annexa erat facies & caput Leonis, à ſiniſtris facies & caput vituli, ſurſum facies & caput aquilæ. Probátque hanc ſententiam multis rationibus. Dicítque non obeſſe monſtroſitatem iſtis animalibus, nam & illa, quæ vultum habent hominis, jubam Leonis &c. ſunt monſtroſa. Monſtrîs ergo utitur ſcriptura, quaſi hieroglyphicis, perinde ac Ægyptii, ut per eas res monſtroſas & miras, arcanas & magnas demonſtret. De illis animalibus dicitur Ezech. 1. v. 12. *Ubi erat impetus ſpiritûs, illuc gradiebantur,* Quod tropologicè expendens S. Greg. init. Hom. 5. ait: *Electos impetus ſpiritûs agit ad charitatem, humilitatem, continentiam &c. - - - reprobos agit impetus carnis ad gulam, odium, rixas &c. Examina ergo, uter ſpiritus te agat, & cave, ne impetus carnis pro impetu ſpiritûs latenter ſe ſubjiciat.*

Rotæ oculatæ circumſpectionis Symbolum.

De rotis currûs viſis ab Ezechiele dicitur Ezech. 1. v. 18. *ſtatura quoque erat rotis & altitudo & horribilis aſpectus; & totum corpus oculis plenum in circuitu ipſarum quatuor.* P. Cornel. à Lap. hìc: myſticè oculi hi ſunt ſymbolum circumſpectionis in regimine orbis & reipublicæ. Hinc tam rotæ, quàm Cherubin, ut patet c. 10. 12. pleni erant oculis, quot ergo vides noctu ſtellas in cœlo, tot & longè pluribus Angelorum & Beatorum oculis cogita te ubique aſpici. Maximè verò cogita oculum illum Dei lucidiſſimum.

NB. De his animalibus oculatis vide infra n. 243. Apocal. 4.

Tropologicè ſignificatur Rectorem debere eſſe pervigilem, ut omnia circumluſtret. Symbolicè P. Cornel. à Lap. dicit hunc currum Cherubim eſſe Symbolum gloriæ Dei, ut dicitur c. 21. id eſt, primæ eſſentiæ & beatitudinis, providentiæ item & poteſtatis & regni Dei. Hinc conſequenter currus hic eſt cœlum & univerſum, cui Deus præſidet, rotæ ſunt cœli & orbes cœleſtes, Rota in medio rotæ ſunt rotæ inferio-

Currus quid?

feriores medii inter cœlum & terram. Addit Apollinaris Symbolicè per rotam in medio rotæ significari misericordiam & justitiam, quæ à Deo quasi pariter & vicissim procedunt, tanquam eant in orbem. Currus hic seu quadriga adumbrat quoque 4. Monarchias, inquit Lyranus: Maldon: S. Justin.&c. puta Chaldæorum, Persarum, Græcorum & Romanorum. S. Irenæus. S. Athan. S. Augustin. & communiter P. P. & D.D. accommodant 4. Cherubim 4. Evangelistis. Tropologicè significant rotæ omnes creaturas à Deo rotari, volvi & gubernari juxta illud Eccles. 1. v. 4. *Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum stat.* Species hominis in Solio (de quo Ezech. 1. v. 27. *Et vidi quasi speciem Electri, velut aspectum ignis*) quæ supernè videbatur esse ex Electro intrinsecùs ignito, infernè verò esse ignea & amicta iride repræsentavit Majestatem Dei, Electrum enim sive Aurichalcum, præstantissimum, fulgidissimum, sonantissimum. Tropologicè P. Cornel. electrum ignitum sunt Sancti in camino tribulationis, & charitatis, ac præsertim martyrii, probati, excocti, & electi, de quibus Sap. 3. v. 6. *Tanquàm aurum in fornace probavit illos.* Rursum ignitum est vita prædicantium Sonans & ardens, uti docet S. Gregor. œs candens dicitur, quia vita prædicantium sonat, & ardet, ardet desiderio, sonat verbô.

Misericordia & justitia pariter incedunt.

Species Electri.

125. Eodem Anno 3440. Censetur datum præceptum illud Ezechieli, de quo Ezech. 4. v. 1. *Et tu fili hominis sume tibi laterem, & pones eum coram te: & describes in eo civitatem Jerusalem. v. 2. Ordinabis adversùm eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in Gyro. v. 3. Et tu sume tibi sartaginem ferream, & pones eam in murum ferreum inter te & inter civitatem: & obfirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obsidionem, & circumdabis eam: signum est domui Israel. v. 4. . Et tu dormies super latus tuum sinistrum, & pones iniquitates Domûs Israel super eo, numero dierum, quibus dormies super illud, & assumes iniquitatem eorum. v. 5. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos & nonaginta dies: & portabis iniquitatem Domûs Israel. v. 6. Et cùm compleveris hæc, dormies super latus tuum dexterum secundò: & assumes iniquitatem domus Juda 40. diebus: diem pro anno.* Præscriptum quoque Ezechieli certum cibi-genus ex frumento &c. de quo v. 12. *Et quasi subcinericium hordaceum comedes illud; & stercore, quod egreditur de homine, operies illud in oculis illorum v. 13. Et dixit dominus: sic comedent filii Israel panem suum*

Ezechielis delineatio in latere obsidionis Ezech. 4.

pollu-

pollutum inter gentes, ad quas ejiciam eos.

Circa dicta nota ex Cornel. à Lap. hìc. *Laterem* juxta Lyranum accipi hìc crudum, non igne decoctum, aliàs non posset in illo propheta civitatem describere. Moraliter igitur Jerusalem obsessa est anima, posita in peccato, contra quam divinæ justitiæ munitiones diriguntur, non tamen in latere decocto, sed crudo, qui facilè aquâ dissolvitur, ut intelligamus divinæ iræ munitiones contra peccatores lachrymîs pœnitentiæ posse dissolvi.

Lachrymarum pœnitentiæ vis.

Per Sartaginem intelligitur patella aliqua ferrea, in qua friguntur carnes, pisces &c. posuit itáque Propheta inter se & civitatem Sartaginem ferream, ut significaret quasi ferreum murum interjectum esse inter se personam Dei gerentem, & laterem, in quo civitas delineata, adeóque Dei sententiam contra illos latam, esse inexorabilem, nec Deum misericordiâ flectendum. Ità Theodorét. S. Hieronym. &c. Sartago ergo sunt atrocia crimina, quæ iter ad Dei misericordiam impediunt. Quantum ad dormitionem Ezechielis S. Hieronym. Vatablus & alii censent fuisse imaginariam visionem, quia natura non patitur, ut tot dies in uno latere homo dormiat. Sed respondet P. Cornel. à Lap. revera Ezechielem decubuisse in sinistro latere per dies 390. & in dextero per dies 40. Quia revera hoc Deus jussit. Quia v. 12. dicitur defacto ità eum decubuisse *in oculis eorum.* Non dormivisse quidem semper, sed jacuisse hoc situ, nunc dormientem, nunc vigilem. Porrò id fieri potuisse, si non per naturam, certè per specialem Dei opem, nemo dubitat. Vidítque P. Cornel. Lovanii paralyticum 10. annîs mirâ patientiâ jacuisse Supinum. Notandum quod cubare in latus sinistrum est molestum & anxium, quia tunc cor, quod in sinistrum latus propendet, à super imposito hepare æstuat, & suffocatur. Unde hæc cubatio Symbolum est animi solliciti, & sæpè evigilantis ob periculum imminens. Is habitus fuit Chaldæorum urbem sollicitè obsidentium. In dexterum verò latus cubare somnum facit suavem, qualis est ejus, qui curâ solutus est: hæc ergo cubatio signum est victoriæ, qua scilicet Chaldæi urbe captâ præ gaudio, & Judæi rebûs desperatîs præ mœrore profundè dormierunt.

Peccata nostra impediunt dei misericordiam.

Dormitio 390. dierum.

Pro numero annorum iniquitatis Israelis 390. diebus, & Judæ 40. jacuit propheta, quos años varii variè computant. Portendebatur quoque diebus 390. urbis obsidio, diebus 40. exci-

dium

dium (quia ultimis 40. non exprimitur, ut paret sibi panem, quia capta urbe non fuit tanta fames) nam per 390. dies fuisse urbem obsessam patet numeranti, numeratque P. Cornel. Sumunt itáque aliqui iniquitatem pro culpa, P. Cornel. pro pœna iniquitatis, quia additur *portabis iniquitatem domus Israel* q. d. tot diebus Ezechiel catenis gravatus sustinebis molestiam debitam iniquitatibus Israel, atque eâ tolerantia repræsentabis molestiam, quam ipsi laturi sunt totidem obsidionis diebus. Per Israel accipit scriptura tam Israelitas quàm Judæos, quia utrique commisti fuerunt in Judæa, maximè postquàm 10. Tribus majori ex parte abductæ fuerunt in assyriam.

bus & po- Ezechielis tenuis & vilis, Rzech. 4.

126. Quantum ad cibum Ezechielis, quem jussus fuit sibi parare. Advertit P. Cornel. non vult illini stercus pani, ut cum eo comedatur (uti vulgus autumat) sed tantum eum coqui sub cinere stercoris humani, facto ex siccato stercore humano, sicut stercore sicco boum rustici deficientibus lignis ignem & cinerem faciunt. Fecit ergò sibi propheta dictos panes 390. pro numero dierum, quibus singulis, panibus singulis usus, pondus illius panis in singulos dies non adæquavit libram. Tam modicus fuit cibus decumbentis Prophetæ. Sumebat quoque potum in mensura. v. 11. *Aquam in mensura bibes, sextam partem Hin.* P. Cornel. putat duos sextarios Italicos. Exiguus hic potus prophetæ significabat sitim futuram obsessæ urbis.

Hin fuit certa mensura.

Moraliter hìc discendum, quàm Deus suos illustres amicos exerceat, quàm dura illis imperet, quàm eos mortificet, ut sint in exemplum & portentum toti Orbi, quàmque jubeat suos stultescere mundo, ut sapiant Deo.

Ezechiel radit caput & barbam. Ezech. 5. in signum magnarum calamitatum.

Immediatè sequenti capite 5. Ezechielis mandavit Dominus Ezechieli, ut raderet caput & barbam, atque divisis trifariam capillis unam tertiam illorum pilorum combureret, alteram concideret gladio, tertiam dispergeret in ventum, ut per hoc portenderet; tertiam partem Hierosolymæ consumendam peste & fame, tertiam gladiô, & tertiam dissipandam per orbem. Moraliter notat hìc P. Cornel. à Lap. quòd Deus abradat illos, qui sunt pilo tenùs & barba tenùs sapientes viri, id est, qui extrinsecùs videntur cordati, interiùs nil habent cordis, & sapientiæ, quales erant Judæi. Apud priscos Romanos barbati proverbiali jocô vocabantur homines simplices moribus, rusticanæque veritatis, hinc Juvenal. *Facile est barbato imponere regi.* Notat similiter hominem coram Deo esse quasi unum pilum, quod ergo nobis est caput capillis densum, hoc Deo est orbis refertus hominibus. Ne Cæsaries luxuriet, tondetur, & ne hominum progenies nimìs excrescat, demetitur à Deo, quæ enim regio omnes caperet, quæ tellus aleret?

Raptus Ezechielis Hierosolymam Ezech. 8.

Ann. Mund. 3441. Contigisse censetur raptus in spiritu Ezechielis Babylone in Hierosolymam. Porrò cùm sederet Ezechiel in domo sua (P. Salian) visus est sibi per medium aërem, instar volucris sublimis vehi, & transferri in Jerusalem, ipsúmque templum, ibi vidit idolum Baal, quod vocatum est Zeli juxta ostium interius. Vidit scelera, quæ à Judæis in secreto fiebant, vidit 70. Seniores adorare simulacra depicta. Ostensæ eidem mulieres sedentes, & plangentes Adonidem. Introductus in atrii sacerdotalis intima, vidit 25. viros dorsa vertentes Sanctuario. Ostensáque illi cœdes Hierosolymis perpetranda propter hæc scelera. Quoniam verò flamma quoque vastatura erat civitatem ac templum, jussus est Angelus in conspectu prophetæ implere manum suam prunîs & è prunario, quod erat in extremo curru Domini, effundere super civitatem tanquàm omen incendii. Sícque currus gloriæ Domini ascendit de civitate, stetitque supra montem olivarum, & propheta visus est sibi rursùs transferri in Chaldæam, sublatáque illi visio imaginaria, quam videbat, & locutus est ad transmigrationem, quæcunque illi Dominus in illa visione patefecerat.

Pœna sequetur scelestos Ezech. 10. v. 6

Templi irreverentia punita.

P. Cornel. à Lap. ad illa verba Ezech. 8. v. 16. *Dorsa habentes contra templum Domini*, advertit, quòd Idololatriæ vitandæ causâ Deus jusserit Sanctum Sanctorum erigi ad occidentem, quo circa Judæi orabant conversi ad occidentem, ad Sancta Sanctorum. Quòd verò, cùm cessavit hæc idololatria, Christiani adorant Deum conversi ad orientem, assignant causam S. Chrysostomus, Theodor. &c. Quia in oriente erat paradisus. P. Cornel. has assignat, tum quia cum sole oriente illo die prima beneficia Dei recipimus, tum quia Christus facie a templo & Jerusalem aversa ac conversa in occidentem, puta ad gentes, crucifixus est. Ergo conversi ad orientem respicimus, & adoramus faciem Christi crucifixi,ità Damascen. l. 4. de fide. Addit duas causas S. Thom. 2. 2. q. 84. 1. propter divinæ Majestatis indicium, quod nobis manifestatur in motu cœli, qui est ab Oriente. 2. propter Christum, qui est lux mundi, & oriens nominatur Zachariæ 6.

Mundi splendori tergum vertendum à Religiosis.

Christiani orant versi ad orientem.

Caput vigeſimum quintum.

Judæorum obſtinata malitia. Obſidio Hieroſolymæ. Sedecias captus, & mortuus. Arca Domini ubi ſervata. Godolias occiſus. Jeremias in Ægyptum abductus, ibidémque occiſus. Nabuchodoſonoris magna Potentia.

127. Judæorum obſtinata malitia.

A*Nn. Mund.* 3443. Hortabatur Jeremias, qui unus è prophetis reſiduus erat Hieroſolymis, Sedeciam & uxorem ejus, ut imminente tanta calamitate faſtum deponerent, & converterentur ad Dominum. Tunc autem mirum in modum perditi fuerunt Judæorum mores, ità, ut nulla ſpes emendationis eorum videretur. Quòd illa verba Jeremiæ ſignificant. Jerem. 13. 23. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.*

Conſuetudo multùm valet.

P. Cornel. à Lap. hìc q. d. ſicut hoc eſt impoſſibile per naturam, ità iſtud eſt valdè difficile, inquit S. Hieronymus: ô Juda, peccandi conſuetudo quaſi verſa eſt in naturam: non quòd benè agere tibi ſit omninò impoſſibile, ſed quòd ſit difficile. Moraliter diſcendum, quanta ſit vis conſuetudinis, dixit S. Chryſoſt. *Nihil tam firmum eſt in rebus humanis, quàm veteris conſuetudinis tyrannis.* Audi S. Auguſtin. 8. Confeſſ. 5. De ſe, loquentem: *ſuſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate.* Ne quis tamen peccare aſſuetus deſperet, ſciat, quamvis conſuetudinem vinci poſſe, imò per gratiam Dei, ejúſque conſtantem & aſſiduam implorationem. Expertus id D. Auguſtin. qui de ſe ait l. 9. Confeſſ. 1. *Tam ſuave mihi ſubitò factum eſt, carere ſuavitatibus nugarum, quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejicibas enim eas à me, & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior.* 2. Per crebram reſolutionem, quòd velit conſuetudinem tollere, verè Seneca L. 2. de Ira. c. 12. nihil eſt tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat aſſidua meditatio. 3. Per Exer-

citium

citium contrariæ virtutis, conſuetudo enim conſuetudine vincitur. Cæterùm Sedecias contra datam fidem à Chaldæis Tyrio bello occupatis defecit, auxilio Ægyptiorum fretus, & ad libertatem fatali quadam dementia aſpirans. 2 Paral. 36. 13. *A rege quoque Nabuchodonoſor receſſit, qui adjuraverat eum per Deum: & induravit cervicem ſuam, & Cor, ut non reverteretur ad Dominum Deum Iſrael.*

Fides Servanda etiam hoſti.

Audita defectione Sedeciæ Nabuchodonoſor, bellum paravit, juxta prædictionem Ezech. 21. 21. Sortitionem per ſagittas, quò iturus eſſet, Jeruſalem verſus, an aliò, in bivio inſtituit, Hieroſolymámque petiit, ac obſedit.

Obſidio Hieroſolymæ. Jerem. 37.

Adiit perculſus pavore Sedecias Jeremiam prophetam, qui prædixit illi, & urbi interritum; quare converſus ad placandum Deum Sedecias. Interim Jerem. 37. v. 4. *Exercitus Pharaonis egreſſus eſt de Ægypto, & audientes Chaldæi, qui obſidebant Jeruſalem, hujusce modi nuncium, receſſerunt à Jeruſalem.* Soluti metu rex & Judæi ad ingenium rediêre. Iteravítque deinde minas Jerem. v. 7. *Et redient Chaldæi, & bellabunt contra civitatem hanc, & capient eam & ſuccendent eam igni.* Cúmque Jeremias egrederetur de urbe, profecturus in oppidum Anathot, unde ipſe oriundus erat, comprehenſus, tanquam transfuga in judicium tractus, cœſus, in carcerem horribilem conjectus, inde evocatus à rege prædicit eidem, illum in manus Chaldæorum traditum iri. Conqueritur coram rege de carcere, ejus mutationem exorat, deducitur in veſtibulum ſive atrium ejus, ubi à rege victum deinde accepit, quamvìs laborante fame civitate, Chaldæi verò repulſis ægyptiis redeunt, Jeruſalem obſidione ſtringunt.

Anno Mundi 3445. Totus hic annus in magnis animorum & corporum anguſtiis Judæis actus, extra à Chaldæis, intra à fame, ſiti, & peſte affligebantur. Conſulit Sedecias per prophetam Dominum, reſpondet propheta Jeremias, debellandum à Domino Sedeciam cum populo ſuo; perſuadet populo deditionem ea lege, ut, qui ad Chaldæos transfugerit, victurus ſit, qui in civitate remanſerit, gladio, fame, & peſte ſit periturus, quæ ſine inſigni animi magnitudine dicere non potuit, cùm præteritô annô ob ſuſpicionem transfugii carcerem tetrum paſſus fuerit.

Jeremias hortatur populum ad deditionem Jerem. 38.

Sub tempus obſidionis juſſit Dominus Jeremiam Jerem. 32. emere prædium patruelis ſui Hanameelis, quod ille præſtitit, adhibito omni legitimæ emptionis ritu, & quidem vili pretio, pro ſtatu rerum perturbatiſſimo. Quod, cùm ipſe miraretur, intellexit Dominum hoc facto adducere velle popu-

lum

lum in spem reversionis à captivitate Babylonica. Ita P. Salianus.

128. *Ann. Mund.* 3446. Interim urbs variis angustiis, præcipuè sævissima fame, obsidione jam 19num mensem durante afflicta, quæ angustiæ (P. Salian.) patres & matres &c. in mutuas animabant cœdes, qui artus fœdè laceratos, nefarios in cibos convertebant. Jeremias verò crudeliter ab impiis in cœnosum puteum (Jerem. 38.) accusatus, quòd de industria bellantium manus dissolveret, permissu regis injicitur. Inde ad instantiam Abdemelechi Æthiopis jussu regis extrahitur, ac in vestibulum carceris reducitur.

Captivorum liberatio Deo grata.

Hìc notandum cum P. Cornel. à Lap. hìc ad v. 12. quàm gratum sit Deo incarceratos, præsertim justos visere, & liberare, iste enim Abdemelech, quia liberavit de carcere Jeremiam, solus cladem Hierosolymæ Dei oraculo evasit, quod patet Jerem. c. 39. 16.

Consulit deinde privatim Jeremiam Sedecias Jerem. c. 38. cui ille responsionem ob mortis metum dare cunctatur, tandem jurejurando illius confirmatus, respondet, eique deditionem suadet, at rex timens à transfugis illudi, non acquiescit. Fugitivi autem Judæi gratiam Jeremiæ apud Nabuchodonosorem conciliarunt, cùm dixerint, se suasu illius transfugisse, esse illum virum Sanctum, prophetam, quare rex Nabuchodonosor propensiore in illum animo factus, præcepit Nabuzardano Magistro militiæ, ut capta civitate omni eum humanitatis officio prosequeretur, quod postea & factum. Occupata deinde à Chaldæis porta, à septentrione rex noctu occulta aliquâ viâ fugit, sed eum Chaldæi assequuntur, ad regem Babylonis pro tunc ob loci amænitatem in Reblata 4. circiter dierum itinere à Jerúsalem distante degentem cum filiis parvulis adducunt, cui exprobravit Nabuchodonosor infidelitatem, ingratitudinem, in oculis ejus jussit filios parvulos trudicari, ipsi verò Sedeciæ oculos erui, oneratúmque catenis Babylonem duci. Atque ità concidit regnum Juda, quod à Saule primo rege (P. Salian.) stetit annis 486. cùm Davidis familia per unum & 20. reges propagata esset.

Sedecias rex captus, excœcatus Babylonem ductus. Jerem. 39.

Abiit ergo mensis unus in cœdibus & populatione civitatis, quo interim tempore princeps exercitûs consuluernnt regem, quid Hierosolymis fieri placeret, ille autem Nabuzardan ducem misit cum mandatis, ùt ait Josephus, qui templum spoliatum incenderet, regiâ quoque crematâ urbem à fundamentis dirueret, populum Ba-

Babylonem abduceret, quod ille fideliter præstitit. Libri sacri probabilius (P. Salianus) à Jeremia, Daniele, Ezechiele, Baruch, aliísque privatim conservati, etiam in captivitate Babylonica, existentibûs. Pauculæ autem rudi & imbelli plebi, quæ nomine Chaldæorum agros coleret, Godoliam quemdam præfecit Nabuchodonosor, qui illam regeret. Hic Godolias videtur esse aliquis ex transfugis Judæis. Cum Jeremia verò ità actum fuisse videtur; abductus is cum aliis captivis vinculis oneratus, sed agnitus à Nabuzardan catenîs solutus, ac honorificè habitus; data illi potestas vel manendi in Judæa cum Godolia, vel Babylonem eundi, elegit is reliquias Judaici naufragii curare & cum Godolia remanere. Addit Josephus, etiam Baruch prophetam precibus Jeremiæ datum cum Jeremia in Judæa mansisse.

Arca Domini ubi conservata.

Sub finem præteriti anni quidam de primariis Sacerdotibus, Jeremia non solùm conscio, sed authore arcam fœderis & altare incensi, ignem perpetuum, nonnulláque alia abstulerunt, ac in subterraneo aliquo loco maximô studiô absconderunt. Dum verò abière Chaldæi, Jeremias de Sacro deposito sollicitus, divino monitu locum adit, indéque trans Jordanem transtulit in montem, ex quo Moyses terram Chanaan sub mortem contemplatus fuerat, quò cùm venisset 2. Machab. 2. 5. *Jeremias invenit locum speluncæ: & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. v. 6. Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum, & non potuerunt invenire. v. 7. Ut autem cognovit Jeremias, culpans eos dixit: quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi & propitius fiat.* Eô ministeriô functus Jeremias Hierosolymam rediit, rudera ipsius per otium contemplatus est, quæ planxit ea lamentatione, quæ illius prophetiæ subjecta est. 2. Machab. 2. v. 7. *Quòd ignotus erit locus* (arcæ, tabernaculi, & altaris incensi) *donec congreget Deus congregationem populi.* Quæres, an & quomodò hoc factum vel adhuc faciendum sit? Nonnulli id factum putant sub Nehemia & Dario Hydaspis, quandò populus Judaicus in Babylone dispersus inde rediit, & congregatus fuit in Jerusalem, & templo, ibique ignem à Jeremia reconditum, per aquam crassam in ignem conversam recuperavit &c. Ità Tornelius & alii. Verùm (ait P. Cornel. à Lap. in hunc locum) contraria sententia, uti communior, ità verior est; scilicet arcam, tabernaculum, & altare incensi,

incensi, non fuisse reperta cum igne sacro sub Nehemia & Dario, sed revelanda fore sub finem mundi, quando Deus per Eliam, & Enoch populum suum, id est, Judæos ad Christum convertet, eósque in unam Ecclesiam cum gentibus congregabit; tunc enim Elias, ut eos in fide Christi confirmet, ostendet illis arcam hìc à Jeremia in illud ævum promissam. Probatur 1mô: quia, si hæc inventa fuisset cum igne, utique Auctor hic idipsum hìc narraret, uti narravit de igne, hoc enim ad rem præsentem planè pertinebat, jam autem nil tale hìc narrat.

2dô, quia sub Nehemia non est facta integra congregatio populi, ut patet v. 18. & c. 2. 37. multi enim Judæorum manserunt in Babylone, alii in alias regiones fuerunt dispersi. 3tiô si reperta fuisset, tunc in templi secundi exspoliatione, quæ per Titum facta est, arca in spoliis poneretur, at non ponitur apud Josephum l. 7. de bello c. 17. & 19. Immò idem l. 6. expresse docet, tunc in Sancto Sanctorum nihil omninò fuisse: cùm idem Sanctum Sanctorum ingressus est Pompeius, quid in templo fuerit, numerat idem Josephus diligenter l. 14. antiq. c. 8. de arca tamen semper mutus. Quo circa Romæ in arcu triumphali Titi cernimus effigiem candelabri aurei, & mensæ panum propositionis, non autem arcam depictam. 4tô, quia hæc est communis hebræorum sententia, qui constanter asserunt, hæc vasa defuisse in secundo templo. Idem asserunt Latini & Græci, uti S. Epiphan. & Doroth. S. Thomas, Bellarmin. & alii.

Nonnulli addunt, Hebræos deficiente arca, tabernaculo, & altari incensi à Moyse fabricatis, similia fabricâsse, illáque in secundo templo (hunc enim ornatum sibi proprium exigebat templum) reposuisse. Idque sat colligitur ex 1. Mach. 1. 23. & ex Hegesippo l. 1. c. 17. ubi ait, Pompejum tabulas testamenti & Cherubinos (non Mosaicos, sed Mosaicis similes) in templo vidisse.

Porrò defuit in templo secundo arca fœderis, quia in ipso apparituros & docturus erat Christus per arcam figuratus. Unde mysticè S. Ambrosius l. 1. officiorum c. 14. & Rupertus c. 24. hoc vaticinium Jeremiæ impletum censent; cùm in templo congregato toto populo se videndum exhibuit Christus, qui est vera arca novi testamenti, continens tabulas legis Evangelicæ, & manna Eucharistia. Vide dicta Exod. 25. 10. Hæc ex P. Cornel. à Lap. plura circa istam arcam vide infra Num. 144.

Eodem

129. Godolias occisus. Eodem anno Godolias ab Ismaele, qui erat de sanguine regio, dignitatem illi invidente occisus, tunc, dum convivio excepisset eundem Ismaelem. Nec his contentus Ismael reliquias populi, qui erat in Masphat, abduxit ad Ammonitas, contra hunc venit Johanan & reliqui viri militares, excusáque illi è manibus prædâ ad Ammonitas se recipere compulerunt. Iste deinde Johanan timens, licèt immeritò Chaldæos, contra consilium Jeremiæ cum reliquis Judæis in Ægyptum se contulit, illúcque abductus Jeremias & Baruch. Atque ità regio Judæorum planè mansit deserta. (Jeremias in Ægyptum abducitur.)

Ann. Mund. 3448. Judæi in Ægypto scelestissimam vitam continuârunt, calamitates suas non suis peccatis sed Dei cultui tribuentes, felicitatem autem, si quam unquam degustassent, cultui idolorum, ingratissimo animo adscribentes, ad prophetæ voces obsurdescentes; immò existimantes se molesto admonitore carituros, si eum de vivis tollerent, cùm diuturna & vehemens illius objurgatio, cum illorum pervicacia pugnaret, lapidibus eundem obruerunt, hoc genere mortis eum occubuisse testis est Epiphanius, Hieronym. &c. Isidorus lib. de ortu & obitu prophetarum ait, Jeremiam in Ægypto pro liberatione à serpentibus Deum orasse, ipsísque sublatis magno apud illos in honore fuisse, ac juxta regis palatium sepultum. Mortuum quoque beneficia præstare fidelibus author est Epiphanius, & facta ad ejus sepulchrum oratione, sumpto inde pulvere, morsibus aspidum mederi, & Crocodilos e suis finibus profligari. (Jeremiæ mors & miracula.) Eodem anno Sedecias rex magnas calamitates perpessus, morte miseram vitam mutavit, spes tamen salutis illius affulget, quòd eum hìc castigaverit Dominus, & quòd Ezechielem ac Danielem prophetas, socios in captivitate sua habuerit. Accedit, quòd Baruch scribat, eum vasa argentea in templo Domini fecisse eorum loco, quæ Nabuchodonosor abstulerat. (Sedecias rex captivus moritur.)

Ann. Mund. 3451. Expeditionem suscepit Nabuchodonosor rex Babylonis in Ægyptios, ac juxta prophetarum prædictionem illos confregit, in captivitatem cum illis quisquiliis Judæorum abduxit, idola eorum destruxit. Barbaræ enim gentes etiam contra alienos deos pugnabant: Revertens ex Ægypto Nabuchodonosor, Idumæos, Syros, Arabes, aliósque circumquaque populos (Nabuchodonosor Ægyptios conterit.)

los oppressit, Babylonémque ad hyberna rediit.

Ann. Mund. 3452. Collectam pecuniam cum vasis argenteis redemptis transmigrati miserunt Hierosolymam ad Joakim pontificem, miserunt etiam litteras, in quibus hortabantur, ut in altari (quod tumultuario opere præteritô annô exstructum erat) holocaustomata, thus &c. offerret pro peccato, ut orarent pro Nabuchodonosore.

Eodem annô contigit expeditio Nabuchodonosoris contra nationes circumpositas. Primùm contra Emalitas sive Persas Chaldæorum fuit. Hi Persæ erant sagittarii peritissimi, utpotè, qui teste Strabone, illi studio ab annô 5tô ætatis vacarent, hos Nabuchodonosor vicit, regnúmque eorum occupavit. Babyloniorum quoque jugum Medi subiêre, qui ab everso Assyriorum imperio Chaldæorum æmuli de Asiæ atque orientis imperio certavêre. Itáque Cyaxares, qui nunc apud Medos regnabat, factus est Chaldæorum Cliens & vectigalis. Contra Reges quoque Aquilonis feliciter pugnavit Nabuchodonosor, Niniven funditùs evertit, cujus jam nulla amplius in scriptura mentio. Ruinæ illius causam suspicari possumus defectionem ad Medos.

Persas, Medos subjugat.

Niniven subvertitur.



Caput

Caput Vigesimum sextum.

Nabuchodonosoris somnium de Statua quatuor Imperia significante. Statua aurea Nabuchodonosoris, quam voluit adorari. Tres pueri in igne illæsi. Visio Ezechielis de restaurando Templo.

130. Nabuchodonosoris somnium de Statua Daniel. 2.

A*Nn. Mund.* 3453. Mirabile somnium de Statua quatuor Imperia adumbrante contigit Nabuchodonosori, ejúsque interpretatio à Daniele, qui, (P. Salianus) 29num annum agebat, factum autem censetur tunc, dum jam debellatis gentibus universum Orientis Principatum obtinuit, unde & Daniel illum, non simpliciter Regem, sed Regem Regum appellat. Dan. 2. v. 37. *Tu Rex Regum es.* Multum hoc somnium perturbavit Nabuchodonosorem, quare Sapientes Chaldæos ignaros conjectores somnii occidi jussit, cùm Daniel, qui à non distinguentibus Prophetas à magis ad mortem quærebatur, certior factus de Decreto Regio, adit Regem, spatium unius noctis ad consulendum Dominum impetrat, & cædis magorum intermissionem. Consumpta deinde in oratione nocte, revelationem somnii impetravit, igitur actis DEo gratiis Regem adiit, ab illo de somnio interrogatus primò eum ab Ariolis avertit, qui interpretari non possent propositum Mysterium, tùm instillavit venerationem & amorem veri DEi, qui solus id possit, & in ejus gratiam voluerit revelare. Revocavit ergo Regi in memoriam, (nam c. 2. v. 1. *Somnium ejus fugit ab eo*) visam ab eo in somnis, statuam, unam, qua 4. Imperia mundi repræsentarentur. (P. Salian.) quæ & ampla erat propter amplitudinem potestatis singulorum & splendore metallorum præstans, multum enim fulgoris & gloriæ, omnia illa imperia obtinuerunt. Denique intuitus ejus erat terribilis, quia omnes hæ Monarchiæ, multum terroris, suis quoque temporibus, mortalibus intulere.

Imperium Chaldæorum.

Caput

Caput Statuæ aureum Babylonicum repræsentabat Imperium, ut Daniel ipse interpretatus est, non Assyriorum. (P. Salian.) Voluit enim Deus Nabuchodonosori futura ostendere. Ostensum aureum caput non quod Chaldæorum Imperium esset reliquis Ditius, neque comparatione subsequentium, sed eorum, quæ tunc usque erant, vel opinione Chaldæorum, qui more hominum, sua mirabantur.

Imperium Persarum.

Secundum Imperium argenteo pectore & brachiis repræsentabatur, non tam quod Persæ & Medi, illud tanquam brachia tenuerint, quàm quod pectus & brachia sequuntur proximè caput, & Regnum Persarum ordine posterius fuerit, non autem potentiâ & dignitate, quippè quod Chaldæos subegerit.

Imperium Græcorum.

3tium Imperium in ventre & femoribus æreis figuratum est, id fuit Regnum Græcorum, quod ab Alexandro partum fuit, & Regno Persarum successit, ut venter & femora pectori. Addit P. Cornel. à Lap. qui amplissimè hoc somnium explicat, in femoribus significari luxuriam, non tam Alexandri Magni, quam Successorum ejus Ptolemæorum, in Regno Ægypti, qui solemne habebant, Sorores suas ducere in uxores. Alexander enim luxuriosus adeò non fuit, quia ebriosus, ebriosi enim sicut vino sopiunt sensus, ita & sopiunt hebetantius orexin ad venerem. Rursum semen prolificum vino diluunt & dissipant.

Ebriosi, cur non sunt luxuriosi.

Dicit autem nominatim de hoc Imperio Daniel c. 2. v. 39. *Et Regnum tertium aliud æreum, quod imperabit Universæ Terræ.* P. Cornel. à Lap. hic. Alexander penè Universæ terræ nostrati dominatus est, non tamen devicit Chinenses, Peruanos, Mexicanos. P. Salianus censet dici imperabit Universæ Terræ, accomodarè ad hominum opinionem, qui Alexandrum Magnum totum Terrarum Orbem subjugasse crediderunt, licet dimidiam ejus partem nè agnoverit quidem.

Imperium Romanorum.

4tum Imperium tibiis partim ferreis partim fictilibus repræsentatum, perspicuè pertinet ad Romanos, quod instar ferri omnia comminuit, & cæteris omnibus latiùs imperavit. P. Cornel. à Lap. hic. Itidem per hoc 4tum Imperium, Imperium Romanorum cum S. Hieronymo intelligit, armis & fortitudine inclytum, quod assimilatur tibiis, quia ultimum fuit & firmissimum, idque duabus, quia Imperium hoc apud Plures fuit. 1. Apud Duos Consules. 2. Apud Duum viros. 3. Apud duos Imperatores, unum in Oriente, alterum in Occidente, unum Constantinopoli, alium

Romani Imperii Insigne Aquila biceps.

alium Romæ, vel in Germania agentem. Ex forti autem & fragili compositum ait Daniel, quia (P. Salian.) postremis temporibus, deliciis languerunt Romani, quo rerum statu venit in mundum, lapis ille abscisus sine manibus, id est Christus, abscisus de monte, id est, de populo & Ecclesia Judaica, quæ inter gentes quasi mons eminebat, ait S. August. Tract. 9. in Joannem, vel potius de monte, id est de Beatissima Virgine, quæ quasi mons habuit omnium virtutum & gratiarum sublimitatem. Ita idem Augustin. in concion. ad Catechum. & S. Hieron. Theodoret. Lyranus &c. Hic, inquam, lapis fundavit regnum Christianorum, cujus nullus est futurus finis, cui accomodatur illud. Dan. 2. v. 44. *Suscitabit DEus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* P. Cornel. à Lap. hic. Quintum hoc regnum est Christi, quod alia omnia regna evertit, non quoad temporale regimen, sed quoad Idololatriam, aliaque vitia, omniaque sibi ac suæ fidei, ac obedientiæ subjecit, unde hoc regnum non temporale est, sed spirituale & æternum, quod inchoatur hic per fidem & gratiam, atque in cœlo consummabitur per gloriam.

Lapis abscissus de monte.

Porrò scriptura dictam statuam Nabuchodonosoris ita describit Dan. 2. v. 31. *Tu rex videbas, & ecce quasi statua una grandis: statua illa magna & statura sublimis stabat contra te & intuitus ejus erat terribilis. Hujus statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ; pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter, ferrum, testa, æs, argentum & aurum & redacta quasi in favillam æstivæ areæ; quæ rapta sunt vento: nullusque locus inventus est eis: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram.*

Moraliter respiciens ruinam statuæ per illamque adumbratorum Imperiorum P. Cornel. à Lap. ad cap. 2. Dan. v. 43. ait: speculum hoc intuemini O Filii Adæ, ac discite, quia *omnis potentatus brevis vita* Eccl. 10. 11. ubi nunc est Nabuchodonosor ille inclytus, ubi Cyrus, Darius, Alexander: de quo: unus Pellæo juveni non sufficit orbis, Sarcophago contentus erit.

Magnis honoribus somnii interpretem Danielem affecit Nabuchodonosor, cecidit in faciem suam & Danielem instar alicujus Dei, illo licet repugnante (P. Salian. P. Cornel.) adoravit, & coli jussit, cùmque edoctus esset à Daniele hunc honorem DEo cœli, omnium Domino

mino, tribui debere, dixit rex v. 47. *Verè DEus veſter DEus Deorum eſt: & Dominus Regum, & revelans myſteria.* Proregem deinde ſuper omnes Babylonis Provincias conſtituit Danielem, quam dignitatem ille non recuſavit, non motu ambitionis alicujus, ſed eximiæ charitatis in ſuos, ut eis captivis præſidio apud regem & Chaldæos magiſtratus eſſe poſſet.

Aurea ſtatua Nabuchodonoſoris. Dan. 3.

131. *Anno Mund.* 3455. Erecta cenſetur juſſu Nabuchodonoſoris ſtatua aurea. Hieronym. Theodor. breve tempus eſſe aſſerunt, inter præcedens ſomnium & ſtatuæ aureæ erectionem.

Inconſtantia humana

Velox, ait Hieronymus, oblivio veritatis, ut qui dudum ſervum DEi, quaſi Deum adoraverat, tunc ſtatuam ſibi fieri jubeat, ut ipſe adoretur in ſtatua. In qua ſtatua, (ut obſervat P. Buſneres in Floſc.) ſui jam impos præludebat ad belluam ſe Deum faciens, quippe ſtatuam auream, ſimulacrum ſui, adorandam orbi propoſuit. Hinc (P. Cornel.) patet ſtatuam hanc non fuiſſe Belis, vel aliorum Deorum, ſed ipſius Nabuchodonoſoris. Ad hujus ſtatuæ erectionem, probabiliter (P. Salian.) illum induxere Chaldæi, interitum Danieli & ſociis molientes, ſciebant enim illos non poſſe in alio crimine deprehendi, quàm in Chaldaicæ ſuperſtitionis contemptu. Fortè etiam voluit hac ſtatua oſtentare opes ſuas. Fuit hæc ſtatua aurea, non quidem ex auro ſolido, ſed lapidea vel lignea, ùt ait Chryſoſtom., quam craſſis auri laminis obtexit. Habuit altit. cubit. 60. ſive pedes 90. ſex latitudinis ſive pedes 9. in quo opere non ſatis humani corporis proportionem ſervavit. Juſſit itaque rex ad dedicationem ſtatuæ omnes Satrapas Præfectosque regionum convenire, qui etiam, Dan. 3. 2. *Miſit ad congregandos Satrapas - - - & Tyrannos.*

Magnatum malum exemplum ſeducit populum.

Dicuntur Tyranni, verè S. Hieronym. Principes congregantur ad adorandam ſtatuam, ut per Principes ſeducantur & gentes. Inter quos venerunt quoque ſocii Danielis, Sidrach, Miſach & Abdenago, non quidem hâc intentione, ut ſtatuam adorarent, ſed ne abſentiâ ſua regem offenderent, oſtenderentque, quatenus illis liceret regi obtemperare. (P. Salian.) Daniel verò, cujus nulla hic mentio, vel non adfuit, vel cum rege fuit, qui utique ſuam ſtatuam non adoravit, non tamen cum ſociis accuſatus, quia aut ob excellentem virtutem amabatur ab omnibus, aut quia propter eminentiſſimam authoritatem omnibus fuit venerationi. Quid multa, promulgatur edictum regis de adoranda ſtatua, adoratur à populo, ſoli tres illi Judæi, in quos oculi invidorum erant intenti, adorationem ſtatuæ

tuæ recuſant, vocantur ad regem, illi in faciem obſiſtunt, v. 18. *Notum ſit tibi rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus.* Jubet rex fornacem ſolitò vehementiùs ſuccendi ſeptuplum, permittente divina providentia, ut tanto eſſet illuſtrius miraculum. Incenditur ergo fornax, in ignem ligati conjiciuntur, ſed parcit innocentibus ignis, ac in ſceleratos miniſtros vertit furorem, quos & exurit, eodem igne ſoluta vincula eorum, ipſi tamen, imò & capilli eorum illæſi, ut videretur ignis ad ſerviendum illis, non ad moleſtiam eisdem inferendam comparatus, ut obſervant Chryſoſt. Theodoret. Sic apparuit divina potentia, cui rex inſultaverat dicens: v. 15. *Et quis eſt DEus, qui eripiet vos de manu mea.* Tantus rex, tot gentium debellator à tribus pueris ope divina adjutis victus eſt. Defenſi ab igne cenſentur (P. Salian) angeli miniſterio, qui excuſit flammam ignis, dum medium fornacis ventus rore madens perflare videretur.

Tres pueri in igne illæſi. Dan. 3.

Tropologicè, fornax ſuccenſa à Chaldæis ſignificat libidinum incentiva, quæ dæmones in homine excitant, ut animam urant & perdant, inquit Caſſian. l. 6. Inſtit. c. 17. &c. Hinc etiam diſcendum quàm caſtitatis amatores & defenſores ſint angeli imò ipſe Chriſtus, nam quartus ille, cum tribus pueris, de quo rex v. 92. *& ſpecies quarti ſimilis filio DEi*, à multis veteribus, ùt Tertul. Juſtino, Hilario, quos citat P. Cornel. à Lap. cenſetur eſſe non angelus ſed ipſe Chriſtus. Rupertus illud: *ſimilis filio DEi.* Explicat id eſt ſimilis Chriſto, de quo à Daniele rex aliquid inaudiiſſe poterat. Agnovit rex miraculum, non ſatis tamen conſtat, an ab idolis ad veri DEi cultum converſus fuit, tulit tamen decretum, de quo v. 96. ne quis blaſphemare contra DEum illorum puerorum auderet & ipſe dixit v. 95. *Benedictus eſt DEus illorum.* Inſuper eosdem auxit honoribus. v. 97. *Tunc rex promovit Sidrach, Miſach & Abdenago in provincia Babylonis*, ut ſcilicet (P. Salian.) qui præfecti tantùm fuerant operum in Provincia, nunc fierent Judices & Præpoſiti Provinciarum, ùt ait S. Hieronym.

Caſtitatis amatores angeli & defenſores.

Viſio Ezechiel. de reſtaurando templo.

Ann. Mund. 3460. Celebris illa viſio Ezechielis accidiſſe cenſetur, quæ à cap. 40. Ezech. ad finem usque Prophetiæ ipſius protenditur, & ab ipſo Propheta, duabus notis inſignibus transmigrationis & deſolationis definitur, ſeparatque transmigrationem à deſolatione. Oſtenſa illa futura reædificatio civitatis & templi, cujus menſuras illi oſtendebat angelus. Villalpandus rectè affirmat, quòd templi iſtius oſtenſi idea congruat templo Salo-

Salomonico. 1. Quia unus idemque locus utriusque. 2. duplex atrium utrique templo. 3. Quia Josephus, qui templum Salomonis describit, artia ejudem templi eadem, qua Ezechiel magnitudine definit. 4. Sanctum & Sanctum Sanctorum ejusdem omninò mensuræ sunt in utroque templo. P. Cornel. censet templum Salomonis hic ostensum Ezechieli describendum. 1. ut moveret populum ad pænitentiam, ob cujus populi peccatum templum hoc fuit eversum. 2. ut Judæos consolaretur spe templi reædificandi &c. Quantum ad mensuram, cujus sæpe fit mentio in hoc capite. Calamus, id est, canna mensoria, continebat sex cubitos, cubitus sacer continebat sex palmos, quales communis cubitus, continebat quinque, palmus continet quaternos manûs digitos junctos P. Cornel hìc.

Nota sacer cubitus vulgari Polonico, sive ulna, minor uno circiter palmo.

Ann. Mund. 3462. Ægyptii rebellantes, victi à Chaldæis, à quibus ex Ægypto redeuntibus, reliquiæ Judæorum transportatæ Babylonem, ut juxta Prophetiam Jerem. penitùs desolata Judæa maneret. Circa hunc annum contigit mors Ezechielis, qui, uti ex Martyrologio Romano colligitur, à quodam Judice, quem ratione Idololatriæ arguebat, interfectus est. Ab authore imperfecti operis dicitur, per lapides tractus ac excerebratus.

Judæa penitus desolata.

Ezechielis mors.



Ca-

Caput vigesimum septimum.

Somnium Nabuchodonosoris de arbore pulchra & succisa. Nabuchodonosoris deformatio. Ejusdem pœnitentia. Mors. Daniel cinere dolum detegit. Draconem interimit. Inter leones illæsus. Jechoniæ Regis mors.

132.
Somnium Nabuchodonosoris de arbore Dan 4.

A*Nn. Mundi* 3463. Contigit somnium Nabuchodonosoris, quod Danielis 4. enarratur. Somnii narratio est bipartita (P. Salian.) Prima pars felicem & florentem Regis statum sub arboris pulcherrimæ figura repræsentat, amplitudinem Imperii, subditorum, abundantiam divitiarum, cujus quasi opacitate arboris, tecti populi, nullius vim aut potentiam formidarent. Hujus arboris, id est, Nabuchodonosoris, folia erant pompa vestium, curruum, militum, aulicorum, fructus erant opes & tributa, ait Theodoretus.

Tropologicè Lyranus per arborem hanc intelligit hominem virtuosum; hæc arbor alta est per justitiam, fortis per constantiam, frondosa per eloquentiam, magna per prudentiam, quæ dirigit omnes virtutes, diffusa per misericordiam &c.

Posterior pars narrationis sententiam divinam adversus Nabuchodonosorem continet, quam angelus denuntiat de succidenda arbore & præcidendis ramis ejus, ejus tamen radice relinquenda in terra, ut pullulare possit. Hæc arbor Symbolum est prosperitatis & gloriæ humanæ, quæ mox prosternitur & ruit. ita Lyran. Additur, eum, quem hæc arbor designabat, Nabuchodonosorem scilicet, ferro vinciendum & belluarum instar in sylvis ad septennium victurum, ut intelligant homines, quæ sit DEi in elevandos aut deprimendos homines, Reges etiam, potentia. Vocatus ad regem Daniel, de quo ipse rex Dan. 4. v. 5. *Collega ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Baltassar secundùm nomen DEi mei.* P. Cornel. à Lap. Daniel vocatus est Baltassar, non quod eum rex Cohæredem filio suo vellet facere, ùt vult Epiphan. sed dictus à Baal, sive Beel, sive Belo, Deo Babyloniorum, significatque hoc nomen Baltassar,

Gloriæ humanæ vanitatis symbolum.

 quasi

quaſi Baalis acutus theſaurus, id eſt, Beli acumen & ſapientia, talem enim illum optavit fore præfectus, qui hoc nomen ſpecioſum illi, tanquam è ſanguine regio genito indidit. Ferè enim reges Chaldæorum nomina Deorum ſibi adoptabant. Suaſitque Daniel regi, redimenda peccata eleemoſynis, exiſtimabat enim, ſolùm hanc eſſe comminatoriam ſententiam, qualis erat in Ninivitas.

Sine eleemoſyna aliqui non ſalvantur.

Tantam exiſtimavit eſſe vim eleemoſynæ Daniel. Et S. Auguſtin. l. 21. civit. 37. ait, quosdam ſine eleemoſyna non poſſe ſalvari, quia peccatis aut cupiditatibus ſuis ita irretiti ſunt, ut niſi pauperum precibus, ordinariâ gratiâ, majorem & potentiorem obtineant, ab iis ſe expedire non poſſint.

Abiêre menſes 12. à ſomnio ad pœnam, quibus non ſatis conſilium Danielis executus Nabuchodonoſor, nam juxta S. Hieron. licèt largiretur eleemoſynam, ſed quia poſtea ambulans in aula Babylonis gloriabatur & dicebat. Dan. 4. 27. *Nónne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* Bonum miſericordiæ, perdidit malum ſuperbiæ. Theodoretus verò dicit, malè abſolutè regem definitum pœnitentiæ tempus exegiſſe.

133. Nabuchodonoſoris deformatio in beſtiam.

Ann. Mund. 3464. Circa deformationem Nabuchodonoſoris, ſunt variæ ſententiæ, Dorotheus in Synopſi & Epiphan. in vita Danielis cenſent, Nabuchodonoſorem interius habuiſſe formam hominis, ſcilicèt animam rationalem, ſed exterius mutatum fuiſſe in figuram bovis anterius & leonis poſterius. Simile quid fingunt Poetæ de Gyge & Minotauro, eos partim fuiſſe homines partim boves. de Gyge Ovid. l. 4. Triſt. Centimanumque Gygen ſemibovemque virum. de Minotauro: ſemibovemque virum, ſemivirumque bovem. P. Salian. exiſtimat ex ſcriptura colligi, ei tantum uſum rationis ad certum tempus fuiſſe ſublatum, nam ipſe rex ait: ſenſum ſuum ſibi fuiſſe redditum, cúmque referat capillos ſuos, & ungues ſibi inſtar aquilarum creviſſe, ſi qua in membris facta fuiſſet mutatio, vel forma humani corporis, id quoque ſcriptura non tacuiſſet, ergo ſola illius phantaſia ita perturbata fuit, ut ſe in beſtiam converſum fuiſſe arbitraretur, in leonem vel in aprum &c. licèt enim dicatur. Dan. 4. v. 22. *fænum ùt bos comedes.* Sumitur fænum latè, pro quovis animalium cibo, non ſtabulum enim petiit ſed ſylvas, perturbatio autem phantaſiæ contigit, ùt aliis ſolet, ex melancholici humoris

intemperire, phreneſi &c. ex quo fiebat, ut hominum conſortia fugeret & ſylveſtribus ſeſe feris aggregaret, & eorum more prono corpore, quadrupes, ritu beſtiarum inconditos ſonos reſonaret. Contigit autem illi hic morbus brevi, poſtquam dixerat illud: *Nónne hæc eſt Babylon* &c. ſtatim enim dicitur Dan. 4. v. 28. *Cúmque ſermo adhuc eſſet in ore regio, vox de cælo ruit: tibi dicitur Nabuchodonoſor: Rex regnum tuum tranſibit à te.* Videtur à principio, cùm furere cæpit, mollibus vinculis fuiſſe ligatus, ſed iis diſruptis, potentioribus, tandem ferreis vinctus, tandem cùm magis fureret, & fugere ùt fera conaretur, videntur domeſtici, conſilio Danielis uſi, eum dimiſiſſe. Itaque v. 30. *Ex hominibus abjectus eſt, & fænum ùt bos comedit & ex rore cæli corpus ejus infectum eſt: donec capilli ejus in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & ungues ejus quaſi avium.* Cùm gelu æſtuque confligens corpus ejus neceſſariò alium colorem induit. Septuaginta & Theodoret. aiunt: capillos ejus quaſi leonum jubas factos eſſe. Hebræo tamen vulgata conſentit, qua ſignificatur, hirſutum factum fuiſſe, ùt ſicut aquilæ plumis, ita ipſe toto corpore pilis hiſpidus evaderet, & cæſaries per vultum cerviceſque deflueret, ungues autem in morem avium prædatricum creſcentes rigeſcerent. Hiſtoriæ hujus veritas authoritate ſcripturæ ſtabilita eſt. Objectiones facilè ſolvuntur. 1. Quid abſurdi eſt herbis victitaſſe Nabuchodonoſorem, ſicut victitârunt tot Eremitæ. Imò P. Salianus dicit ſe vidiſſe puellam in Burgundiæ comitatu, quæ carbonibus crebro veſcebatur, & in eis gratum quemdam guſtum reperiebat, & in diverſis carbonibus, alium, alio gratiorem. 2. Quòd inter beſtias manſerit non laceratus, id divinæ providentiæ tribuendum, quæ tot Anachoretas protexit. 3. Quòd Hiſtorici Ethnici hujus rei nihil meminerint, id non derogat veritati & authoritati ſcripturæ. Quanquam de Nabuchodonoſore divinitùs correpto furore, aliquid ex Abydeno & Megaſthene ſcribit Euſebius. P. Cornel. à Lap. hic: aliqua tamen ratione dici poſſe, Nabuchodonoſorem converſum fuiſſe in beſtiam puta in Urum aut Biſontem. 1. Secundum vitiatam imaginationem, ut urus ſibi fuiſſe videretur. 2. quia corporis ejus temperamentum fuit immutatum, ut eſſet ſimile beſtiæ. 3. quia amens phantaſia utebatur ferina, & hoc eſt, quod hìc dicitur. Dan. 4. v. 13. *Cor ejus ab humano commutetur & cor feræ detur ei.* Per cor verò, primò intelligitur mens, quæ hoc eſt in anima, quod cor in corpore, 2do. Cor idem eſt quod appetitus & voluntas, cor

ergo ferinum, est appetitus ferinus. 3tio. Cor propriè hìc sumitur, cordis enim, indéque totius corporis complexio, mutata in rege fuit, ut ex humana fieret ferina, & alias adducit rationes P. Cornel.

134. *Ann. Mund.* 3471. Speciali DEi beneficio recuperavit sanitatem & regnum Nabuchodonosor (P. Salian.) expleto septennio pænitentiæ, de qua v. 31. *Ego Nabuchodonosor, oculos meos ad cælum levavi, & sensus meus redditus est mihi: & Altissimo benedixi & viventem in sempiternum laudavi, & glorificavi.* Quæ ipsa oculorum in cœlum elevatio, ex speciali DEi gratia, profluxit.

Nabuchodonosoris pœnitentia.

Moralitet Tertulian. lib. de pœnitent. in fine, ex hoc loco hortatur peccatores ad pænitentiam dicens: mutæ animæ medicinas sibi divinitùs attributas agnoscunt. Cervus sagitta transfixus, ut ferrum, & irrevocabiles moras de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo, si excæcaverit pullos, novit illos oculare rursùs de sua Chelidonia. Peccator restituendô sibi institutam à Domino exomologesin sciens, præteribit illam, quæ Babylonium regem in regna restituit?

Tradunt Epiphan. & Doroth. Danielem authoritate sua atque sapientia perfecisse, ut non solùm sine ulla difficultate reciperetur à suis, quem ipse affirmavit fore sapientissimum, regiisque virtutibus decoratum, sed ut summo illius desiderio tenerentur omnes, dum finis septennii expectabatur. Itaque mutationem hanc, (P. Salian.) excepit, magnum gaudium, magna reverentia ejus, qui tam admirabilium operum Domini, subjecta materies extitisset.

Ann. Mund. 3472. Deposita impietate rex Nabuchodonosor ad veri DEi cultum conversus, curavit ipse totam hanc historiam, (P. Salian.) conscribi, & ubique gentium promulgari, cujus exemplum Daniel fideliter in librum suum propheticum inscripsit.

Eodem anno DEus, cujus judicia abbyssus multa, Nabuchodonosorem, ejus bona voluntate contentus, brevi tempore è vivis eripuit, & quidem ea morte, quam, ut communis fert sententia, felicitas æterna consecuta, uti senserunt S. August. Tertul. Theodor. S. Ambros. Doroth. & alii à P. Saliano citati.

Nabuchodonosoris mors.

Ann. Mund. 3473. Post obitum Nabuchodonosoris, successit illi filius Evilmerodach, qui Joachinum sive Jechoniam, iterum ad regiam dignitatem Babylone extulit, & dum vixit, charum habuit. A principio regni Evilmerodach, videtur accidisse historia à Daniele patefacti doli sacrificulorum Belis, hi appasitos Beli cibos occultè aufe-

Daniel cinere detegit dolum sacrificulorum. Dan. 14.

re-

rebant, ac cum uxoribus ac liberis comedebant, Daniel itaque cribravit circa Idolum cinerem, in quo vestigia furum patefacta, quare jussu regis, interemptis illis impiis, templum Belis una cum Idolo eversum.

Tropologicè juxta P. Cornel. à Lap. hìc Belum & Idola imitantur. 1. Qui vestibus sericis & aureis exterius se ornant, interius terream habent vel mentem vel conscientiam, puta in sordibus gulæ & libidinis &c. versantur. 2. Hypocritæ, qui foris aurei videntur, intus sunt lutei. Audi Billium in Antholog.

Externa pulchritudo sine interiori nil Valet. Hypocritæ Beli similes

Bel erat externè pulcherrimus undique ex ære.
Tectus, at intus erat nil nisi vile lutum.

Qui Curium simulat, cum sit nequissimus, illum
Cur ego non Belem jure vocare queam

Bel erit exterius Tumulì qui candidus instar
Interius tantum vile cadaver habet.

Sub id quoque tempus Daniel draconem, quem colebant Babylonii, interfecit, injecta in os ejus massâ, quam pix, adeps, pili, constituebant. Quapropter instantibus Babyloniis, missus est in lacum leonum (bis missum fuisse notat hìc P. Cornel. 1mo. sub Evilmerodach per sex dies, hìc 2do sub Dario Medo, per unam noctem) illæsusque servatus, allato etiam illi per Prophetam Habacuc prandio ex Judæa.

Daniel draconem interficit.

Daniel inter leones. Dan. 14.

Verè S. Cyprian. Tract. de Orat. Dominica. Cùm DEi sint omnia, habenti DEum nihil deerit, si Deo ipse non desit, sic Danieli in leonum lacu jussu regis incluso prandium divinitùs procurratur, & inter feras esurientes & parcentes homo DEi pascitur.

Providentia DEi pascens Danielem inter feras.

Videns rex illæsum, ipsosmet qui lædere volebant adversarios conjici in lacum jussit, qui momento devorati sunt. v. 42. *Tunc rex ait: paveant omnes habitantes in universa terra DEum Danielis, quia ipse est salvator faciens signa & mirabilia in terra.*

Circa ann. Mund. 3476. Babylone defunctus Joachinus sive Jechonias Rex Judæ 37. annis pædorem carceris perpessus, à quo moriente filius ejus Salathiel fuit commendatus Regi Evilmerodach, fuit is Salathiel Pater Zorobabelis, ita divina providentia familiam Davidis inter tot calamitates in spem Messiæ sustentabat.

Jechoniæ regis mors

CAPUT

Caput vigeſimum octavum.

Danielis viſiones de 4. ventis, de 4. beſtiis, de antiquo dierum, de ariete & hirco, Cyrus Babylonem obſidet, capit, Balthaſaris convivium luctuoſum. Daniel inter leones. Ejus Prophetia de Chriſti adventu intra 70. hebdomadas.

135. EVilmerodacho Patri propter libidines interempto ſucceſſit in regnum Balthaſar, ſed nec ipſe temperantior Patre, regnorum peſte afflatus, per ignaviam & voluptates, ſibi & imperio perniciem ultimam procreavit. P. Buſieres in Filoſc.

Danielis viſiones de ventis beſtiis. 4. Dan. 7.

Ann. Mund. 3495. Primus hic annus eſt Balthaſaris Imperatoris Babylonii, qui ſucceſſit Evilmerodacho Patri. Ad hunc quoque annum pertinet ſomnium de 4. ventis, Dan 7. v. 2. *Videbam in viſione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli, pugnabant in mari magno.* P. Gornel. à Lap. hìc. Per mare accipe mundum, qui ſalſis & amaris fluctibus abundat, in quo ſuperbiâ tumidi tolluntur in altum, ut profundius ruant, ita S. Hieron. Rupert. per 4. ventos, vel cum S. Hieronymo accipe 4. angelos 4. regnorum, vel cum Theodoreto accipe tumultus, qui in exordio honum ſingulorum regnorum extiterunt. Venti quoque notant horum regnorum inconſtantiam, fugacitatem & viciſſitudinem.

Mundi inconſtantia.

Eodem anno contigit viſio Danielis de 4. Beſtiis, per quas 4. monarchiæ & regnum Antichriſti ſignificabatur. Porrò hæc regna aſſimilantur Beſtiis non hominibus (P. Cornel. hìc) quia magna ex parte fuerunt injuſtè ac tyrannicè acquiſita, æquè ac gubernata. v. 4. *Prima* (beſtia fuit) *quaſi leæna*, quæ ſignificabat Monarchiam Chaldæorum. v. 6. potentiam & ferociam. v. 5. Beſtia alia ſimilis urſo, deſignat Monarchiam Perſarum, quia urſi ſunt patientiſſimi laborum. v. 5. *tres ordines erant in ore ejus* S. Hieronym. vertit tres verſus. Theodoret. tres alæ, Vatablus tres boli, ſignificat enim hunc urſum

Dan. 7.

ſum tres ordines non dentium, ut aliqui putant, quaſi per eos ſignificetur maxima potentia, ſed carnium & eſcarum habuiſſe in ore. P. Cornel. Hi tres ordines ſunt tria imperia, ſcilicet Babylonicum, Medicum Perſicum ita S. Hieron.

Tropologicè urſus, qui mellis eſt avidus, effigiem habet libidinis, carnes comedit plurimas, tres habet dentium ordines, quoniam adoleſcentes, viros & ſenes dilaniat.

v. 6. *Et ecce alia* (beſtia) *quaſi pardus*, tertia hæc eſt Monarchia Grœcorum & Alexandri, qui per omnia Pardo ſive Pardali ſimilis, ùt vertit Theodoretus. Primò varius & maculoſus virtutibus & vitiis. 2do ſævus & acer præliis. 3tio. aſtautus &c. Habuit iſta beſtia 4. capita, per quæ deſignantur 4. præcipui duces, quibus & imperium diviſit ſcilicet Philippus, cui ceſſit Macedonia. Antigonus, cui ceſſit Aſia minor. Seleucus, cui Syria, Ptolemæus Lagi, cui Ægyptus. ita S. Hieron. & paſſim alii v. 7. *Et ecce beſtia quarta terribilis atque mirabilis* P. Cornel. eſt hæc quarta Romanorum Monarchia. Vidit Daniel beſtiam, ſed nobis incognitam, non exprimit illam, idque, ut ſignificet incomparabilem potententiam & ferociam Romanorum, varia fuit & monſtroſa, quia ſignificabat Romanorum imperium & regimen fore novum & varium. 1mo enim reges illud adminiſtrarunt. 2. Conſules. 3. Decem viri. 4. ad Conſules additus Dictator 5. Imperatores Conſulibus remanentibus &c. Ita hæc Monarchia non unum ſed omnia orbis imperia complexa, ita ut Roma eſſet quaſi compendio mundus, ut ait S. Cyprian. Hanc beſtiam, ait Daniel, dentes habuiſſe ferreos & magnos, id eſt, fortes magnosque exercitus. Comparati milites dentibus, cùm multò pane indigeant, mordacesque dentes exhibeant, dicit eam cornua 10. habuiſſe, id eſt 10. Reges potentes, (uti ait angelus v. 24. & S. Joan. Apoc. 17. 12.) qui erunt ſub finem mundi ante judicium v. 8. *Conſiderabam cornua*, (quartæ beſtiæ) *& ecce cornu aliud parvulum ortum eſt de medio eorum: & tria de cornibus primis evulſa ſunt à facie ejus, & ecce oculi, quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquens ingentia.* S. Hieronym. Ergo dicamus, quod omnes ſcriptores Eccleſiaſtici tradiderunt, in conſummatione mundi, quando Regnum Romanorum deſtruendum eſt, decem futuros reges (P. Cornel. quaſi decem cornua, qui orientur quidem ex Romano imperio, ſed non erunt Romani Imperatores,) qui orbem Romanum inter ſe divident, tumque undecimum regem parvulum ſurrecturum, (P. Cornel. ſcilicet Antichri-

ſtum, obſcuro loco natum & plebeium) Qui tres reges de decem ſuperaturus eſt, regem Ægypti, regem Africæ & regem Æthyopiæ, quibus interfectis etiam reliqui ſeptem, illi victori colla ſubmittent. Porrò rex ille dicitur habiturus oculos hominis, ne diabolum fore putemus. P. Cornel. eodem deinde cap. 7. deſcribitur viſio alia Danielis v.

Dan. 7. Danielis viſio de antiquo dierum.

9. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt & antiquus dierum ſedit: veſtimentum ejus candidum quaſi nix & capilli capitis ejus, quaſi lana munda: Thronus ejus flammæ ignis: rotæ ejus ignis accenſus. v. 10. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur à facie ejus. Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei* (id eſt, mille milliones, errant ergo in computu, qui putant eſſe tantùm centies centena millia, id eſt, decem milliones, cum ſint mille. P. Cornel. hìc.) *Judicium ſedit & libri aperti ſunt.* Vidit Daniel Deum Patrem quaſi ſenem Judicantem de Antichriſto & de Chriſto, qui Chriſto cauſam & Regnum adjudicavit. Capillos habebat candidos, quaſi lana munda, qui capilli denotant, (P. Cornel.) in divinis Judiciis, etiam in extremo illo die, multum mollitudinis & clementiæ admiſtum iri. Flammeus Thronus Dei Patris ſignificat, (P. Cornel.) imò ejus Gloriam inacceſſam & immenſam. 2. Sinceritatem & manifeſtationem ejus publicam divini ejus Judicii. 3. Ejusdem efficaciam & Antichriſti ac reproborum punitionem per ignem gehennæ. Fluvius igneus ſignificat ſententiam ejus utpotè ſummi Judicis, inquit S. Hieronym. hìc ergo fluvius eſt gladius anceps utrinque acutus & ſcindens, quem procedere de ore Chriſti Judicis vidit Joan. Apoc. 1. 16. Per illa verba. v. 25. *Tradentur in manu ejus usque ad tempus & tempora & dimidium temporis.* Intelligit cum aliis P. Cornel. à Lap. Antichriſtum ut Monarcham regnaturum tres annos cum dimidio, per tempus enim hoc loco intelligitur annus.

Juſtitia Divina jungitur miſericordiæ.

Circa hunc Annum Mundi 136.
accidiſſe cenſetur viſio illa Danielis. Dan. cap. 8. de ariete duorum cornuum & hirco unius, ac poſtmodum 4. cornuum, qui devicit arietem, quorum aries Regem Medorum ac Perſarum deſignat, hircus autem Regem Græcorum ſcilicet Alexandrum Magnum (P. Cornel. à Lap. hìc) per cornu modicum, de quo Dan. 8. 9. *De uno autem ex eis,* (4. Cornibus) *egreſſum eſt cornu unum modicum: & factum eſt grande contra meridiem & contra orientem, & contra fortitudinem v. 10. & magnificatum eſt usque ad fortitudinem Cæli, & dejecit de fortitudine & de ſtellis & conculcavit eas.* Intelligitur Antiochus Epiphanes (P. Cornel.

Danielis viſio de ariete & hirco Dan. 8.

Cornel.) per ſtellas intelliguntur Judæi inſignes nobilitate, doctrina & pietate, quos Antiochus vel minis à Patria Lege abduxit, vel conſtantes in ea necavit. Ita S. Hieronym. Theodoret. &c. Contigit autē hæc viſio de Antiocho (P. Salian.) & iis, quæ acturus erat, quæ poſt 380. annos eventura erant.

Juſti Stellæ qui pro Deo patiuntur.

Circa *Ann. Mund.* 3514. Cyrus Medorum & Perſarum Rex, ingentes copias contra Babylonem movit, audiit hoc Rex Babylonis & expavit. Jerem. 50. 43. *Et diſſolutæ ſunt manus ejus, anguſtia apprehendit eum.* Multorum annorum commeatum Chaldæi Babylonem comportarant, illis nihilominùs cladem denuntiavit Jeremias c. 51. 11. *Acuite ſagittas, implete pharetras: ſuſcitavit Dominus ſpiritum Regum Medorum: & contra Babylonem mens ejus eſt, ut perdat eam, quoniam ultio Domini eſt, ultio Templi ſui.* P. Salianus hìc Reges Medorum intelliguntur Cyrus & Darius, quorum ille jure belli Medorum Rex, Darius verò precariè erat. Jemplete pharetras (P. Cornel. hìc) O Perſæ ad jaculandum in Babylonios, ita multi, aut potius implete pharetras ſagittis O Chaldæi, ut eis Perſas arceatis à Babylone.

Cyrus Babylonem obſidet & capit.

Ann. Mund. 3515. Cyrus cum maximis Perſarum & Medorum copiis obſedit Babylonem, victis prius in campo Chaldæis, (P. Salian.) Judæi ad eum confugiebant læti finem captivitatis ſuæ, uti ex Prophetis intellexerant, adeſſe, hos Cyrus humaniter excipiebat, dicique poteſt, tunc concepiſſe illud votum, cujus fit mentio in 3. Eſdræ. ubi ex textu græco habetur, Cyrum voviſſe exſcindere Babylonem, ſi vinceret, & vaſa Sacra remittere in Jeruſalem, cùm primum ea haberet in poteſtate.

Ann. Mund. 3516. Hic annus 137.
ultimus eſt captivitatis Judæorum, & primus ruinæ Babylonis. Quanta fuerit urbs Babylon, vel ex illis verbis Nabuchodonoſoris magni colligere licet, Dan. 4. v. 27. Nonne hæc eſt Babylon magna &c. viderat ille Niniven in Aſſyria, Alexandriam in Ægypto, Hieroſolymam in Judæa, Gazam in Palæſtina, Tyrum & Sidonem in Phænicia, Damaſcum in Syria, Suſam in Perſide, Ecbatanam in Media, de ſua nihilominus Babylone dicebat, nonne hæc eſt Babylon magna &c. tot ſcilicet gentium ruinis locupletata, muris, turribus, hortis penſilibus, inſignis. Hanc urbem occupatam à Perſis & Medis tradit Herodotus hoc modo: Abiiſſe videlicet Cyrum cum infirmiori parte ſui exercitûs, & lacum illum 340. ſtadiorum ambitu, profunditate autem 35. pedum, admittendo flumini, ſive à

Cyro, sive adhuc, ut volunt alii, à Nitocre Regina, longe ante effossum, patefacto ejus ostio aperuisse, admissóque flumine, pristinum Euphratis alveum, vadosum ac permeabilem reddidisse, quod ubi factum agnoverê Persæ, qui ad hoc ipsum instructi & parati erant, per alveum, unde Euphrates absesserat, Babylonem introiêre, quos facilè Chaldæi arcere potuissent, sed tunc dies festus

Ex Conviviis Choreis quantum periculum. Convivium Balthazaris. Finita Tragædia Dan. 5.

illis, sive potiùs nefastus erat, conviviis, ludis, choreis, operam dabant, sed sensêre tandem, quanto damno & interitu, admittitur intra viscera ferrum. Celebre tunc fuit Balthazaris (quem alia scripturæ exemplaria & P. Cornelius dicunt Balsasarem, alia Baltassarem, quem P. Salian. S. Hieron. & alii putant esse Filium Evilmerodach & Nepotem Nabuchodonosoris, P. Cornel. à Lap. hìc & alii, eundem illum esse cum Evilmerodacho, adeóque Filium Nabuchodonosoris) convivium, mille optimatum præsentiâ celebratum, in quo profano usui adhibita vasa Templi Domini, unus quisque secundum ætatem bibebat, in illo convivio è regione solii Regii Dan. 5.v.5.

Manus scribens in pariete Dan. 5.

Apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra Candelabrum in superficie parietis aulæ Regiæ. Scriptura autẽ Interprete Daniele fuit hæc, *v. 25. Mane, Thecel, Phares, v. 26. Et hæc est interpretatio sermonis. Mane: numeravit Deus Regnum tuum & complevit illud. v. 27. Thecel: appensus es in statera & inventus es minus habens. v. 28. Phares: divisum est Regnum tuum, & datum est Medis & Persis.* P. Salian. Consentaneum esse dicit, non solum à Rege sed ab omnibus visam hanc scripturam & manum, nec in sola phantasia Regis fuisse, ùt vult Lyranus, dicitur verò: quasi manus. Ait P. Cornel. à Lap. hìc: quia non erat verè manus hominis, sed ei similis, formata ex aere condensato & assumpta ab Angelo, qui per eam scribebat in pariete. Notat P. Cornel. Quod hæc manus significat justitiam Dei, quæ vigil cuíque peccatori intendit, atque Balsasarem vita, viribus & Regno truncavit. Symbolicè manus hæc est Synteresis, per quam Deus in cujusque conscientia propria peccata & pænas ita describit, ut velit nolit, ea videat. Dictam scripturam dum nemo interpretari posset, è Consilio Reginæ Advocatus Daniel, illam supradicto modo interpretatus est. Circa illa verba notandum, dicitur, numeravit Deus Regnum &c. P. Cornel. à Lap. hìc. id est, 1. deprehendit esse completos annos Regni. 2. Complevit. id est, suo decreto statuit, ut jam compleantur & finiantur. Appensus es in statera &c. P Cornel.

allu-

alluditur ad monetam levioris ponderis, quæ rejici solet. q. d. appensa sunt in statera divinæ Justitiæ & examinis opera tua bona & mala O Balsasar, atque inventus es habere minus probitatis & bonorum operum, plurimum verò habere crapulæ, superbiæ &c. ergo non mereris amplius regnare & vivere. Divisum est Regnum &c. 1. P. Cornel. jamjam puta hâc nocte Regnum tuum separatum à te & ablatum, dividetur inter Medos & Persas. Occasione sumpta Daniel hortabatur Regem ad Altissimi cognitionem & timorem, proposito exemplo admirabili & domestico Avi ejus (P. Salian.) quem sicut secutus fuerat superbientem, ita sequeretur pœnitentem v. 29. *Tunc jubente Rege indutus est Daniel purpurâ & circumdata est torques aurea collo ejus: & prædicatum est de eo, quòd haberet potestatem tertius in Regno suo.* P. Salian. Non destitit Rex stare promissis, quamvis tristia nuntiasset Daniel, sive quod crederet, longo post tempore ventura, sive quod speraret honorando Prophetam se veniam consecuturum, ùt ait S. Hieronym. At tempus vix paucarum horarum fuit, nam v. 30. *Eadem nocte interfectus est Balsasar Rex Chaldæus, & Darius Medus successit in Regnum.* Eadem nocte non anni ejusdem sed sequentis inquit ex Guevara Alcazar in Apoc. 16. v. 2. verùm ait P. Cornel. à Lap. hìc, contextus ipse innuit, mox eadem nocte ejusdem anni captam esse Babylonem.

Significavit Jeremias c. 51. v. 57. 138.
Ebrietatis pericula.
Regẽ cum optimatibus suis somno vinóque sepultos, interficiendos. *Inebriabo Principes ejus & sapientes ejus & duces ejus - - - - & dormient somnum sempiternum.* P. Cornel. à Lap. hìc expendens hunc versum: Inebriabo &c. Calice iræ meæ, ut dormiant somnum mortis æternum. Alludit rursùm ad crapulam Balsasaris & Babyloniorum. Expendens vero illud, Dan. 5. v. 2. *Præcepit ergo jam temulentus.* Ait idem P. Cornel. vide hìc quonam Balsasarem deduxit temulentia. Audi S. Basilium Homilia de ebriet. Aqua ignem extinguit, vinum extinguit rationem. Aqua maris naves, vinum vitis, homines submergit. Hinc ait Isaias. cap. 28. 7. *Absorpti sunt à vino.* Ita absorbent ebrii vinum, sed absorbentur à vino.

Nec defuit sævitia Persarum in Chaldæos, expilata Babylonis Templa, ùt prædixit Jerem. 51. 44. *Visitabo super Bel in Babylone, & ejiciam, quod absorbuerat de ore ejus.* Judæi tamen non assecuti libertatem, sed Dominum commutarunt, Daniel ipse in captivitatem cessit Dario Medo, quem Cyrus passus est, succedere Balthazari & socerum ve-

 nera-

neratus & ſenem. Darius verò Danielem, cujus ſanctitatem, authoritatem, didicerat, in eadem dignitate conſervavit, mirabili Dei Providentiâ, cor hominis, ad humanitatem erga ſanctum ſuum flectente. Sub id tempus Jus Regni à Chaldæis perditum, muri ex parte diminuti, qui poſtea poſt 18. annos, dum eadem Babylon rebellaret, funditus everſi, qualem ruinam Hieroſolymæ intulerunt Babylonii, talem ipſi paſſi, juxta illud ſcripturæ: *Ultio Domini eſt: ultionem accipite de ea; ſicut fecit, facite* &c. Jerem. 50. 15. ita corruit gravi ruina grande Babylonicum Imperium, ſubjectumque Perſis & Medis. Abduxit ſecum Darius in Mediam Danielem, cúmque 120. Satrapias, conſtituiſſet in Regno ſuo, eis tres præfecit Principes, in quibus Daniel eminebat, hinc invidia exarſit Satraparum in Danielem, conabantur ab illo Regem abalienare, ſed cum nullam in innocenti ejus vita culpam inveniſſent, ad dolos verſi, ſub prætextu Regii honoris, per fraudem (P. Salianus) an armatas preces, à Rege impetrarunt Edictum, ne quiſquam per 30. dies, ab ullo vel Deorum vel hominum quidquam peteret, niſi à Rege, pænaque propoſita in transgreſſores à Leonibus dilaniatio. Cúmque id incircumſpectus Rex, hoc in gloriam ſuam cedere ratus edixerit. Obſervarunt invidi Danielem, pro more converſum contra Jeruſalem, ter Deum orare, (quod non in contemptum Regis, ſed ſancta libertate uſus faciebat) eum exaggeratè ad Regem detulerunt, advertit temerariam legem Rex, fidóque ſervo ſuo, perniciem, conatus eſt, non jam authoritate Regia, ſed conſilio avertere, eúmque de tanto diſcrimine liberare, ſed fruſtra, tandem vel timens ſeditionem aliquam, vel tot Principum virorum gratiam demereri volens, ceſſit invitus. Adducitur itaque Daniel, cui Rex. Dan. 6. v. 16. *Deus tuus, quem colis ſemper, liberabit te.* Cujus ſpei id ſignum eſt, quod allatus eſſet lapis unus & poſitus ſupra os Laci, obſignatusque eſt tam Regis, quàm optimatum ejus annulo. Abiit inde Rex, noctem totam in luctu egit, primo autem diluculo conſurgens feſtinus ad Lacum perrexit voce lamentabili inclamando. v. 20. *Daniel ſerve Dei viventis, Deus tuus, cui tu ſervis ſemper, putaſne valuit te liberare à Leonibus?* P. Salian vel homo adhuc infidelis fluctuavit circa divinam Potentiam, vel ly valuit, ſumendum pro: voluit. Reſpondit Daniel. v. 21. *Rex in æternum vive. DEus meus miſit angelum ſuum & concluſit ora Leonum & non nocuerunt mihi.* Itáque ſolutus carcere Daniel, Rex mæ-

Daniel dignitatem retinet.

Per quæ quis peccat.

Daniel inter Tres Principes præcipus.

Daniel inter Leones illæſus. Dan. 6.

mærore, accuſatores verò cum uxoribus & liberis, ne mutire auſi, juſſu Regis in lacum præcipitati. v. 24. *Et non pervenerunt usque ad pavimentum laci, donec arriperent eos Leones, & omnia oſſa eorum comminuerunt.* Edidit deinde Rex Edictum cum Elogio Dei, quem Daniel coluit. v. 26. *A me conſtitutum eſt Decretum, ut in Univerſo Imperio & Regno meo tremiſcant & paveant Deum Danielis, ipſe eſt enim Deus vivens & æternus in ſæcula.*

Nocendo aliis ſibi nocent.

Credibile eſt juxta ſententiam S. Auguſtini eundem Regem Darium, converſum fuiſſe, quod autem Idola non everterit, ſi tamen non everterit, id ad breve tempus Regni ejus referri poteſt, hoc enim ipſo anno ætatis ſuæ 63. è vivis abſceſſit & uni Cyro genero, univerſum reliquit Imperium. Allegoricè Rupertus in cap. 11. Dan. docet Danielem hic fuiſſe typum Chriſti Patientis, ſicut enim Danieli inſidiati ſunt Satrapæ, ita Chriſto Judæi, Scribæ, ſicut Satrapæ per edictum Darii Medi voluerunt perdere Danielem, ita Judæi per ſententiam Pilati &c. Anagogicè P. Cornel. à Lap. hìc. Daniel è Lacu Leonum Redivivus typus fuit Reſurrectionis ejuſdem, ejúsque velut prælibatio, & quaſi primitiæ.

Daniel Chriſti Paſſi & reſurgentis Figura.

139. Hoc An. Contigit Prophetia Danielis (P. Salian.) qui cùm oraſſet intentus pro populo, miſſus eſt ad eum Archangelus Gabriel, horis veſpertinis, eique nuntiavit intra 70. hebdomadas ſive 70. Annorum ſeptenaria, Chriſtum ad populum ſuum eſſe venturum & occiſum iri. Dan. 9. v. 25. *Scito ergo & animadverte, ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem usque ad Chriſtum ducem, Hebdomades 7. & Hebdomades 62. erunt, & rursùm ædificabitur platea & muri in anguſtia temporum. v. 26. & poſt Hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus.* P. Cornel. à Lap. hìc. Hebdomades 7. & Hebdomades 62. erunt. hoc eſt. Hebdomades 69. adde unam de qua in ſequenti agit, habebis 70. de hac autem una habetur v. 27. *Confirmabit autem pactum multis, hebdomadâ unâ.* P. Cornel. hìc. Certum ergo eſt, ex communi Interpretum ſententia hæc de Chriſto Salvatore dici. Chriſtus enim ultimâ hebdomade ſcilicet 70ma, tribus primis ejus annis cum dimidio prædicavit, ùt habet vetus traditio, teſte Euſeb. &c. túncque Pactum & Teſtamentum inter DEum & homines, præſertim in ultima cæna condidit, ſuáque morte ſancivit, ac ejus Symbolum pignúsque perpetuum dedit Euchariſtiæ ſacrificium & Sacramentum. Hic locus eſt illuſtris de adventu Meſſiæ contra Judæos, quos pluribus & ſolide refellit hìc P. Cornel. Periodi 70. Hebdomadarum

Prophetia Danielis de occidendo Chriſto. Daniel. 9.

rum initium sumendum (P. Salian.) ab eo tempore, quo Princeps Persarum permisit iterum ædificari Jerusalem, cujus muri intra 52. dies restaurati, ut dicitur Nehem. 6. 15.

Hic Annus captivitatem Babylonicam Judæorum concludit, quam 70. Annis perpessi. Tot autem annis subiêre pœnam Hebræi, quia, ut notat P. Cornel. à Lap. in 2. Paral. 30. Per sua scelera varia contaminarunt Judæam, quæ erat Terra sancta per 490. Ab initio Regni Saulis, unde Deus totidem annos pœnitentiæ & captivitatis, potuisset eis injungere, sed pœnam imminuit, ut è 7. annis, unum tantùm pœnitentiæ illis assignaret, 70. enim anni septies, continentur in Annis 490. Alia causa literalis fuit, quod Chaldæorum Monarchia duravit per 70. Annos, Chaldæi autem Judæorum fuerunt hostes & flagella Dei, qui illo toto tempore suæ Monarchiæ in captivitate desinuerunt eosdem.

Misericordia Dei etiam cum punit.

Tropologica causa fuit, quam dat S. Hieronymus in Jerem. c. 29. 10. Quod septuagenarius numerus sit Symbolum pænitentiæ, quam totâ hâc vitâ agere debemus, ut ad cælestem Gloriam perveniamus. Nam ut dicitur Ps. 89. v. 9. & 10. *Anni nostri sicut aranea, meditabuntur, dies annorum nostrorum in ipsis 70. anni.* Hinc Ecclesia à septuagesima commemorando lapsum Adami & Posterorum, inchoat tempus pænitentiæ. Deinde voluit DEus per 70. Annos, omnes senes Judæorum, vitiis suis assuetos & in iis inveteratos, emori.



LIBER



Liber sextus.

Ætas Mundi Sexta, quasi Senectus.

Inclinatæ Hebræorum Fortunæ.

Caput primum.

Cyrus Populum Judaicum dimittit, vasa Templi Domini restituit. Templum reædificatum. Quæstio de re fortissima à Zorobabele sapienter soluta. Danielis & Zorobabelis mors.

140. A*Nn. Mund. 3517.* Primus annus est solutæ captivitatis Judæorum, primus Zorobabelis ducis, urbis conditæ 216. Ante Christum 536. Mortuo Dario, omnia fere Orientis Regna in potestatem Cyri cessere. Judæi verò servitutis jugum non tam excusserunt, quam mutârunt, Persis, Græcis aut Romanis facti vectigales Speciali Divina Providentia afflictis per recentem captivitatem favente, gratiam invenêre apud Cyrum, cui DEus hanc mentem dedit, ut se facilem postulatis Judæorum præberet, de quo 2. Paral. 36. v. 22. *Anno autem primo Regis Persarum, ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ, suscitavit Dominus Spiritum Cyri Regis Persarum, qui jussit prædicari in Universo Regno suo, etiam per scripturam dicens:* v. 23. *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum, omnia Regna Terræ dedit mihi Dominus DEus Cœli, & ipse* pra-

præcepit mihi, ut ædificarem ei Domum in Jerusalem, quæ est in Judæa. Quis ex vobis est, in omni populo ejus? sit Dominus DEus suus, cum eo, & ascendat. P. Salian. Danielis scilicet operâ usus DEus, qui cum familiaris esset, ostendit illi, quæ tanto ante, de illo Isaias prædixerat, fore scilicet, ut DEus illi victoriam de Babylone daret, & ipse vicissim Judæis potestatem faceret redeundi in Patriam Templúmque ædificandi. Cyro enim notum fuisse Danielem ex virtute illius, ac tot gestis miraculis, non dubium.

Cyrus populum Judaicum dimittit, vasa Templi restitut. 1. Esdræ. 1.

Perhumaniter itaque cum Populo Judaico egit Cyrus, aliorum erga illum liberalitatem excitavit, ipse etiam bono exemplo præivit, suis quóque sumptibus Templum ædificari voluit, civitatem & muros, propriis Judæorum sumptibus permisit. Reddidit vasa Templi Domini per manum Mithridatis Præfecti ærarii, quia ea Zorobabeli numeravit, qui Chaldaicè dictus est Sassabazar. Erant 1. Esdræ 1. v. 10. *Omnia vasa aurea & argentea 5400.* Quatuor mensium spatio (P. Salian.) credibile est Populum Judaicum in Patriam rediisse, indictus Conventus Hierosolymis, magna enim provisione, ait Beda, primò altare ædificarunt, ut in defectu Templi saltem haberent, ubi sacrificantes devotionem explerent, deinceps de Templo ædificando cum artificibus actum. Rediêre in Patriam Judæi, non tamen ad plenam libertatem, primò enim Persis, deinde Græcis, tandem Romanis, servierunt. Duces quoque & Magistratus habuerunt in Judæa, idque ex alienigenarum voluntate, & venia. Ex quo intelligimus summos Pontifices, qui erant maximi Magistratus, & totius Cleri, sæpe etiam Reipublicæ Principes alienigenis fuisse subjectos, ut quamvis Patribus suis, naturali generatione succederent, ab illis tamen approbari ac confirmari oporteret, itáque sæpe ab illis institutos, legitimos, atque exauthoratos.

Status Reip. Hebrææ.

Templum reædificatum.

Ann. Mund. 3518. Primo inchoatum reædificari Templum post solutam captivitatem, jecerunt fundamenta Zorobabel dux & Josue Pontifex, credibile tamen est, magnam antiquorum fundamentorum partem ab incendio & machinis Chaldæorum incorruptam perstitisse, nondum enim Dominus supra universam Templi Fabricam illam ediderat vocem: Non relinquetur lapis supra lapidem, aderant senes aliqui, qui vetus viderant & novi initia (P. Salian.) volebant Judæorum æmuli, ferre opem Judæis (de quibus 1. Esdr. 3.) in

in construendo Templo, sed illi renuntiaverunt favori, metuentes prudenter, nè postea isti æmuli, qui ab Assur missi fuerant, jus sibi in Templum usurparent, & Idola in illud introducerent.

Cyri faventis Judæis, mors.

Ann. Mund. 3523. Cyrus in bello Massagetico occubuit, successit illi in Imperio Persico Cambyses qui & Assuerus honoris ergo dictus, sicut & postea Artaxerxes Estheris Maritus.

Zorobabel apud Darium invenit gratiam.

Ann. Mund. 3532. Sub hæc tempora Zorobabel, primò Babylonem & inde Susam, ubi erat Curia, profectus, ut ope amici Darii, cum quo adhuc in captivitate amicitiam contraxerat, urbis & Templi restaurationem impetraret, sed Divina Providentia factum, ut idem ipse Darius in Imperium eveheretur, sicque factum, ut non per ipsum sed ab ipso res impetranda esset, quam non ægrè impetravit, & insuper ut cum duobus sociis, in Regii Corporis Custodes, cooptaretur, quo rei gerendæ occasionem commodiùs captaret.

141. Quæstio de re fortissima. 3. Esdræ 3.

Ann. Mund. 3533. Successit res fortunatè Zorobabeli, captavit benevolentiam, dum enim Darius ad convivium convocatos, opulentissimo convivio tractasset, & somno aliquid post convivium indulsisset, tres Juvenes instituerunt quæstionem tractandam de re omnium fortissima. v. 10. *Unus scripsit. Forte ex vinum. Alius scripsit. Fortior est Rex. Tertius scripsit* (puta Zorobabel ita P. Salian.) *Fortiores sunt mulieres, super omnia autem vincit veritas.* Singuli verò scriptum suum obsignatum posuerunt, subtus cervical Darii Regis. Coram Rege deinde postquam evigilaverat, & coram optimatibus, suam quisque sententiam probavit. Maximè omnibus placuit Zorobabelis sententia, qui, ut ait P. Salianus, nihil aliud intellexit per veritatem, quàm ipsum verum Deum. Itáque Rex intimis affectûs sensibus, jussit Zorobabelem petere præter alia, quæ solventi quæstionem erant assignata, quidquid libuisset, qua ipse occasione usus, revocavit in memoriam votum ejus de ædificanda Jerosolyma, in die qua Regnum acceperat, & de sacris vasis restituendis, sed plura adhuc, quàm sperabat Zorobabel, obtinuit. Nam 1. Darius scripsit ad Præfectos c. 3. Esdr. 4. per quos Judæi transituri erant (multi enim adhuc Babylone remanserant) ut si quando opus fuerit, militaria illis præsidia darent. 2. Scripsit ad Tyrios & Sidonios, ut Judæis ligna Cedrina traderent, illosque in construendo Templo juvarent. 3. Illorum possessiones & personas a tributis immunes esse voluit.

luit. 4. Ut exteri de Castellis quæ Judæis occupaverant, cogerentur cedere. 5. Jussit quotannis 20. talenta ex reditibus Regiis dari in Constructionem Templi, donec absolveretur. 6. Ut in sacrificia alia 10. talenta Judæis traderentur. 7. Ut omnes Judæi, sive facti servi Jure belli, sive in servitute nati, liberi censerentur. 8. Stolam sacram, aliáque vestimenta Levitica, & vasa sacra quæcúnque Cyrus edixerat, Jerosolymam remitti jussit. Quapropter prorogavit DEus Imperium ejus ad 36. Annos.

His à Rege obtentis, reversus Zorobabel Babylonem inde Jerosolymam, multis stipatus Judæis, deducentibus mille Regiis equitibus, & plurima musicorum turba comitante, ita ut profectio speciem alicujus Triumphi haberet. Recensetur numerus eorum, qui cum Zorobabele redierunt 3. Esdræ 5. v. 41. *Omnis autem Israel exceptis servis & ancillis 42340. Servi horum & Ancillæ 7337.* Qui numerus ponitur etiem. 1. Esdræ 2. v. 64. Nota ex P. Cornel. à Lap. post duos primos libros Esdræ, qui sunt Canonici, duos posteriores Libros Esdræ scilicet Tertium & Quartum non esse Canonicos, ut Genebrard. in Chronologia pag. 90. sed esse Apocryphos, id est, occultæ authoritatis, quia Ecclesiæ certum non est, eos esse Canonicos, & Partes S. Scripturæ, ac proinde eos, extra Catalogum Sacrorum Librorum rejecit, locatque inter apocryphos, unde hi Libri duo, non extant in textu Hebræo nec Græco Septuag. Citant tamen eos multi veterum, vel ut sacros, vel ut Probos, in multis enim Græcis codicibus Liber Tertius Esdræ, ipse est Liber Primus Esdræ, &c. nec habet hic Liber quippiam de Fabulis suspectum, itáque majoris est Authoritatis, quam Historia Livii, Salustii, Curtii. &c. & solvit objectiones contra hunc librum P. Cornel. Quartum quoque librum Esdræ dicit, non Commentum Thalmudicorum, cum hic liber à tot veteribus videatur receptus & Ecclesia illo utatur in Introitu Missæ, Feria 3tia Pentecostes: Accipite, inquit, jucunditatem gloriæ vestræ, gratias agentes Deo, qui vos ad cœlestia Regna vocavit. Et modo coronantur & accipiunt palmam. In officio de Martyribus, quæ habentur hìc c. 2. cúmque Ecclesia illum hactenùs in sacris Literis excuderit, ac liber ipse habeat documenta pia, gravia, & illustria. Hæc P. Cornel.

Ædificabatur itáque Templum, promisitque Aggæus Propheta, hanc Domum gloriosiorem fore Priore, quod illam glori-

glorificaturus esset præsentiâ suâ ille, de quo dicitur Aggæi 2. 8. *Et veniet desideratus cunctis gentibus: & implebo Domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.* Loquebatur autem Aggæus de Gloria ex Christo (P. Salian.) frustra enim mentionem illius fecisset. Hinc colligitur hoc ipsum Zorobabelis Templum stetisse ad Christi tempora & non aliud, quod ab Herode à fundamentis excitatum fingit Josephus. Similiter per, desideratum, gentium, non alium intelligunt, nisi Christum. Chaldæus. Tigurina. R. Akiba. Unde hinc validum sumendum argumentum, contra Judæos, quo probetur venisse Messiam, ait P. Cornel. à Lap. in cap. 2. Agg. v. 8. fusè tractans hoc argumentum.

Ann. Mund. 3534. Rescripsit Darius ad Præfectos Syriæ & Phœnicis in favorem Judæorum de ædificando Templo, etiam capitis pœna interposita, in Transgressores Decreti.

Eodem anno contigit Danielis obitus, hunc ad 110. mum annum pervenisse testatur Isidorus, Doroth. in synopsi. Eum sepulchro Regio conditum scribit, nec immerito, ut qui Regio genere (P. Salian.) ortus, Regis Regum Christi Typum gessit. Danielis mors.

Ann. Mund. 3537. Finita Templi Fabrica, quæ tenuit annos 4. mensem unum, Dies 9. facta solennis dedicatio, oblata sacrificia.

Circa *Ann. Mundi* 3567. Zorobabel obiit, de quo hoc tradidere Hebræi, quod ædificato urbis muro, aptataque æde Sanctuarii Babylonem rediit, ibíque est defunctus. Et quidem ut par est credere piè ac religiosè, ut qui de pietate & Dei cultu ac gente Hebræa bene meritus fuerat. Zorobabelis mors.

Circa *Ann. Mund.* 3589. Xerxe Regnante fuit Dux simul & Pontifex Joacimus, Artaxerxe verò Regnante fuit similiter Dux & Pontifex Eliasib.



Caput secundum.

Convivium Assueri. Nuptiæ Estheris. Historia Aman & Mardochæi. Esdras venit Hierosolymam. Item Nehemias, qui restaurari muros Hierosolymæ curavit. Aqua accensa. Arca inventa nè?

142. Convivium assueri Esther. 1.

Ann. *Mund.* 3592. Contigit solenne illud convivium Artaxerxis sive Assueri, nec obfuit bellum Ægyptiacum, nam poterat Rex illi non interfuisse, nec etiam Satrapæ omnes, ut existimat Cajetanus, in illo fuerunt convivio, sed successivè. Tempus convivii erat sex mensium, id est, 180. diebus, pro Principibus & Primariis viris, ultima tamen sexti mensis hebdomada, universum populum Regiæ civitatis Regiâ magnificentiâ complexus. Esther 1. v. 5. *Jussit 7. diebus convivium præparari in vestibulo horti, quod Regio cultu & manu consitum erat. v. 6. & pendebant ex omni parte Tentoria aerii coloris & carbasini ac Hyacinthyni, sustentata funibus byssinis atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quóque aurei & argentei super pavimentum smaragdino & pario stratum lapide dispositi erant - - - v. 7. Bibebant autem qui invitati erant aureis poculis & aliis atque aliis vasis cibi inferebantur.* &c. &c. In hoc convivio vasthi Regina, cum à Rege vocata, ad eum venire recusaverit, è septem virorum consilio, repudiata.

Ann. Mund. 3593. Artaxerxes de repudiata Vasthi angebatur, sed revocationi obstitit, immutabilitas Regum Persiæ Decreti. Quare anxio Regi datur consilium per consiliarios Regios, ut Rex toto Regno quæri jubeat virgines forma præstantes, ex quibus eligat, quam placuerit loco vasthi, inter alias introducta est Esther neptis Mardochæi, quam ille post mortem utriusque ejus Parentis sibi loco filiæ adoptarat, ignotúmque erat Persis illam esse Judæam.

Nuptiæ Estheris. Esth. 2.

Ann. Mund. 3596. Celebratæ Estheris nuptiæ, quæ primo facta Regis Concubina, id est, inferioris ordinis uxor, postea in Regiam dignitatem evecta. Prætulit eâ Rex omnibus mulieribus, utpotè omnium gratiosissimam formosissimam. v. 17. *Posuit diadema Regni in capite ejus, fecítque eam regnare in loco Vasthi. Et jussit convivium præparari permagnificum, cunctis Principibus - - - & dedit requiem universis Provinciis.* (P. Salian.) scilicet à pensitatione tributi, ut participes essent lætitiæ ipsius. Quod hæ nuptiæ licitæ fuerint, vel speciali divinæ dispensationi, in bonum populi Judaici, tribuendum, vel dicendum, (P. Salian.) lege Mosaica nonnisi prohibitas nuptias cum 7. gentibus, quæ eo loco numerantur & subjectæ erant Anathemati.

Esdras venit Hierosolymam. 1. Esdræ. c. 7.

Ann. Mund. 3596. Esdras Judæus Sacerdos, Artaxerxis scriba, doctrina insignis, qui scripturam tempore captivitatis corruptam restituit, obtentâ prius potestate à Rege, apud quem ob eximiam virtutem magna pollebat authoritate, cum 1775. Personis Babylone movit, venítque Jerosolymam, discessui illius non solùm annuit Rex, sed etiam sua benevolentia juvit, vasa pretiosa in Ministerium Domûs Dei obtulit, insuper dedit potestatem Esdræ constituendi Judices & Præsides, ad dirimendas populi Judaici quicúmque trans Euphratem degebat lites. Spatio 4. mensium peractum iter, sacrificatum ab eo Hierosolymis solenniter, una ex præcipuis causis adventûs ejus erat, corrigere, quæ depravata erant in populo circa legem Dei. Dúmque illi dictum fuisset multos etiam ex Levitis & Magistratu coinquinatos conjugiis alienigenis, scidit pallium suum & tunicam, capillos quóque capitis sui evulsit, & sedit mæstus. Exemplo illius primo populus movetur ad lachrymas, postea ad abalienationem alienigenarum, (probabile P. Salian.) nisi sacra Judæorum amplecterentur, electi ad hoc negotium Judices, quod trimestri spatio expedierunt.

1. Esdræ 9. v. 3.

143. Historia de Amano & Mardochæo. Esther c. 3. &c.

Ann. Mund. 3601. Contigit illa mirabilis de Amano & Mardochæo historia. Aman probabiliter fuit Patre Macedo, matre Persa. Hic molestissimè ferens se à Mardochæo non adorari, quod ille fecit non & superbia, sed veritus, nè honorem Dei transferret ad hominem. Offensus eo Aman, & pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus (P. Salian) nisi omnem Judæorum, quæ erat in regno Assueri, perderet Nationem. Obtinuit itáque Decretum votis suis annuens (Esther cap. 3.) elegítque duodecimum mensem; diemque mensis 13tiam, qua ubíque universi Judæi occiderentur. Promulgat toto in regno decretum ferale imprimis Susis. Consurgit Judæorum, imprimis

mis Mardochæi, luctus, qui Esth. 4. v. 1. *Indutus est sacco, spargens cinerem capiti, & in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui.* In Septuaginta legitur clamasse: tollitur gens, quæ nihil injustè egit. Aperit deinde dolorem suum & populi interitum per Eunuchum Arhach Estheri Mardochæus, monetque, ut Regem adeat, eúmque pro populo deprecetur. Suscipit periculosum negotium Esther, divinæ, providentiæ confisa, jejunat priùs triduo, postea induto regali vestitu Regem adit, cujus Deus cor in mansuetudinem ita convertit, ut de solio consurgens, omnem excusserit timorem, quod legem de Rege adeundo nisi quem vocasset, negaret ad illam pertinere. Esther c. 5. v. 2. *Cúmque vidisset Esther Reginam stantem, placuit oculis ejus & extendit contra eam, virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens osculata est summitatem virgæ ejus. Dixitque ad eam Rex: Quid vis Esther Regina? quæ est petitio tua? Etiamsi dimidiam partem Regni petieris dabitur tibi.* Additur dixisse Regem, Esther c. 25. v. 12. *Quid habes Esther? Ego sum Frater tuus noli metuere, non morieris: non enim pro Te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Favore Regis læta Esther, Regem cum Amano ad convivium invitat. Esther c. 5. in illo, exhilarato Rege, & quærente, quid peteret, iterum ad sequentis diei convivium utrúmque invitat, prúdenter sanè, ut generalibus promissis à Rege obtentis, particulare postea faciliùs obtineret. Post hoc convivium Aman egressus ringebatur, quòd à Mardochæo non adoraretur, nihili enim omnem felicitatem suam æstimabat, dum se à Mardochæo non honorari adverteret. Domum reversus, apud suos querimoniam deposuit, illorúmque suasu jussit excelsam Mardochæo præparari crucem 50. cubitorum, ignarus, quod ipsummet se, tantopere honoris appetentem, elatúmque superbiâ, tantus suggestus maneret.

Interim mirabilis DEI Providentia, Assuero Regi ea nocte somnum ademerat, quare Historias legi sibi jussit, dúmque ad illam ventum esset, ubi agebatur de detectis per Mardochæum Eunuchorum adversus Regem insidiis. Esther. 6. Quæsivit, quid pro hac fide honoris & præmii Mardochæus consecutus est? Cúmque servi qui adstabant, negassent quidquam illi mercedis datum, Cælo jam albescente, rogavit Rex, quisnam esset in atrio. Aderat autem Aman, qui solito citius venerat, ut à Rege suspendium Mar- Esther 6.

Mardochæi impetraret, huic advocato dixit Rex. Esther. 6. v. 5. Quid debet fieri viro, quem Rex honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo Aman & reputans, quòd nullum alium Rex, nisi se, vellet honorare, respondit. v. 7. Homo quem Rex honorare cupit. v. 8. Debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella Regis est, & accipere Regium diadema super caput suum v. 9. & Primus de Regiis Principibus ac Tyrannis teneat equum ejus, & per plateam civitatis incedens clamet & dicat: Sic honorabitur, quemcunque Rex voluerit honorare. Quod dum Rex præstari ab Amano Mardochæo præcepisset, præstitit id Aman, magno cum animi mærore, ac nonnisi metu stimulatus ad convivium Reginæ ivit, in quo dum Rex exhilara-
Esther. 7. tus repetiisset: Esth. 7. v. 2. Quæ est petitio tua Esther, ut detur tibi, & quid vis fieri? Etiamsi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis. v. 3. ad quem illa respondit: Si inveni gratiam in oculis tuis O Rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro. v. 4. Traditi enim sumus, ego & populus meus, ut conteramur, jugulemur & pereamus. Hæc audiens Rex stupore affectus, in Authorem crudelitatis excanduit, dixitque: v. 5. Quis est iste & cujus potentiæ, ut hæc audeat facere? Dixitque Esther: hostis & inimicus noster pessimus, iste est Aman. Quod ille audiens illicò obstupuit, vultum Regis ac Reginæ ferre non sustinens. Iratus Rex exauthorat Amanum, dignitatem illius confert Mardochæo, ita, ut secundus à Rege esset. Esther fatetur Mardochæum esse suum Patruum. Notandum. Dum à scriptura fit mentio Mardochæi, ante hoc tempus, dicitur id per anticipationem. Aman verò in eodem patibulo, 50. cubitos alto, quod paraverat Mardochæo, mortem invenit.
Esth. 7. v. 10. Suspensus est itáque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo. Amani Literæ, in necem Judæorum, ferreo stylo descriptæ, antiquatæ. Alteri nocere volens, sibi nocet.

Ann. Mund. 3602. Permisit Assuerus Judæis, ut inimicos suos in Regno suo, eadem die, qua volebat Aman Judæos occidere, trucidarent, quod illi fecerunt non refragantibus Persis, magna cædes Persarum à Judæis toto Regno patrata, initium cædis sumptum Susis, à decem Filiis Aman, & in eadem urbe, ad quingentos usque progressum. Cæsorum numerum in universo Regno ad 75000. pervenisse, scriptura restatur. Esther. c. 9. Dum notitia edicti Regii pervenit ad populum non solùm Judaicum, sed & gentilem, magno

Ju[illegible]itiæ execu[illegible]io gentes exhilarat.

no plausu excepta. Esther. 8. v. 17. Apud omnes populos, urbes atque Provincias, quocunque Regis jussa veniebant, mira exultatio, epulæ atque convivia, & festus dies: in tantum ut plures alterius gentis, & sectæ, eorum Religioni & Ceremoniis jungerentur. Grandis enim cunctos Judaici nominis terror invaserat. Ut autem ostenderent Judæi, (P. Salian.) se non ardore avaritiæ, sed zelo justitiæ, motos fuisse, etsi illis hoc à Rege permissum fuerat, prædas de substantiis eorum non tetigerunt. Esther c. 9. v. 16. Et nullus de substantiis eorum quidquam contingeret. Cædes autem hæc, (P. Salian.) authoritate magistratuum fiebat, nam Rex dedit ad Magistratus Literas hâc de re. Horum autem Judæorum posteri Sacrilegi, ita celebrant hunc diem cædis, ut ejus ritus contra Christum traducant, ut ex Honorii & Theodosii prohibitione constat.

144. *Ann. Mund. 3609.* Nehemias Judæus dedit se luctui, audiverat enim ab hostibus, murum Jerusalem dissipatum, portas combustas, ab hostibus Judaici nominis, ac ad propitiandum DEum se vertit. A Rege quóque aliquod subsidium petendum erat, sed nec ipsa Esther & Mardochæus id audebant, sed potius malebant id per Nehemiam, (qui Regi erat à poculis, scilicet Pincerna, quod officium illi Esther & Mardochæus conciliasse videntur) ipsi enim veriti difficillimum hominis ingenium, cui si contigisset ingratam esse petitionem, periculum erat, nè gratiam ejus perpetuò amitterent. At alio petente, poterant illi offensionem in Judæos vel tollere vel mitigare, sin autem grata esset, eam poterant tutò atque efficaciter promovere. Cùm ergo trimestre positum fuisset à Judæis, (P. Salian.) in jejuniis, orationibus, ecce Rex post cænam factus est hilarior. Nehemias Pincerna Regius elevatum calicem porrexit Regi, & quidem facie languidiore, ex metu & sollicitudine suscepti negotii, cùm ergo Rex causam tristitiæ ex eo sciscitaretur, respondit: 2. Esdræ 2. v. 3. *Quare non mæreat vultus meus, quia civitas, Domus sepulchrorum Patris mei deserta est, & Portæ ejus combustæ sunt igni.* Et rogante Rege, quid super ea re postularet, rogavit Nehemias, ut Rex ipsum in Judæam mitteret, ad ædificandum Hierosolymam, annuit Rex, dedit illi literas commendatitias, venit Hierosolymam, ac tacite primò Præcipuis Judæorum consilium suum aperuit, enarravit consensum Regium, alacritatem tantummodò illorum in ædificando desideravit. Votis illius respondit populus, accinxit se operi,

Nehemias de restaurandis muris Jerusalem &c. sollicitus 2. Esdræ 1.

2. Esdræ 2.

Efficax labor cito peragit.

operi, intra 52. Dies muri Jerusalem reædificati. 12. Portæ constructæ, nec mirum, tanto tempore, tantum opus perfectum (P. Salian.) cum multa hominum millia in hoc opus incumbebant, nec mænia omni ex parte ab imis fundamentis excitata sunt, sed in illis ipsis ædificia interrupta, restaurata, conabantur quidem inimici Judæorum Sanaballat & Tobia &c.

2. Esdræ 4.

Qui recensentur 2. Esdræ 4. disturbare inceptum laborem, sed prudentia Principis Nehemiæ, obviavit periculo, positæ custodiæ &c. [illegible] 16. *Media pars Juvenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum, & Lanceæ & scuta & arcus & Loricæ & Principes post eos in omni Domo Judæ. v. 17. Ædificantium in muro & portantium onera & imponentium: una manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium, v. 18. ædificantium enim unusquisque gladio erat accinctus renes.* Perfecto opere providit Nehemias custodiæ urbis, ipse exemplo præivit ad remittenda egenis debita, facta dedicatio muri, convocati Levitæ, Sacerdotes, populus in duos Choros divisus, adversi circuibant muros, (P. Salian.) postquam ad partes custodiæ, ambæ partes convenêre, ibi actæ Deo gratiæ, quod ex pulvere civitatem suam iterum excitarit, varia lætitiæ signa edita. Notandum hic, alii Reges, uti Cyrus, Darius, etsi concesserunt templum restaurandum, nullam tamen expressam facultatem muros excitandi dederunt.

Fortis laborat armatus.

Celebratum Festum Tabernaculorum, facta sub dio è ramis Tabernacula, 7. diebus. Legente singulis diebus Esdra in Libro Legis. Per hos dies Scenopegiæ, ignis de cælo datus existimatur, juxta ea, quæ 2. Machab. 1. v. 20. *Cùm autem præteriissent Anni multi, & placuit Deo, ut mitteretur Nehemias, à Rege Persidis: Nepotes Sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem, & sicut, narrarunt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam, v. 21. Et jussit eos haurire & afferre sibi: & sacrificia, quæ composita erant, jussit Sacerdos Nehemias Aspergi, ipsa aqua, & ligna, & quæ erant superposita. v. 22. Utque hoc factum est, & tempus affuit, quo Sol refulsit, qui prius erat in Nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur --- v. 31. Cùm autem consumptum esset Sacrificium, ex residua aqua Nehemias jussit lapides majores perfundi* (P. Salianus, jussit infundi reliquum aquæ in Urnas lapideas) quod ut factum est, ex illis flamma accensa est, sed ex lumine, quod refulsit ab Altari consumpta est. Sed dicit Glossa hìc (ut observat Ugo de S. Charo Cardin.) quod neque hoc, neque quod sequitur de absconsione Arcæ per Hieremiam, in Esdræ aut Nehemiæ aut Hieremiæ scriptis invenitur.

Aqua accenditur. 2. Mach. 1.

Unde constat eos aut ex Majorum suorum traditione, didicisse, aut in eorum apocryphis reperisse. Arca. Probabilissimum (P. Salian.) quoque est, eodem tempore, Arcam, Tabernaculum, Altare incensi, tunc esse inventa, nam cum Jeremias absconderit arcam, dixit hæc abscondita fore. 2.Machab. 2.7. *Donec congreget DEus congregationem populi, & propitius fiat, tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit, Majestas Domini, & Nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur.* Nullum autem tempus potest ostendi, quô post congregationem populi, manifestata majestas Domini, quàm hoc, quô ignis miraculosè accensus est. Nec obest, quod Scriptura hujus non meminit. Respondetur enim, quis novit Consilium Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit, multaque optamus à Scriptura fuisse tradita, quæ sunt obvoluta silentio. Quod Josephus non meminit hujus, minus est, etiam de Jobo nullam fecit mentionem, similiter de hoc igne Nehemiæ, ita P. Salianus. Circa hunc textum 2. Machab. 2.7. ait Cornel. à Lap. in Aggæi c. 1. v. 8. Quod erit in fine mundi, cum eos colliget in Ecclesiam Christi & salvabit. Quare Arca Testamenti, quæ hìc Romæ ostenditur, in Basilica Lateranensi, non est Arca à Moyse fabricata, sed ejus imago & repræsentatio, quam Judæi primæva Arca Mosaica destituti, ad ejus similitudinem efformarunt, & in Templo, ut dicitur, collocarunt, plura ex Cornelio vide supra Num. 128. Hæc tamen verba. 2. Machab. 2. 7. Donec congreget &c. de fine mundi intelligunt S. Epiphan. & S. Dorotheus. Et quidem Epiphanius citatus ab Ugone de S. Charo Cardinali, scribente in 2. Mach. 2. dicit: Hic est Hieremias, qui Templum evertendum prænoscens, Arcam Testamenti, cum his, quæ in eadem erant, [illegible] & precibus suis, eam absorberi fecit in petram, petram verò digito designans, nomen Dei impressit, & factum est sigillum, in similitudinem scripturæ, quæ ferro cavatur, & ipsum Domini nomen nubis operimento ita celatum est, ut ex tunc nec locum quis cognoscere queat, nec non legere usque in hunc diem, & usque in finem, & pristinæ figuræ instar. Illic sæpè nubes & ignis fit nocturno tempore, eo quod Gloria Domini ab ejus lege non desinat, est autem Petra illa in Eremi terra inter duos montes, in quibus jacent Moyses & Aaron, dixitque Hieremias præsentibus. Dominus de Sion ascendit in Cælos, inde rursùs in virtute venturus, & erit signum Præsentiæ ejus, quando omnes gen-

tes adoraverint Lignum. Dixítque, quòd arcam hanc nemo poterit producere præter Aaron, Tabulas, quæ in ea sunt, nullus Sacerdotum aperiet, nisi electus DEi Moyses, & in prima resurrectione resurget hæc Arca & exibit de Petra, & ponetur in monte Sina, & omnes sancti congregabuntur ad eam, regressum Domini sustinentes, & Adversarium, qui eos quæstiturus est, interimere, fugientes.

Renovatum deinde fædus, inter Deum & Populum, multi defectus correcti, constitutum, ut Principes populi habitarent Hierosolymis, reliqua verò plebs misit fortem, ut [illegible] illam incoleret, præter eos, qui spontè vellent eligere habitationem in ea. P. Bussieres: tunc inventum Synedrium, cui præsiderent à stirpe Davidis Judices, & Posteri Aaronis, summi Sacerdotes, qui Reip. Status, ad Christum usque perstitit.

Ann. Mund. 3610. De hoc miraculo ignis certior factus Artaxerxes, in Perside, vehementer miratus, tantóque magis, quo semper majore apud Persas ignis fuit veneratione. Eum locum, in quo ignis inventus, sacrum & religiosum esse voluit, eúmque ac Sacerdotes multis donariis ac muneribus honoravit. Quod non superstitione Persica coli in illo loco voluit ignem, sed Deum miraculi Patratorem. Suadent Esther Regina & Mardochæus, qui propenso in pietatem Regi instruendo, non deerant.

Ann. Mund. 3629. Nehemias Nehemiæ petiit iterum [illegible] mam, quo dum venisset, multa correxit, instituit, plenusque virtutum & dierum finem vitæ posuit. Et hìc jam de Sacra Historia, cùm non extet usque ad Machabæos, id est, 250. Annos, erit silentium.



Caput tertium.

Templum Samariæ extructum. Alexander Magnus Hierosolymam venit. Judæi Capti, Præsidiarii fiunt in Ægypto. Septuaginta Interpretes Scripturam ex Hebræo in Græcum transferunt. Judæi ab Elephantis proterendi liberantur.

145. Templum Samaritanum.

ANn. *Mund.* 3722. Ante Christum 331. Ante Tyrum captam ab Alexandro, Sanaballetes, qui Socer erat Manassis Fratris Jaddi Pontificis, [illegible] finibus de sua Provincia, in Alexandri Magni castra se contulit, à quo libenter acceptus petiit, ut per eum liceret, Templum in sua Provincia excitare, cui generum suum Manassem, Pontificem, præficeret, quod ubi impetratum est, omni ope annitens, Templum ædificavit, & Manassem ejus Sacerdotem constituit. Hoc ergo Anno in Samaria inchoatum est Templum Hierosolymitani æmulum, quod ad usque ipsam Christi Domini ætatem stetit in ruinam multorum in Israel, fuitque perpetuum inter Judæos rixarum Seminarium. P. Salian.

Alexander magnus Hierosolymam venit.

Eodem Anno. Alexander Magnus, captâ Tyro, Hierosolymam petiit, Jaddus Pontifex cognito periculo ad DEum [illegible] ductus, jussit portas urbis Alexandro aperire, ipse cum Sacerdotibus, solenni sui Ordinis cultu, populus autem processit Candidatus. Id agmen cùm è longinquo vidisset Alexander, religione tactus, Pontificem adiit venerabundus & Divinum in Tiara Nomen adoravit. Quod cùm sui mirarentur, respondit: DEo, cujus esset Pontifex eum se honorem exhibuisse, qui se illi de hac expeditione deliberanti in Macedonia, hoc ipso habitu, videndum præbuerat, victoriamque promiserat. Ergo amplexus Pontificem, Sacerdotibus deducentibus in urbem pervenit, & ascendens in Templum, immolavit DEo ex Sacerdotis

cerdotis præscripto, non ad ejus cultum, ait Augustinus, verâ pietate conversus, sed impia vanitate, cum diis eum suis falsis, colendum putans. Pergit Josephus ostensum illi Danielis librum, in quo Græcum quendam Persas debellaturum significatur, quem locum ipse de se interpretatus est, lætúsque concessit, quidquid ab eo postulatum fuit, nominatim ut Patriis Legibus vivere liceret, & septimo Anno immunitatem à tributis dedit. De Alexandro isto hæc tradit scriptura. 1. Machab. 1. v. 1. *Et factum est postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui Primus regnavit in Græcia egressus de Terra Cethim, Darium, Regem Persarum & Medorum. v. 2. Constituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones & interfecit Reges Terræ v. 3. & pertransiit usque ad fines terræ, & accepit spolia multitudinis Gentium & siluit Terra in conspectu ejus. v. 4. Et congregavit virtutem & exercitum fortem nimis, & exaltatum est & elevatum cor ejus. v. 5. Et obtinuit Reges Gentium & Tyrannos & facti sunt illi in Tributum. v. 6. Et post hæc decidit in lectulum & cognovit, quia moreretur. v. 7. Et vocavit pueros suos Nobiles, qui secum erant nutriti à Juventute, & divisit illis Regnum suum, cum adhuc viveret. v. 8. & regnavit Alexander Annis 12. & mortuus est.* &c.

Alexander moritur.

Vide Cornel. à Lap. perpendentem illa 1. Machab. 4. Et elevatum est cor ejus. Adeò ut divinitatem affectaret, & ab ipso Jove satum se esse contenderet &c. v. 8. Mortuus est. Babylone ex veneno dolo Antipatri ei dato, vel ut alii, ex crapula, vel ex utróque. Vide hìc vanitatem Regum & Regnorum, ait P. Cornel. En tibi Alexander, qui mundum subjugarat, & novos mundos, quos subjugaret, quærebat, sex tantum annis Imperio suó gavisus est, ac sexto anno mortuus, exiguo tumulo conditus sepultúsque jacet. Verè Juvenalis Satyra 10. Unus Pellæo Juvenis (Alexandro) non sufficit orbis. Æstuat infelix angusto limite mundi. &c. Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur. Quantula sunt hominum corpuscula. Hinc Apelles pinxit Alexandrum, quasi fulmen manu tenentem, eo quod instar fulminis omnia pervaserit sed & illico disparuerit ut fulmen. Narrat Petrus Alphonsus Plures Philosophos, (fortè Gymnosophistas, qui olim quæstiones ab Alexandro propositas resolverant,) audita morte Alexandri ad funus convenisse, atque unus, inquit, dicebat: Heri totius terræ spatiositas Alexandro non suffecit, nunc trium quatuorvè ulnarum spatium illi ipsi sufficit. Ajebat alius: Heri potuit Alexander

der à morte multos liberare, hodie se ipsum non potest. Alius cùm aureum ejus loculum videret: Heri Alexander ex auro fecit Thesaurum, hodie aurum ex ipso fecit Thesaurum. Alius: Heri Alexander terram oppressit, hodie à terra opprimitur. Denique mater Alexandri Olympias ingemuit: O Fili, inquit, qui Cæli particeps esse studebas, ne iis quidem potiri vales, quæ mortalium omnium communia sunt, terrâ & sepulturâ, mansit enim Cadaver insepultum Alexandri ob Principum dissidia. Ite nunc Filii Adæ, terræ ut talpæ inhiate, agros agris, urbes urbibus, Regna Regnis, accumulate, cras morituri. O curas hominum, O quantum est in rebus inane. Pulcher fuit Alexander, nunc est turpe cadaver, fuit Cyrus, nunc est Irus, fuit remex Calicum, nunc est esca vermium, fuit terror gentium, nunc est præda dæmonum, fuit inclytus Rex gloriæ, nunc est follis & fomentum gehennæ, eritque semper in omnem æternitatem. Hoc speculum intuere O Lector, tibi dicito: hodie Alexandro, cras mihi. Hæc Cornel.

Judæi capti in præsidiis pro custodia in ægypto locantur.

Circa *Ann. Mund.* 3732. Ait Josephus initio L. 12. Ptolomæum Lagi Hierosolymam occupasse, opera scilicet Seleuci Nicanoris, qui postea Syriam & Babylonem proprio nomine tenuit, occupasse autem die Sabbati Judæis hostem minimè arcentibus. Aristæas in Libel. de Septuaginta ad 100000. Judæorum abducta scribit in Ægyptum, ex eoque numero Regem Ptolomæum ad 30. mill. armasse & per varia præsidia distribuisse, ut, si quando Ægyptii insolescerent, operâ Judæorum compescerentur. Cæteros autem servituti addictos fuisse, apparet.

Judæi civitatibus donati.

Ann. Mund. 3764. Seleucus, ut Eusubio placet, in eas urbes, quas extruxerat, Judæos transtulit, Jus illis Civium, & municipalem Ordinem cum Græcis æquali honore concedens. Urbes autem intelligit, quas antea nominaverat. Antiochiam, Laodiciam, Seleuciam, Edessam &c. &c.

Septuaginta Interpretes.

Circa *Ann. Mund.* 3775. Ante Christum 278. Urb. Cond. 474. Regnante in Ægypto Ptolemæo Philadelpho, contigit beneficium divinum, versionis Sacrarum Literarum, in Græcam linguam, per Septuaginta Interpretes, quô divina Providentia etiam gentibus de notitia Sacræ Scripturæ providit. Hâc interpretatione, tanquam Spiritus Sancti oraculis Apostoli ipsi atque Evangelistæ, omissa, quam vocant, Hebraica ver-

sione (P. Salian.) sunt usi in Libris & Epistolis. Circa tempus hujus versionis est aliqua controversia, non in multis tamen annis, circa 7mum vel octavum Philadelphi Regni, accidisse, probabilior asserit sententia.

Occasionem hujus versionis Aristæas, Josephus, Epiphan. Euseb. afferunt cupiditatem Philadelpho divinitùs injectam, colligendi nobilissimam Alexandriæ Bibliothecam, cujus cum præcipuum ornamentum crederentur Judæorum Libri, quos illi divinos appellabant, & magno studio conservabant, nec in vulgus efferri patiebantur, Ptolemæus, collato ingenti in Judæos beneficio (ad 120000. Judæorum captivorum dimisit) sacrisque muneribus, vim illis sapienter injecit, ut Sacros Libros in Græcum idoma vertendos præberent, atque adeò peritissimos probatissimosque Interpretes mitterent, qui eam curam fideliter susciperent. Res per Epistolas confecta, quæ passim extant. Circa cellas, in quibus singuli seclusi fuerant, sunt diversæ sententiæ, S. Hieronymus, quem plerique sunt secuti, has cellas rejecit. Recentiores verò, inter quos Leo Castrius, Baron. Salmeron, Serrarius, Gretserus, antiquorum Patrum scilicet Irenæi, Cyril. Hierosol. Augustini, Epiphan. authoritatem tuentur, qui cellas istas fuisse affirmant. Sit pro multis Patribus antiquis S. Justinus Martyr, sanctitate clarissimus, natione Palæstinus, qui in cohortatione ad Græcos, eam rem distinctè narrat: Regem in Insula Pharos, pro Interpretum numero domunculas extrui præcepisse, ut sigillatim pro se quisque interpretationem perficeret, & à mutuo congressu prohiberentur, quo exquisita illorum Interpretationis veritas ex ipsorum etiam consensu cognosci possit. Mox animadversum omnes 70. Viros, non solùm eadem sententia, sed etiam eisdem verbis in versione usos. Additque: Hæc vobis viri Græci, non ut fabulam aut confictam historiam enuntiamus, sed qui ipsi Alexandriæ fuerimus, & vestigia domuncularum adhuc apud Pharum reliqua viderimus, & ab Incolis, qui res Patrias à Majoribus per manus sibi traditas acceperunt, audierimus, commemoramus. Tota Scriptura ab illis versa, licet Josephus & Philo, tantum Moysis Libros versos, non rectè, putant. Illorum enim sententia communi Sanctorum Patrum sententiæ repugnat, (P. Salian.) nam vel ex ipso S. Hieronymo constat Christum Dominum, Apostolos & Evangelistas, vetus Testamen-

stamentum, juxta septuaginta interpretationem, citare, & identidem Psalmos & Prophetas afferunt. Ut ibi Joannis 10. 34. *Nonnè scriptum est in Lege vestra: Quia ego dixi Dii estis.* In vulgata supra est, Psalmo 81. 6. *Ego dixi Dii estis, & Filii excelsi omnes.* Iterum Joannis 15. 25. *Odio habuerunt me gratis.* In vulgata verò supra Psalm. 24. 19. *Odio iniquo oderunt me.* Tum Matthæi 15. 8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* In vulgata supra. Isai. 29. 13. *Populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, Cor autem ejus longè est à me.* Deinde quomodo famem Ptolomæi, aliqui Libri Moysis exsaturarent, & reliqui Libri Prophetarum, qui hominum desiderium maximè excitare possunt, Historici, quales sunt Regum, negligerentur. Deinde Hebræos illos S. Irenæus. S. Justinus. S. Epiphanius. S. Hilarius. S. Augustin. S. Chrysost. &c. à P. Saliano citati, apertè refellunt.

Versionem duos intra & septuaginta dies absolutam scribunt Aristæas & Josephus, quibus Cyrillus, Epiphanius consentiunt, simulque collectos omnes, interpretationem comprobasse. Imò cùm Rex ipse acceptos à Demetrio Libros adorasset, asservari jussit diligenter, ut incorrupti manerent, asservatum porrò & exemplar Hebraicum. Addita solennis imprecatio ab iisdem Interpretibus si quis vel addere vel minuere, vel omninò mutare quidquam auderet eorum, quæ scripta essent. Deinde cum ingentibus donis dimissi sunt domum, at Rex annuam etiam celebritatem instituit. Hodie inquit Philo, solennis celebritas renovatur in Pharo Insula, ad quam non tantùm Judæi, sed & alii plurimi trajiciunt, locum veneraturi, in quo primum visa est hæc interpretatio, & pro tanto beneficio quasi recenti, acturi Deo gratias.

146. Regis Spartiatarum ad Judæos Literæ.

Ann. Mund. 3821. Arii Spartanorum Regis, datæ ad Oniam secundum, Pontificem, literæ, quarum literarum exemplar extat 1. Machab. 12. 20. *Arius Rex spartiatarum Oniæ Sacerdoti Magno salutem.* Inventum est in scriptura (P. Salian. id est in Annalibus) de Spartiatis & Judæis, quoniam sunt fratres & quod sunt de genere Abraham &c. P. Salian. Minimè absurdum est, Coloniam aliquam Abrahamitarum, ex Cetura susceptorum, in Græciam agrumque spartanum esse deductam, & hanc rem ad Posteritatis memoriam, scriptis fuisse commendatam. Additurque in illis literis v. 23. *Sed & nos rescripsimus vobis; Pecora nostra & Possessiones nostræ, vestra sunt; & vestræ nostræ.* Ita fraternitati, communicationem bonorum debitam, existimarunt Spartani.

Fratrum omnia communia.

Ann. Mund. 3839. Ptolemæus Ægypti Rex (P. Salian.) persequebatur Judæos & ad Ægyptios ritus adigebat, resistentesque vel occidi jussit vel omni dignitate ac libertate privatos, Stigmaticos fieri, insto hederæ folio, Liberi Patris, insigni. Ab Apostatis deinde, quorum Fideles Judæi consortium fugiebant, incitatus Rex, ex toto regno suo congregatos, mandavit 500. Elephantis conteri, jamque educti erant Elephanti, cum Judæi ad divinam misericordiam, ejus implorantes opem, confugêre, nec defuit supplicibus DEus, namque visi sunt duo terribiles Angeli de Cælo descendere, omnibus præterquam Judæis manifesti, qui Ægyptios ita conturbarunt, ut quasi vinculis constricti immobiles fierent. Rex quoque totus inhorruit, atque animo immutatus feritatem deposuit. Quin & Belluæ, in sequentes exercitus conversæ, eos pedibus proterebant. Tunc Rex Judæos laudatos vinculis solvi jubet, Deumque ipsorum Protectorem agnoscit, deinde diebus 7. illos convivio excipi jubet, dat illis potestatem interficiendi Apostatas, quorum supra 300. occiderunt, & in suam quisque domum reversi sunt.

Judæi ab Elephantis proterendi liberantur. NB. Pro hac historia à P. Saliano citatur Lib. tertius Machab. qui non est appositus codici scripturæ, habet tamen suam auctoritatem.

Ann. Mund. 3856. Antiochus magnus Asiæ Rex, urbes occupatas à Scopa Principe militiæ Ptolemæi, iterum accepit, inter quas fuit & Hierosolyma, quæ nunc huic, nunc illi hosti, vinctas manus dabat, pilæque lusoriæ instar, nunc hac nunc illa Potentiorum verberabatur manu.



Caput

Caput quartum.

Heliodorus Raptor Bonorum Eccleſiæ conculcatus. Circa Pontificatum contentio. Sacerdotum depravatio. Oſtenta in Aere. Jaſon turbulentus accipit confuſionem. Clades Hieroſolymæ. Perſecutiones. Idololatria introducta. Fortitudo invicta Eleazari & Matris cum 7. Filiis.

147\. Heliodorus Raptor Bonorum Eccleſiaſticorum rapitur ad plagas. 2. Machab. 3.

ANn. *Mund.* 3870. Simon quidam de Tribu Benjamin, qui officio cuipiam Præpoſitus erat, iniquum aliquid in civitate moliebatur, cúmque Simoni reſiſteret Pontifex Onias, ille ad Apollonium Provinciæ Præfectum ſe contulit, ut illius operâ, vel invito Pontifice obtineret, quod optabat, & quidem multarum pecuniarum interventu, quas cùm ſuppeditare ipſe non poſſet, aperiebat viam, quâ alienæ, in ejus aut Regis poteſtatem venirent. Nuntiavit itáque ei, pecuniis innumerabilibus plenum eſſe ærarium, quæ poſſent in Seleuci Regis cadere poteſtatem, quæ cùm Rex, qui ingenti tributo Romanis eſſet obnoxius, accepiſſet, Heliodorum regiis negotiis Præpoſitum miſit Hieroſolymam, qui eas pecunias regio Ærario addiceret. Hoc opus, ne quidquam diſſuaſione Pontificis obſtante, aggreditur Heliodorus. Sed ecce Deus ſingularem Ærarii ſui ſe oſtendit propugnatorem, ſic, ut Heliodorus, qui venerat ad Sacrum ærarium ſpoliandum, divina virtute, animo, viribúsque deſtitueretur. 2. Machab. 3. v. 25. *Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens Seſſorem, optimis operimentis adornatus; isque cum impetu Heliodoro priores calces eliſit, qui autem ei ſedebat, videbatur arma habere aurea. v. 26. Alii etiam apparuerunt duo Juvenes virtute decori, optimi gloriâ, ſpecioſique amictu: qui circumſteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant ſine intermiſſione, multis plagis verberantes. v. 27. Subito autem Heliodorus concidit in terram, cúmque multa caligine circumfuſum rapuerunt, atque in ſella geſtatoria poſitum, eiecerunt.* Equum hunc, mundi Heroes, quibus rapina præcipuè Eccleſiaſticorum bonorum, in lucris, ſibi non incongruè accomodare poterunt, alienisque plagis, ad pœnitentiæ ſtatum compelli. Cúmque Heliodorus mutus jaceret, ac planè de ſalute periclitaretur, Onia pro ipſo ſacrificium offerente, reſtitutus eſt ſanitati, juſſusque à caſtigatoribus Angelis DEi prædicare virtutem. Quare reverſus ad regem, totam illi narravit hiſtoriam & à deſtinato ſacrilegio revocavit. At Simon tam illuſtri miraculo non reſipuit, ſed Pontificem optimè de Rep. meritum, quaſi regni inſidiatorem, calumniabatur, ingenio malevolis infenſisque communi, odio proſequendo, quem læſerat. Porrò non fuit hæc imaginaria viſio (ait P. Cornel. à Lap. in 2. Mach. 3. v. 27. Soli Heliodoro apparens ſed realis actio, proſtratio & flagellatio Heliodori, coram toto populo, ait enim apparuit (græcè viſus eſt) illis ſcilicet omnibus præſentibus, unde ſequitur, alii etiam apparuerunt. v. 26.

Ann. Mund. 3879. Antiochus Aſiæ & Syriæ Rex, malis moribus crudelitate, & in DEum impietate, abominabilis, ſub id tempus regnabat, eáque fuêre Satellitum illius ſcelera, & impiorum Judæorum idolis magna ex parte adhærentium, crimina, ea Sanctorum in eadem gente pro DEo certamina, ut poſtremis Antichriſti temporibus, hæc fieri viderentur. Jaſon Oniæ Pontificis frater, diuturnæ ejusdem vitæ pertæſus, malis artibus Pontificatum ſibi acceſſere voluit, & verò cùm ſe in gratiam Antiochi inſinuâſſet, nec gratis hanc dignitatem ſe obtinere velle profeſſus fuiſſet, Pontificatum Regis juſſu obtinuit, tum mox peſſimam impudentiſſimæ nequitiæ ſcholam aperire non erubuit, pro qua occludenda, vitam etiam periculo objicere oportuiſſet. Fugit Onias Antiochiam, dignitatem tamen Pontificis retinuit ad mortem, neque enim illo vivo, nec ullius criminis reo, alter potuit eſſe legitimus Pontifex, ne duo capita Eccleſiæ tribuerentur. Hic Jaſon deſerta Patriæ Religione, prophanos ritus induxit, prævireque exemplo Princeps ſcelerum.

Circa Pontificatum concurſus.

Ann. Mund. 3880. Hieroſolymis prophani ritus invaleſcebant, promotore Pſeudopontifice, Jaſone, qui dignos ſuo Pontificatu Sacerdotes fovebat, impius impios. De quibus 2. Mach. 4. 14. *Jaſonis nefarium & inauditum ſcelus, ita ut Sacerdotes, jam non circa altaris officia dediti eſſent, ſed contempto templo & ſacriſiciis neglectis, feſtinarent participes fieri paleſtræ & præbitionis ejus injuſtæ &*

Sacerdotum depravatio. 2. Mach. 4

& in exercitiis diſci. Præbitionis, id eſt, traditionis vel conſuetudinis aut doctrinæ, quæ ibi præbebatur in exercitiis, in luctis illis, diſci, id eſt edoceri vel exercitari. Ugo de S. Charo hìc, Antiochum verò inceſſit cupido, etiam regnum Ægypti, titulo Tutoris pupilli Regis, poſſidendi, ſed cùm à Primatibus Ægypti repulſam pateretur, ignominiam & cupiditatem regni, armis proſequi ſtatuit, interim Tyro profectus venit Hieroſolymam, ubi à Jaſone Pſeudopontifice ſplendidè acceptus, artificioſis etiam ignibus, ingreſſum ejus, illuſtrantibus.

De Pontificatu certamen. 2. Mach. 4.

Ann. Mund. 3882. Jaſon, Menelai fraude, qui pollicitus eſt Antiocho ſe trecenta talenta pecuniæ Jaſonis additurum, Pontificatu, quem ſcelere acquiſiverat, exuitur, fugit. Qui Menelaus, verbis dives, dum Regi non ſatisfeciſſet, ad tempus ab officio ſuſpenſus, donec promiſſa perſolveret. Sed dum videt nutare ſuum Pontificatum, unde poteſt, etiam ex vaſis templi furtim ſublatis, pecuniam corrogat, ob quod ſacrilegium, dum ab Onia Pontifice, qui Antiochiæ degebat, arguitur, eundem optimum Pontificem per Andronicum occidi curat, qui Andronicus, è loco aſyli, etiam jurejurando de indemnitate præſtito, eum occultè trucidat, mox quoque ipſe Andronicus, ad Judæorum poſtulata, juſſu Antiochi, illic pro tunc præſentis, obtruncatus eſt. Et inauditum ſcelus, ait Auguſtinus, quod ignis, qui 70. annis in aqua vixit, vendente Antiocho Jaſoni Sacerdotium, eſt extinctus.

Onias ſenex occiſus.

Simoniæ abominabile ſcelus.

Armati exercitus in aere. 2. Mach. 5.

Ann. Mund. 3884. Multa oſtenta Hieroſolymis ad dies 40. viſa ſunt, futurorum malorum prænuncia, de quibus 2. Machab. 5. v. 2. *Contigit autem per univerſam Jeroſolymorum civitatem, videri diebus 40. per aera equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis, quaſi cohortes armatos v. 3. Et curſus equorum per ordines digeſtos, & congreſſiones fieri cominus, & ſcutorum motus & gladiatorum multitudinem gladiis diſtrictis, & telorum jactus, & aureorum armorum ſplendorem, omniſque generis loricarum. v. 4. Quapropter omnes rogabant, in bonum monſtra converti.* Gloſſa ex Ugone de S. Charo Cardin. hìc Portenta aliquando portendunt proſpera aliquando adverſa, ſed ſemper juxta id, quod ſummus Arbiter, ſingulis rebus ac temporibus convenire dijudicat, nec mirum, quòd equites iſti, & cætera, quæ hic videntur, adverſitatem prænuntiant, cùm ante ſubverſionem Hieroſolymorum ſub Tito & Veſpaſiano, Joſepho teſte, didicerimus, quòd ſtella præfulgens gladio per omnia ſimilis imminere civitati, & cometes exitia-

tialibus flammis ardere, per totum viſus eſt annum. Sed & ante excidii tempus & belli, in Feſto Azimorum, octava die menſis xandici, id eſt Aprilis, hora nona noctis, tantus luminis fulgor, Aram templumque circumedit, ut putarent omnes diem clariſſimum factum, & permanſit ſpatio horæ & dimidiæ &c. P. Cornel. à Lap. in 2. Mach. 5. v. 2. *Equites diſcurrentes.* inter ſe gladiis diſtrictis, & telorum jactibus confligentes, uti verbis ſequentibus valdè efficacibus auctor exaggerat. Quæ omnia fuerunt prægnoſtica ingentis cladis Judææ imminentes. Porrò hæc portenta fuêre ab Angelis juſſu DEi in aere effecta, per vaporum & exhalationum certam diſpoſitionem, motum & concurſum, quæ ſpeciem acierum confligentium præſeferret, ut per ea Deus Judæis præſignaret ſtragem, mox ab Antiocho Epiphane inferendam, ac prælia, quæ cum eo geſſurus erat Judas Machabæus. Sic Scipione & Norbano Conſulibus, per Syllana tempora, inter Capuam & Vulturnum, ingens ſignorum ſonus armorumque horrendo clamore auditus, ita, ut viderentur plures acies concurrere per plures dies. Mario & Horo Cons. Arimini canis locutus &c. Plura ſimilia portenta recenſet P. Cornel. ibidem.

Jaſon turbulentus accipit confuſionem. 2. Mach. 5.

Eodem Ann. Jaſon falſo rumore de morte Antiochi motus, occupata cum mille armatis civitate, non parcebat civibus ſuis, ſed in illos cædibus graſſabatur, quo tempore fugientibus in arcem, cum PſeudoPontifice Menelao Sacerdotibus, etiam templum deſolatum eſt, quid autem hac clade conſecutus eſt Jaſon. 2. Mach. 5. v. 7. dicitur, *Principatum quidem non obtinuit, finem verò inſidiarum ſuarum confuſionem accepit & profugus iterum abiit in Ammaniten.* Poſt hac Antiochum timens, in Ægyptum, inde ad Lacedæmonios fugit, apud quos miſerè periit, inſepultuſque abjectus eſt. De illo v. 8. *Fugiens de civitate in civitatem, omnibus odioſus: ut refuga legum, & execrabilis ut Patriæ & civium hoſtis, in Ægyptum extruſus eſt. v. 9. Et qui multos de Patria ſua expulerat, peregré periit. - - - v. 10. Et qui inſepultos multos abjecerat, ipſe & illamentatus & inſepultus abjicitur.*

Per quæ quis peccat.

Ann. Mund. 2885. Magna 148.
clades Hieroſolymis contigit ab Antiocho revertente ex Ægypto, efferatus enim erat tum ſuſpicione de Judæis, quòd vellent ad Regem Ægypti deficere, tum quia audivit illos lætatos rumore mortis ſuæ. Cùm autem ſcriptura dicat eum ingentibus armis cæpiſſe civitatem, apparet reſtitiſſe ei Judæos, expugnatamque civitatem, nulla habi-

Hieroſolymæ clades. 1. Mach. 1.

habita sexûs, ætatis, ratione, jussu Antiochi sævitum in civitate, triduo bachatus militaris furor 40000. ferro consumpsit, totidemque vendita (P. Salian.) servituti mancipavit. Ausus insuper Antiochus templum ingredi, Menelao ductore, vasa deinde sacra rapuit. 1. Mach. 1. 23. Mensam auream candelabrum &c. v. 24. & accepit thessauros occultos quos invenit. &c.

Secunda clades. 2. Mach 5.

Ann. Mund. 3887. Mala hujus anni, quæ Judæos afflixerunt, non cesserunt prioribus, imò additum (P. Salian.) domorum incendium, murorum eversio, arcis in usum Tyrannidis constructio & abominatio desolationis, constituta in loco sancto. Præsens autem clades per Apollonium Regis quæstoris facta, quem cum exercitu 22. millium misit Antiochus, jussum 2. Mach. 5. Omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres ac juvenes, vendere. Hostilem furorem fugientes Judæi varias quæsierê latebras. 1. Mach. 2. v. 27. *Et exclamavit Mathathias voce magna in civitate dicens: omnis qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me, & fugit ipse & filii ejus in montes.* Antiochus verò voluit antiquare legem judaicam, imò volebat 1. Mach. 1. 43. *Ut esset omnis populus unus,* (P. Salian.) quo ad divinum cultum attinet) *& relinqueret unusquisque legem suam,* voluit autem hanc legem esse generalem, ut Judæi, quos rituum suorum retinentissimos sciebat, cæterorum exemplo, qui facilè obtemperabant moti, patrias leges relinquerent. Nominatim autem misit diplomata regia Hierosolymam, quibus sacrificia & Holocausta omnia Sabbata & dies festi tollebantur, luci & delubra Idolis ædificari jubebantur. Et carnes suillæ ac immunda pecora immolari, circumcisio quoque morte proposita vetabatur, novam quoque templi dedicationem, aut execrandam potiùs profanationem, fieri jussit, quæ 15. die mensis nonni contigit, quo abominandum Idolum Jovis Olympii altari holocaustorum impositum est, & templum nominatum, Jovis Olympii, (P. Salian.) libros quoque legis combusserunt, & apud quemcunque inveniebantur, aut quicunque legem DEi observabant, ex regis edicto trucidabantur. Cogebantur in die natalis Regis, hederâ coronati, libero circuire, id est, choreas agere, circa Bachi Simulacrum.

Idolum in templum inducitur. 1. Mach. 1. v. 57.

In tanta calamitate, utriusque sexus inventi, qui constantes legi DEi adhæserunt. Duæ mulieres delatæ sunt. 2. Mach. 6. 10. *Natos suos circumcidisse: quas, infantibus ad ubera suspensis, cùm publicè per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt.* Alii in spe-

Persecutionem fortissimè sustinentes Judæi. 2. Mach. 6.

speluncis tacitè Sabbati diem celebrantes, cùm indicati fuissent Philippo Præfecto regio, flammis succensi sunt. Hic edita præclarissima illa exempla Eleazari senis, qui compellebatur per vim ori ingestam carnem porcinam manducare, nec manducavit. Ejus nomine Emman. Thesau. dicit: ego perjuris faucibus, suillas dapes invadam, hoc ipso virulentas, quia proscriptas, hoc ore legem violem, quo legem doceo? de hoc Eleazaro 2. Mach. 6. v. 18. *Igitur Eleazarus, unus de Primoribus scribarum. vir ætate profectus, & vultu decorus, aperto ore hians, compellebatur carnem porcinam manducare - - - v. 19. voluntariè præibat ad supplicium.* græcè, ad tympanum. Porrò tympanum erat genus tormenti, quo homines fortiter & rigidè distendebantur, vel in mensa aut scamno, vel ad palum ligati, quasi in eculeo, ibique fustibus pulsabantur, uti ex aliis Serarius. Nonnulli quoque ibidem flagris cædebantur vel candentibus laminis ustulabantur, uti Eleazaro huic factum narrat Josephus.

De eodem Eleazaro v. 23. dicens: *Præmitti se velle in infernum,* id est, velle se mori, mittique in limbum Patrum, potiùs, quàm contra legem porcinam edere. Eleazarum imitantur Carthusiani, qui carnem licet à medico præscriptam, ut necessariam ad ægroti vitam, constanter respuunt, maluntque potius mori, ut votum suum, de non vescendis carnibus, inviolatam conservent. Licet enim Religioni & voto postponere vitam, uti S. Casimirus, ægrotans maluit mori, ut votum virginitatis servaret, cum medici assererent, eum à morbo, quo laborabat, curari non posse, nisi Uxorem duceret. Hisce omnibus enim respondit: eligo virgo mori. Nimirum & vivam & moriar: vivam cum virgine JEsu, cujus amore lubens eligo virgo mori. P. Cornel. à Lap. in 2. Mach. 6. v. 18.

S. Casimirii pretium castitatis.

2. Mach. 6. v. 21. *Hi autem qui astabant, iniqua miseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secreto, rogabant afferri carnes, quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse.* Sed renuit optimus senex ac v. 24. *Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere: ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum 90. annorum transisse ad vitam alienigenarum v. 25. & ipsi propter meam simulationem & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. v. 26. Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum omnipotentis, nec vivus nec defunctus effugiam.*

Eleazari virtus simulatione uti nolentis. 2. Mach. 6.

Ita optimus senex in sua constantia perseverans, plagis contusus, vitam finivit. Huc spe-

Matris cum filiis martyrium. 2. Mach. 7.

ctant virilis ſanè animi matris fortiter cum 7. filiis tolerata ſupplicia, dum porcinam carnem edere cogerentur Antiochiæ. Horum filiorum uni, juſſu regis Antiochi, amputata lingua, cutis capitis abſtracta, ſummæ manus pedesque abſciſſi, juſſitque inſuper, adhuc ſpirantem rex torreri in ſartagine. Secundo filio, cùm cutis capitis cum capillis abſtracta eſſet, primi tormenta ſuſcepit dicens. 2. Mach. 7. v. 9. *Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis: ſed Rex mundi defunctos nos, pro ſuis legibus, in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit.* Tertius linguam poſtulatus, cito protulit manusque extendit, & cum fiducia dixit. v. 11. *è cœlo iſta poſſideo, ſed propter DEi leges nunc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero.* Quartus vexatus ſimiliter inquit v. 14. *Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare à Deo, iterum ab ipſo reſuſcitandos: tibi enim reſurrectio ad vitam non erit.* Simili conſtantia & generoſiſſimâ fortitudine alii toleravêre ſupplicia. v. 20. *Supra modum autem mater mirabilis & bonorum memoria digna, quæ pereuntes ſeptem filios ſub unius diei tempore conſpiciens, bono animo ferebat propter ſpem, quam in Deo habebat, ſingulos hortabatur &c.* Dum præcipue ſeptimum adoleſcentem, Antiochus promiſſorum machina aggreſſus, pervertere conaretur, invicta mater confortabat verbis v. 28. *Peto nate, ut aſpicias ad cœlum & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: ita fiet, ut non timeas carnificem iſtum. v. 30. Cum hæc illa adhuc diceret, ait adoleſcens, quem ſuſtinetis? non obedio præcepto Regis ſed præcepto legis --- Tu autem O ſceleſte,* (ita regem alloquitur) *& omnium hominum flagitioſiſſime, noli fruſtra extolli vanis ſpebus, in ſervos ejus inflammatus, nondum enim omnipotentis Dei & omnia inſpicientis judicium effugiſti.* In hunc præcipuè furorem ſuum exeruit Rex ſæviréque juſſit in innocuum. v. 40. *Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens. v. 41. Noviſſimè autem poſt filios & mater conſumpta eſt.* Acre ideóque illuſtre fuit martyrium horum 7. Machabæorum, ideóque Eccleſia illorum celebrat feſtum, præ aliis Sanctis veteris teſtamenti 1ma Auguſti, præſertim Romæ, ubi ſacra eorum lipſana requieſcunt, in templo S. Petri ad vincula, cauſæ ſunt multæ. 1ma. quod hi primi expreſſè & publicè certarunt pro vera DEi fide & cultu. 2da. quod in veteri teſtamento id fecerunt, cum obſcura eſſet fides. &c. 3tia. quod paſſi ſunt in ætate tenera &c. v. 20. *Supra modum autem mater mirabilis &c.* hanc miris elogiis celebrat Joſephus c. 15. O mater gentis, vindex legis, pietatis propugnatrix, victrixque certaminis,

quod per viſcera geſtum eſt &c. S. Cyprian. l. de exhort. Tam grande martyrium DEo præbuit, virtute oculorum ſuorum quàm præbuerunt filii ejus, tormentis & paſſione membrorum. D. Chryſoſt. Hom 4. de verb. Iſa. mater Martyrum, ſepties ipſa martyrium præſtitit &c. S. Ambroſ. l. 1. off. Spectabat læta filiorum tot funera quot trophæa. Veriſimilius eſt hanc matrem Machabæorum frixam fuiſſe in ſartagine, hoc enim ſignificat. To. *Conſumpta eſt.* v. 41.

Similis illi fuit S. Felicitas 7. filiorum totidémque Martyrum mater. Item S. Symphoroſa, quæ 7. filiis uti magiſtra fidei, ita & dux ad martyrium extitit, cujus recolit Triumphum Eccleſia 18. Julii. Item mater Melitonis, quæ junior erat 40. Martyrum, quorum triumphum celebrat Eccleſia 9. Martii. Plura vide in P. Cornel. à Lap. in 2. Mach. c. 7.



Caput quintum.

Mathathiæ zelosa fortitudo. Judas Machabæus feliciter pugnat contra Apollonium, Antiochum, Nicanorem, Lysiam, Thimotheum, Antiochum Eupatorem &c. Tandem fortissimè occumbit. Heroici actus Eleazari, Raziæ, Alcimi Pseudopontificis nequitia.

149. Mathathiæ zelosa fortitudo. 1. Mach. 2.

ANn. *Mund.* 3888. Afflictissimæ Reipublicæ Judaicæ quæ jam penè perierat, auxilio parvulo subvenit misericors DEus per Mathathiam ejusque filios, qui rebus omnibus exuti per solitudines errabant, tantoque majorem divinam in infirmis par est agnoscere potentiam, quanto fortius tantilla manus contra tantum regem, qui vix non totam Asiam ac Syriam obtinebat, ausa consurgere. Mathathias itaque cum quinque filiis, præmissis ad DEum precibus, humiliationibus, afflictionibus, videntes, quæ mala populus Judaicus præcipuè Antiochiæ, ubi rex ipse degebat, pateretur, consilium ac animos ad res benegerendas accepêre. Et verò oblata occasio: venêre Præfecti Regis in Modin, ubi erat Mathathias, illumque verbis blandis à Paterna Religione abducere volebant, quod ille vehementissimè aspernatus est, cùm autem cessasset loqui Mathathias. 1. Mach. 2. v. 23. *Accessit quidam Judæus in omnium oculis sacrificare Idolis super aram in civitate Modin, secundum jussum regis.* Quem Judæum (P. Salianus) patet, consultò fuisse subordinatum. At zelo divinæ legis accensus Mathathias. v. 24. *Insiliens trucidavit eum super aram, sed & virum, quem rex Antiochus miserat, qui cog. bat immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit.* Statimque populum publice ad defectionem evocavit. Cædes illa culpa vocavit (P. Salian.) quam ex zelo Domini scriptura profectam ait. Adde, quod Princeps populi erat in illa civitate, & sacerdos Primarius, ut tantam totius populi injuriam jure vindicare posset, imò & Pontificis munus exercuit. Multi itaque, exemplo animosi ducis, animati, ad Mathathiam con-

confluxère, ita ut justus ex illis collectus fuerit exercitus. v. 44. *Et percusserunt peccatores in ira sua - - - v. 45. Destruxerunt aras, & circumdederunt pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israel: & in fortitudine, & persecuti sunt filios superbiæ, & prosperatum est opus in manibus eorum.* Quæ dum strenuè aguntur, (P. Salian) appropinquaverunt dies Mathathiæ moriendi, tunc senex congregatos ad se filios hortatus est ad fortitudinem & constantiam in Patriis institutis, disposuit domui & Reipublicæ Judæorum, Belli Ducem constituit filium Judam Machabæum, eique dedit consiliarium Simonem, denique Paternam & Pontificiam benedictionem omnibus impertitus est.

Judas Machabæus Apollonium vincit & occidit. Item Seronem. 1. Mach. 3.

Ann. Mund. 3889. Mortuo Mathathiæ successit, tam in Pontificatu quàm in Principatu jure Primogenituræ & paterna voluntate, Judas Machabæus, qui exercitum elegit, ad sex millia virorum, castella & civitates improvisus adveniens succendit. Primam obtinuit victoriam de Apollonio Præfecto Syriæ, qui magnum contra Judæos collegerat exercitum, ipsumque interfecit, spolia ex illo recepit, nominatim gladium, quo deinceps perpetuò usus est. Vicit quoque Seronem Principem, olim exercitus Syriæ, sub Apollonio, cui Seroni adjunxerant se auxilia impiorum Judæorum. Nota 1. Machab. 2. 39. *Et cognovit Mathathias & amici ejus, & luctum habuerunt super eos valde &c.* Hic quasi Pontifex Mathathias interpretatus est legem Sabbati tali casu, quo scilicet quis invaditur ab hoste, non obligare, dixitque satius esse pugnare pro DEo & lege, ne omnis populus DEi interficeretur, itaque Ecclesia & DEi cultus periret. Unde hoc ejus responsum cæteri secuti, statuerunt die Sabbati invadentes se armis repellere, ùt patet v. 41. & 42. *Tunc congregata est ad eos Synagoga Assidæorum fortis viribus ex Israel, omnis voluntarius in lege.* Quæres: quinam sint Assidæi. R. & dico, omissis aliorum sententiis Assidæos fuisse milites belli sacri, qui scilicet pro lege & Synagoga nomen dabant militiæ sacræ, quales postea fuere milites templi, ac nunc sunt, ordines militares, equitum Melitensium S. Joanis &c. qui pro Ecclesia DEi contra Turcas, Saracenos &c. depugnant. Cùm enim Antiochus satageret evertere DEi legem, Templum & Synagogam, DEus excitavit Assidæos, qui se militiæ sacræ devoverent, ac pro Templi legisque tutela pugnarent, seque omnibus periculis, ultrò offerrent. Id ita esse patet ex voce Synagoga, id est, cætus, collectio, congregatio militum, pro Synagoga. 2do. Ex voce fortis viribus

ribus. 3tio. Ex voce voluntarius in lege, qui scilicet voluntariè ex zelo legem defenderet & propugnaret. Quare Assidæi junxerunt se Judæ Machabæo, quasi Duci belli sacri, ac ejus præcipui fuêre milites, per quos tot, tantasque obtinuit victorias. Id patet ex l. 2. c. 14. v. 9. Ipsi, qui dicuntur Assidæi, Judæorum, quibus præest Judas Machabæus, bella nutriunt &c.

Judas Machab. contrà alios duces Antiochi, feliciter pugnat. 1. Mach. 4. 2 Mach. 8. &c.

Pugnavit deinde contra alios Duces Antiochi Judas, tres duces exercitûs Antiochi, Gorgias, Ptolomæus, Nicanor cum 40. mill. peditum, & 7. mill. equitum venêre, quibus Josephus addit magnum numerum Profugorum, cùm Israelitarum cum Juda, vix 7. mill. essent. Præcessit Nicanor cum 20. millibus, accersivitque jam ad castra sua 1000. mercatores ad emptionem mancipiorum Judaicorum. His cognitis Judas ad preces conversus, ex privilegio legis, formidolosos dimisit, reliquos hortatus, ad fortissimè, cum DEi auxilio, pro DEo decertandum. Deinde constitutis ducibus, fratribus suis, singulis millenos & quingentos subjecit, omnesque animavit ad pugnandum fortiter pro divinis legibus. Interim Gorgias 1. Mach. 4. Incautos voluit opprimere noctu, quo cognito Judas exivit è castris contra Nicanorem, dum abesset scientissimus belli Gorgias, Gorgias verò in castra deserta spe frustratus venit, existimavitque fugisse hostem, eumque per montes inquirere statuit. Interim Judas (P. Salian.) inopinatè Nicanorem aggressus, fudit, 2. Mach. 8. Interfectis supra 9000. in fuga verò tribus, in his fugitivis fuerunt etiam illi mercatores, stitit exercitum Judas, finito tempore, quo pugnare fas erat, posthac cum Gorgia conflixit, illiusque exercitum dissipavit. Denique 2. Macab. 8. Timotheum & Bachidem substitutosque pro Nicanore & Gorgia, prælium redintegrantes vicit, è quorum exercitu, supra 20000. interfecti, multi tamen fuga sibi consulêre, inter quos Nicanor, cui insultat scriptura 2. Machab. 8. 34. *Facinorosissimus autem Nicanor, qui mille negotiantes ad Judæorum venditionem adduxerat v. 35. Humiliatus auxilio Domini, ab his, quos nullos existimaverat, deposita veste gloriæ, per mediterranea fugiens solus venit Antiochiam.* Judæos verò v. 36. invulnerabiles esse, dicit scriptum, unde indicium est (P. Salian.) nullum in his pugnis periisse.

In Ægypto templum Judæorum.

Onias filius illius Pontificis, consentiente, imo sumptum suppeditante Ptolemæo Philometore rege, ædificavit templum in Ægypto, 180. stadiis à Memphi distans, ad similitudinem Hierosolymitani, magnitudine ta-

tamen dispar, duravit hoc templum ad tempora Vespasiani annis 237. P. Salian. ex Josepho l. 13. &c.

Judas Lysiam vincit. 1. Mach. 4. Victoria ad gratitudinem erga DEum excitet.

150. *Ann. Mund.* 3890. Contigit insignis victoria Judæ Machab. de Lysia, qui 60000. Peditum. Equitum 5000. contra Judæos collegerat, illorum ducum ignominiam deleturus, sed & is victus, iterum Antiochiæ multiplicare voluit exercitum. Judas verò expleto strenuè Ducis atque Imperatoris officio, pii ac Religiosi Pontificis curam suscepit, consilio enim cum fratribus inito, divinum cultum quamprimum Hierosolymis restituere statuit, nec erat in urbe occupanda difficultas, nam 1. Machab. 3. v. 45. *Jerusalem non habitabatur sed erat sicut desertum.* In lege veteri ergo sacerdotes & Pontifices sæpè erant milites & belliduces, ac Judas & fratres ejus sacerdotes ad hoc propriè á DEo & populo electi sunt, ut Israelem jam penè prostratum, & ab omnibus desertum erigerent & fulcirent. Primario ergo electi fuêre in belli duces, additus verò eis fuit Pontificatus, ut ardentius pro Religione, templo & DEo, contra Antiochum dimicarent &c. Cornel. à Lap. in 1. Mach. 3. v. 3.

Templi cura.

1. Mach. 4. v. 38. *Et viderunt sanctificationem desertam & altare profanatum, & portas exustas, & in atriis virgulta nata, sicut in saltu vel in montibus & pastophoria diruta, v. 39. & sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno & imposuerunt cinerem super caput suum. v. 40. Et ceciderunt in faciem super terram &c. v. 41. Tunc ordinavit Judas viros, ut pugnarent adversus eos, qui erant in arce, donec emundarent sancta. v. 42. Et elegit sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege DEi. v. 43. Et mundaverunt sancta & tulerunt lapides contaminationis.* (P. Salian.) Sublatis omnibus Idolorum sordibus, aras quoque & delubra. Altare holocaustorum profanatum diruerunt, servatis lapidibus, & novum excitarunt, intulerunt candelabrum & altare incensorum, & mensam in templum, & de ignitis lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt, post biennium. Hoc biennium inchoatum, in pontificatu Judæ, & in hac solemnitate encæniorum terminatum: profanatio verò templi per idola &c. per triennium ad hoc tempus duravit, in hac solemnitate lætitia ingens populi laudantis DEum exorta ad octiduum protracta v. 57. *Ornaverunt faciem templi, coronis aureis & scutulis - - v. 60. Et ædificaverunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum, muros altos, & turres firmas, ne quando venirent gentes, & conculcarent eum sicut antea fecerunt.* Libros quoque sacros Judas congregavit, bibliothecam construxit.

Sacerdotes sine macula.

An.

Antiochus fœdissimo morbo moritur. 2. Mach. 9.

Ann. Mund. 3891. Antiochus Epiphanes, auditis, quæ in Judæa acta fuere, angebatur, cùm esset Persepoli, inde fugatus in morbum incidit, ac Babylonem versus tendebat, cùm dirissimo viscerum dolore cruciatus est, accedente fœtore intolerabili, scaturientibus è corpore vermibus: tantus autem fœtor erat illius, ut totus exercitus, nec ille ipse ferre illum posset. v. 9. *Ita ut corpore impii vermes scaturirent.* Cornel. à Lap. hîc per vermes intelligit pediculos, dicitque. Hic morbus à Medicis vocatur Phtiriasis, id est morbus pedicularis, quo vermes hi è corpore ebulliunt, illudque fœdo horrore, & intoleranda prurigine erodunt & consumunt. Oritur subinde naturaliter, ex delicata dulcíque corporis complexione, vel nutritione, aut ex sordibus & putredine, uti fit in pauperibus. Sed sæpe supernaturaliter Deus eum infligit superbis, blasphemis sacrilegis & tortoribus fidelium & sanctorum, uti eum inflixit Herodi Ascalonitæ, qui fuit Christi persecutor & infanticida teste Josepho. l. 17. c. 8. & ejus Nepoti Herodi Agrippæ, eò, quòd populo sibi acclamanti: Vox Dei & non hominis, applausisset, ac Jacobum Apostolum occidisset; & Maximiano Imperatori, acri Christianorum tortori & Hunerico Wandalorum regi sævienti in Christianos: Item Joanni Calvino, ùt scribit Bolescus, nec diffitetur Beza. Agnovit pœnam Antiochus 2. Mach. 9. v. 12. dum diceret: *Justum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* P. Salianus, sanitatem videlicet, aut veniam peccatorum. Nimirum vera pœnitudine, propter offensum optimum Deum, non tangebatur sed propter dolores suos. Ad Judæos blandissimè scripsit, in gratiam Filii, quem designabat successorem, vota nuncapabat, & satisfactionem promittebat, cui non satisfecisset. Post hac miserè in cruciatibus vitam finivit in oppido Persiæ Tabes, plane competenti suo morbo loco sordidus Tyrannus. De quo etiam P. Bussieres in Flosc. Hist. Antiochus Epiphanes morbo, ex mærore contracto propter infelices expeditiones, tum Judaicam tum Babylonicam, tortus insuper doloribus viscerum acutissimis, cum intolerabili fœtore, impuram animam efflat, mali & improbi pœnitentis exemplar divinam appellans misericordiam, quam si acciperet, violaret. Judas verò interim, contra Idumæos aliosque vicinos hostes feliciter bella gessit, Ammonitas contrivit &c. insignem deinde de

Pœnitentia sera, nec vera damnosa.

Judas feliciter pugnat, de Timotheo triumpat 2. Mach. 10 ope Angelorum.

Timotheo obtinuit victoriam ante quam, 2. Mach. 10. v. 29. *Cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cœlo viri 5. in equis, frænis aureis decori, ducatum Judæis præstantes: ex quibus duo medium Machabæum habentes, armis suis interseptum incolumem conservabant: in adversarios autem tela & fulmina jaciebant.* Ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant. Sic Angeli pro populo Dei dimicare consueverunt, uti advertit Cornel. à Lap. in 1. Mach. 3. v. 6. pro Theodosio Imperatore juniore pugnasse Angelos contra Saracenos scribit Socrates l. 7. c. 18. Ad preces S. Martini Angelos armatos accessisse refert Presbyter Fortunatus l. 1. c. 16.

Militiæ Angelicæ coram duo protinus adsunt,
Syderei Proceres hastas & scuta tenentes
Comminus hi Sanctum compellant vocibus ultro
Præsidiis Martine tuis, delabimur astris.

Interfecti sunt autem 25600. equites duce scilicet Juda. Non minorem deinde de Lysia prorege Asiæ obtinuit victoriam Judas, 2. Mach. 11. 15. congregatis 80. Millibus & equitatu universo veniebat adversus Judæos, 80. quoque elephantos ducebat. Cùm Judas ad solita prius Dei auxilia recurrit, v. 8. *Cumque pariter prompto animo procederent, Jerosolymis apparuit præcedens eos eques, in veste candida, armis aureis hastam vibrans.* Quare his de cœlo suppetiis animati v. 11. *Leonum autem more irruentes in hostem, eumdem vicerunt, cæsi hostium 11. millia, equitum 1600. reliqui cum ipso Lysia in fugam acti. Itaque Lysias intelligens, Deum pugnare cum Judæis, misit legatos de pace, promisitque se æquis eorum conditionibus consensurum, & regem puerum, quem habebat in potestate, compulsurum ad amicitiam servandam, quod & factum est. P. Salian. Credibile est. Hæc tamen fœdera à quibusdam ducibus regiis turbabantur, cum quibus strenuè pugnabat Judas. In pugna cum Gorgia contigit paucos ruere Judæorum, & inventa sunt aliqua, 2. Mach. 12. v. 40. *Sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Judæos.* (Deut. 7. 25. *Sculptitia eorum igne cumbures: non concupisces argentum & aurum, de quibus facta sunt) omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse.*

P. Salianus. Dona autem hæc fuerunt aliqua minuta sed magni pretii oblata idolis. Agnovit hîc Judas divinam castigationem, tum ad preces conversus, cum suis Deum rogavit,

ut hoc delictum perfectè deleretur, destinavit sacrificium expiatorium, pro animabus eorum à pœnis eripiendis, eámque in rem collatitia pecunia data, & à Juda Hierosolymam missa. Additur ibidem v. 46. *Sancta autem & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* P. Salian. Porrò hoc factum, quod universi populi consensus approbavit, evidenter probat, usu receptas apud Judæos preces & sacrificia pro defunctis.

Judas offert sacrificium pro defunctis.

2. Machab. 12. v. 42. *Rogaverunt, ut id, quod factum erat, delictum oblivioni traderetur.* Græcè perfectè deleretur. Supponebant ergo cæsos ante mortem de furto pœnituisse, ac per contritionem culpam delevisse. Quare alteram partem scilicet reatum pœnæ post hanc vitam in purgatorio delendæ tantum restare, qui per sacrificia expiandus erat, ut peccatum perfectè deleretur: itaque ipsorum animæ à pœnis purgatorii exemptæ, ad limbum Patrum, sive ad sinum Abrahæ transferrentur. Adde nonnullorum peccatum hîc non fuisse mortale sed veniale. Tum quia aliqui, utpote rudes & milites ignorabant legem vetantem hæc idolorum furta, aut certè illam putabant obligare solum sub veniali, tum quia aliqui parum rapuerant, quos materiæ levitas à mortali excusabat. P. Cornel. à Lap. hîc. v. 44. *Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.* Dices, non foret vanum hoc, quia anima, quæ est immortalis, à pœnis liberaretur per preces, esto corpus non resurgeret. Resp. Quia anima est immortalis, hinc exigit corporis resurrectionem: anima enim naturaliter ad corpus propendet, sicut forma ad materiam. Quare violentus foret status animæ, si in æternum duraret sine corpore. Quocirca hæc duo scilicet immortalitas animæ & corporis resurrectio ita connexa sunt, ut qui ponit, creditque unum, ponat credatque & alterum, ac qui tollit negatque unum, tollat negetque & alterum. P. Cornel. à Lap. hic

Anima immortalis exigit corporis resurrectionem.

Ann. Mund. 3892. Cùm hostes, 151.
qui in arce Sionis erant, infestarent Judæos, ad templum accedentes, Judas illos omnibus viribus oppugnavit; hi pressi opem regis Asiæ Antiochi Eupatoris implorarunt; venit hic cum ingentibus copiis, occurrit illi Menelaus, iste pseudo pontifex, qui mox jussu regis edocti illum Menelaum, causam horum malorum & motuum fuisse, occisus est. Judas verò non expectandum ratus Hierosolymis regem obsidionem solvit, regi occurrit, die nocteque Deum invocat; deinde noctu, ipsum Regis prætorium aggressus 4. millia hostium obtruncat. Iratus Rex, instruit exercitum. 1. Mach. 6. v. 30. *Et erat numerus exercitus ejus 100. mill. peditum, & 20. mill. equitum, & Elephanti 32. docti ad prælium - - - v. 33. & comparaverunt se exercitus in prælium, & tubis cecinerunt, & elephantis ostenderunt sanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos in prælium, & diviserunt bestias per legiones, & astiterunt singulis elephantis mille viri - - v. 35. & quingenti equites ordinati unicuique bestiæ electi erant - - - v. 37. Sed & turres ligneæ super eos firmæ protegentes super singulas bestias, & super eas machinæ, & super singulas viri virtutis 32. qui pugnabant desuper & Indus Magister bestiæ - - - v. 39. Et ut refulsit sol in clypeos aureos, resplenduerunt montes ab eis - - - v. 42. Et appropiavit Judas & exercitus ejus in prælium, & ceciderunt de exercitu regis 600. viri - v. 43. Et vidit Eleazar filius Saura* (Josephus vult fratrem esse Judæ) *unam de bestiis loricatam loricis regis, & erat eminens super cæteras bestias: & visum est ei, quod in ea esset rex. v. 44. & dedit se, ut liberaret populum suum, & acquireret sibi nomen æternum. v. 45. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens à dextris & à sinistris, & cadebant ab eo huc atque illuc. v. 46. Et ivit sub pedes Elephantis, & supposuit se ei, & occidit eum: & cecidit in terram super ipsum & mortuus est illic.* Fortitudinem Eleazari magnopere æstimans Emm. Thesaurus ait, hanc (bestiam) Eleazar virtuti suæ scopum destinat, ut uno lapsu duo caderent, tyrannus de mole, ipse sub mole, uterque sua morte: nam sæculi fatum est bonos opprimi, malos ruere - - ergo Eleazar Antiochum petiit, sed pro Antiocho periit bestia pro simili similis. Judas autem animadvertens hostem tanto superiorem numero, Hierosolymam se recepit, quò etiam captâ Bethsurâ se contulit rex potitusque est urbe, nova templi propugnacula obsedit diebus multis, & jam ad seditionem venissent laborantes penuria obsessi, nisi Dominus alio Regem avocasset. Cùm enim Lysias prorex audisset Philippum Antiochiam occupasse, persuasit efficaciter regi, ut quàm primum ad opprimendum Philippum properaret, data pace Judæis. Itaque pax coaluit permissi Judæi vivere suis legibus, utrinque conditiones jurejurando firmatæ, de quo 2. Mach. 13. v. 23. *Judæos deprecans, subditusque eis, iurat de omnibus, quibus justum visum est: & reclinatus obtulit sacrificium, honoravit templum, & munera posuit: Machabæum amplexus est, & fecit eum à*

Menelaus motor malorum occisus. 2. Mach. 13.

Judas contra regem Asiæ pugnat. 2. Mach. 13. 1. Mach. 6.

Ptolomaide usque ad Gerrenos ducem & principem. Brevi tamen hæc pax abolita, nam de eodem Antiocho dicitur 1. Mach. 6. v. 62. *Et intravit rex montem Sion, & vidit munitionem loci: & rupit citius juramentum, quod juravit & mandavit destruere murum in gyro. v. 63. Et discessit festinanter, & reversus est Antiochiam, & invenit Philippum dominantem civitati: & pugnavit adversum eum, & occupavit civitatem.* Nota ex Cornel. à Lap. in 1. Mach. 6. 35. Priscos Elephantis usos & etiamnum Indos uti in præliis ob causas, quas recenset Vegetius. l. 3. de Militia. c. 24. Elephanti, inquit, in præliis, magnitudine corporum, barritus horrore, formæ ipsius novitate, homines, equosque perturbant &c.

Elephantes ad prælium docentur.

His adde 1. fætorem, qui in Elephantis tam gravis est, ut equi hostium illum ferre non valentes aufugiant, nisi illi prius assueverint. 2. Elephantem præ aliis animalibus esse docilem, adeò, ut proximè ad docilitatem, & sagacitatem hominum accedat, ut docet Plin. l. 8. c. 2. docetur ergo præliari, & alio modo, in prælio se gerere. 3. Elephantos æquè ac tauros objectu sanguinis irritari, efferari, & concitari, ut in hostem ruant, uti docet Valesius. Ex adverso noster P. Sanchez censet colorem sanguineum uvæ & mori Elephantis fuisse ostensum, ut meminissent se hoc succo à vulneribus curatos, & rursus, si in prælio vulnerentur fore curandos, vulnera enim & morbos elephantis à rectoribus curari vino nigro ait Ælian. l. 11. c. 7. Id quod apte congruit Tropologiæ, si enim sanguis uvæ accendit elephantem, ut memor beneficii & curationis per illum ab hero acceptæ pro eo depugnet; quid nos facere oportet intuentes Christum, qui pro nobis omnem suum sanguinem vitamque in cruce profudit.

Sanguis Christi nos debet excitare ad actus heroicos.

Ann. Mundi 3893. Occisis Antiocho & Lysia Demetrius Seleuci filius Syriæ regno potitus, à quo Alcimus impiorum Judæorum, qui ad ethnicos defecerant, dux, magnis muneribus, inter quæ erat corona aurea (quam forte Romam misit Demetrius) pseudo pontificatum obtinuit, adiit ipse regem, evicitque, ut Bacchidem cum exercitu contra Judam mitteret.

Alcimus nequam pontificatum muneribus obtinet 1. Mach. 7. 2. Mach. 14.

Venit itaque cum Bacchide Alcimus, fideles Judæos persequebatur, Judam fraude circumvenire gestiit, sed frustra, incautos 60. Judæos, promissis & pacis dulcedine allectos, violato jurejurando una die crudeliter interfecit. Bacchides discessurus ad regem, commisit regionem Alcimo, ut scilicet dux esset & Pontifex loco Judæ, dumque vexasset Judæos Alcimus, à Juda fortiter reprimebatur, videnseque se prævalere non posse, iterum regem adiit, impetravitque, ut Nicanor, qui etiam odio contra Judam flagrabat, propter acceptas ab eo clades in Judæam veniret, & venit magno stipatus exercitu; cæterùm cùm Judam neque arte bellica, neque fraude circumvenire posset, pacem cum illo constituit, vixeruntque pacifice adeò, ut Judas ex animo Nicanori carus esset: hanc deinde amicitiam disturbavit Alcimus ad regem Demetrium profectus ibidémque Judam & Nicanorem calumniatus. Quare rex Nicanori per literas, non placere sibi hanc amicitiam cum Juda, ostendit, præcepitque illi, ut Judam captum, quàm primum Antiochiam mitteret, ægrè quidem, cessit tamen postulato regis Nicanor, voluitque Judam primo fraude capere, postea apertis minis à Judæis sacerdotibus extorquere illius proditionem, sed cautè se gerente Juda, spe sua fraudatus est. Abiit itaque ad regem Nicanor calumnias Alcimi refutaturus, collectoque ibidem magno exexercitu, iterum in Judæam venit, fingensque regem à se placatum, Judam ad pristinam amicitiam invitabat, quibus Judas ita credebat, ut caveret sibi.

Interea dum esset Hierosolymis Nicanor, delatus est ad illum vir insignis nomine Razias 152.

Raziæ Judæi ingens magnanimitas, viscera spargentis in populum 2. Mach. 14.

v. 37. *Qui pro affectu Pater Judæorum* appellabatur publicéque se Judæum, contra quam alii, profitebatur. Nicanor itaque misit 500. milites, qui eum comprehenderent. 2. Mach. 14. v. 41. *Turbis autem irruere in domum ejus, & januam disrumpere, atque ignem admovere cupientibus, cùm jam comprehenderetur, gladio se petiit v. 42. eligens nobiliter mori potius quàm subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis injuriis agi. v. 43. Sed cum per festinationem non certo ictu plagam dedisset, & turbæ intra ostia irrumperent, recurrens audacter ad murum, præcipitavit semetipsum viriliter in turbas. v. 44. Quibus velociter locum dantibus casui ejus, venit per mediam cervicem. v. 45. & cum adhuc spiraret, accensus animo surrexit: & cum sanguis ejus magno fluxu deflueret, & gravissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit v. 46. Et stans supra quandam petram præruptam & jam exsanguis effectus complexus intestina sua, utrisque manibus projecit super turbas invocans dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet atque ita vita defunctus est.* D. Augustinus damnare videtur factum, existimari tamen potest, ait P. Salianus, id facinus ab eo patratum impulsu Spiritûs Sancti, cùm illum scriptura com-

mendet, nec factum hoc reprehendit. Respiciens Raziam Emman. Thesaurus ait. Trepidos cives adhortatur, ac ne verbis desit pondus, sua ipse viscera de vulnere dissipat. O! vivacem fortitudinis naturam, quæ suis de vitalibus ludit. Raziam in saxo pinge sua viscera dividentem; eviscerati amoris symbolum est.

Notandum hîc quod in Glossa ait S. Augustin. Si rationem diligentius consulas, ne ipsa quidem animi magnitudo rectè nominatur, ubi quisque non valendo tolerare vel quæcunque aspera vel aliena peccata se ipsum interemerit. Magis enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non potest, vel duram sibi corporis servitutem, vel stultam vulgi opinionem, majorque animus dicendus est, qui vitam ærumnosam magis ferre potest, quàm fugere; & humanum judicium pro conscientiæ luce ac puritate contemnere, apud Hugonem de S. Charo hîc. Notandum quoque ex P. Cornelio à Lap. in 2. Mach. 14. v. 44. Quæres, an Razias occidendo se peccarit? Suppono ex communi sententia S. Augustini, Lactantii; S. Thomæ, aliorumque Doctorum Ecclesiæ, non licere homini se occidere, ad vitandam infamiam, Violationem pudoris, peccandi periculum, aliámque ob causam. Ratio à priori est, quòd Deus solus sit vitæ nostræ Dominus; qui, ut eam dedit, sic & repetit recipitque, quando & libuerit; quare injuriam Deo facit, qui se occidit; quia rem Deo propriam, puta vitam, illi eripit. Vide S. August. l. 1. de Civit. Hoc quoad thesin; Hinc ad hypóthesim descendamus & disquiramus, an Razias hic & nunc se occidendo peccarit, an non?

1mo S. August. l. 2. contra Ep. Gaudent c. 23. magis propendet eo, ut censeat eum peccasse, præsertim ob Circumcelliones, qui Raziæ exemplum imitantes se ipsos necabant, quasi hoc esset honestum, imò quoddam martyrium; quare laudari quidam Raziam hîc à probitate continentiæ auctoritate & amore patriæ, non tamen à sui occisione. 2do Franciscus de Victoria & S. Thomas respondent. Raziam non peccasse, eo quod ex Spiritus Sancti instinctu, voluntariam sibi mortem conscivérit, sed hujus instinctus, nulla hîc apparet scintilla, præsertim quia non solet S. Spiritus inspirare, ut quis se occidat ad vitandam ludibrii infamiam, uti fecit hîc Razias, hoc enim in se inhonestum & illicitum est. 3tio ergo dico, ait P. Corn. Raziam hîc à peccato excusari per ignorantiam inculpatam, quâ ignorabat sui occisionem tali casu esse illicitam: imò ipse illam licitam honestam & generosam esse arbitrabatur, ut dicitur. v. 42. Sicut enim olim multi tam Philosophorum quàm Doctorum Ecclesiæ, putarunt mendacium quandoque esse licitum, sic idem censuerunt de sui occisione, hæc enim fuit sententia Stoicorum, quam sæpius inculcat Seneca Epist. 12. 17. 24. &c. Eadem fuit sententia Hebræorum aliquorum apud Josephum l. 12. c. 5. eadem fuit S. Hieronymi in c. 1. Jonæ, ubi sic ait: Unde in persecutionibus non licet propria perire manu absque eo, ubi castitas periclitatur: ubi plane indicat, quod in periculo castitatis liceat se ipsum occidere. Sic S. Ambrosius l. 3. de Virg. ante med. & Euseb. l. 8. Hist. & Balladius laudat fœminas, quæ se occiderunt, ne violarentur. Neque id tribuunt divinæ inspirationi, sed laudant factum tanquam honestum, ob talem finem, simili modo D. Soto excusat S. Apoloniam l. 5. de justitia: Nam se occidere ob patriæ salutem aut pudicitiæ custodiam, non est ita evidens esse malum, quin inculpate possit ignorari & putari esse licitum, uti putarunt viri doctissimi jam citati, quos secutus Cato Romanorum sapientissimus, se ipsum occidit, ne Cæsari victori se dedens foret ludibrio. Sic & Razias per ignorantiam videtur excusandus à peccato, præsertim quia ipse erat quasi caput Senatus & princeps Israelis, unde ludibria illi ab Antiocho irroganda, senatui & toti Israeli irrogata, fuissent ignominiosa, maluit ergo mori, quàm se totumque Israelem injuriæ & ludibrio regis idololatræ exponere, Adde potuisse regem fingere Raziam à Judaismo apostatasse & ad suam idololatriam accessisse, quæ res multos Judæorum commovisset, ut ejus exemplum sequerentur, & Apostatarent. Insuper poterat metuere Razias, ne acerbitate tormentorum victus cederet Antiocho, & verè à fide Apostataret, quod ingens fuisset toti Israeli scandalum; quare prudenter videbatur sibi facturus, si hæc omnia pericula & damna voluntaria morte abscinderet.

Sic in Histor. Indica apud Hieron. Gsorium l. 8. de gestis Emmanuelis post initium legimus, Joannem Machiadum Lusitanum virum fidelem duos filios suos ex pietate occidisse, ut eos periculo Machometismi indeque damnationis æternæ eriperet, jam enim capiendi erant à Machometanis. Ita Raziam per ignorantiam excusat Lessius l. 2. de Just. c. 9. dub. 6. Confirmatur ex eo, quòd Razias hîc à virtute & probitate eximia com-

commendetur, qui utique non se occidisset, nisi id putasset esse licitum imò honestum & generosum, unde & exspirans v. 46. actum fidei & spei in Deum elicuit: *Invocans Dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet* in beata resurrectione. Supposità hac Raziæ ignorantià, heroicus hic fuit ejus actus fortitudinis, quo se pro honore Patriæ, & avita Religione conservanda occidit, ideo v. 46. de eo dicitur *eligens nobiliter mori*: Longè enim difficilius est se ipsum occidere, quàm necem ab alio illatam sustinere, quare posità ignorantià, quòd eo casu liceat se ipsum occidere, Razias summum fortitudinis actum, se non semel sed tertio feriendo & interimendo elicuit: Natura enim summè amat se suamque vitam, quare generosissimæ fortitudinis est hunc naturæ affectum transcendere ac sponte pro Deo vitam ponere. Plura P. Corn. à Lap. in 2. 2. Mach. 14. v. 44.

Nicanor verò cùm cognovisset Judam abesse Hierosolymis, dum illi copiarum augmentum è Syria advenit, contra Judam movit, die Sabbati Judæos aggredi volens, existimans, quod sicut antea fecerat nec arma arrepturos, sed in sua simplicitate morituros; verùm Judæi columbarum simplicitati jam serpentium prudentiam addiderant. Judas ad Dominum exposcens auxilium confugiebat, suisque animum addebat, declarato illis nocturno viso apparentis sibi Oniæ dudum defuncti Pontificis, pro omni populo Judæorum protensis *manibus orantis*. Hieremiæ item prophetæ, qui visus est dedisse Judæ *gladium aureum* & dixisse 2. Mach. 15. v. 16. *Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel. Exhortati igitur Judæ sermonibus bonis valde - - - statuerunt dimicare.* Commissum est ergo prælium. Nicanor occisus, cæteri in fugam versi. In illo prælio, hostium Judæ. v. 27. *Prostraverunt non minus 35000. præsentià Dei magnifice delectati.* Nota ex P. Corn. à Lap. in 2. Mach. 15. Visus est Judas in somno sibi videre Oniam sanctum & zelosum, orantem pro se, totoque Israele de quo v. 12. *Erat autem hujusmodi visus: Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum.*

Judæ victoria de Nicanore.

Quæres, an sicut animæ Patrū in limbo, sic & animæ in Purgatorio orant pro nobis? Affirmant Richardus Gabriel, Joan. de Medina. Negant S. Thom. in 4. dist. 15. q. 4. ar. 5. & 2. 2. q. 83. Abulen. S. Aonton. Ratio est, quòd animæ illæ non cognoscant orationes nostras, quodque sint in carcere pro suis culpis, non ad orandum pro aliis, unde otiosum & inordinatum videtur eas invocare. Quare Franc. de Victoria Relect. de Magia n. 17. improbat morem quorumdam, qui in angustiis invocant animas Purgatorii. Sed Alph. Mendoza q. 6. Schol. p. 846. censet sanctum & utile esse eas invocare, nam inquit, sive quamdiu sunt in Purgatorio pro nobis valeant sive non valeant, certè cum inde exeunt & in cælum perveniunt, tunc orant pro iis, qui se eis commendaverunt, ac eas suffragiis ac precibus juverunt. Adde Angelos, qui animas in Purgatorio visitant & solantur, posse eis preces viventium nuntiare; nec passio pœnæ illas ab oratione impedit; quia pœnas has magna patientia, humilitate & resignatione sufferunt, Deumque assidue amant & laudant. Utilius tamen, certiusque est invocare sanctos in cælo cum Deo regnantes; tum quia ipsi preces ad se fusas Deo revelante certo cognoscunt; hoc enim ad eorum statum pertinet: tum quia Deum vident, illique sunt in amore & honore, unde ab eo impetrant, quod volunt. Vide Franc. Suarez l. 1. de Orat. in com. c. 10. in fine, ubi ait, probabile esse Angelos custodes preces nostras perferre ad animas purgatorii. Quare si quis illas invocat, inquit, piè credens ab illis audiri, nihil peccabit, quia operatur ex pia credulitate & affectione, & nulli periculo se exponit; quia licet fortasse non ita sit, neque animæ illæ hujusmodi orationes percipiant, nihilominus oratio ejusmodi in bonum finem convertetur. Et fortasse etiam verum est animas illas, saltem cùm beatæ fient, cognoscere orationes omnes toto illo tempore ad eas fusas, & iis moveri ad intercedendum in patria pro oratoribus suis. Quare qui in hoc mundo orandi fructum & devotionem senserit, non videtur ab illo revocandus. Hactenus P. Corn.

An animæ in purgatorio orant pro nobis.

2. Mach. 15. v. 30. *Præcepit autem Judas, qui per omnia corpore & animo mori pro civibus paratus erat, caput Nicanoris & manum cum humero abscissam Hierosolymam perferri* & hostibus, qui in arce erant, ostentari. v. 33. *Linguam etiam impii Nicanoris præcisam, jussit particulatim avibus dari: manum verò dementis contra templum suspendi.* Denique festum diem jussit in memoriam victoriæ celebrari.

Nicanoris caput absconditur lingua datur avibus.

Ann. Mund. 3894. Extincto Nicanore Judas ad pacem gentis suæ intentus, & humana quoque præsidia circumspiciens, dum Romanorum potentiam didi-

Judas cum Romanis per Legatos fœdus init 1. Mach. 8.

didiciſſet, quantúmque ſibi Demetrius inde timeret & in rem ſuam expediret, legatos Romam Eupolemum & Jaſonem miſit, fœdusque cum illis percuſſit, ut ipſorum præſidio Judæi à Græcorum jugo liberarentur. Ingreſſi curiam legati dixerunt 1. Mach. 8. v. 20. *Judas Machabæus & Fratres ejus & populus Judæorum miſerunt nos ad vos ſtatuere vobiſcum Societatem & pacem, & conſcribere nos ſocios & amicos veſtros. v. 21. Et placuit ſermo in conſpectu eorum, & hoc reſcriptum eſt, quod reſcripſerunt in tabulis æreis & miſerunt Jeruſalem* &c. Porrò decreti fœderis ſententia fuit, ut Romani pro Judæis & è contra ſuis ſumptibus militare cogerentur (P. Salianus) pro illorum arbitrio, in quorum utilitatem ſuſciperetur expeditio. Nam, quibus bello neceſſaria ſuppeditanda ſunt, ii non amici aut Socii ſed milites videntur mercede conducti. Ad Demetrium quoque ſcripſit Senatus, expoſtulans, quod ſervilem in modum opprimeret Judæorum gentem, ſibi amicam & ſociam; addideruntque v. 32. *Si ergo iterum adierint nos, adverſum te faciemus illis judicium.* Quo verò fructu initum fuerit hoc fœdus, nusquam apparet, nihil enim auxilii à Romanis, aut petiiſſe Judæos aut accepiſſe reperitur in his libris, etſi ſemel & iterum à Jonatha & Simone renovatum fuerit illud fœdus. Non deſunt reprehenſores hujus fœderis, inter quos Rupertus & Emmanuel Sa, nihil tamen mali in illo eſſe videtur. Cùm Judas & cæteri neceſſitate coacti, ùt ait P. Salianus, hoc fœdus ad ſanctiſſimum finem inierint; nullumque periculum propriæ ſubverſionis adierint, nullam ſuper ea re prohibitionem acceperint, & ubi non eſt lex, ibi non eſt prævaricatio, parumque videtur idonea eorum accuſatio, quos ſcriptura non arguit, imò commendat tantquam viros ſanctitate & fortitudine clariſſimos; quin etiam exiſtimari poteſt, hoc fœdus illos non ſolùm prudenter ſed etiam religioſè ex divina inſpiratione ſuſcepiſſe, ne Deum tentare, humanáque auxilia negligere viderentur, quæ advocare poterant, debitâ in Deum fiduciâ non diminutâ, cujus providentia curſum deſiderat & cooperationem cauſarum ſecundarum.

Spoliis hoſtium non incumbendum.

Nota ex P. Corn. à Lap. in 1. Mach. 4. v. 17. *Dixitque Judas: Non concupiſcatis ſpolia, quia bellum contra nos eſt.* Vide hîc prudentiam militarem Judæ, qua ſuos ſub ſignis continuit, nec ſpolia hoſtium rapere permiſit, ne hoſtes fugientes, id videntes ſe rurſum colligerent ac Judæos

dæos palantes & ſpoliis onuſtos invaderent & proſternerent &c.

Fugiens, aurumque ac arg. ſpargens ſalvatur.

Tryphon rex Syriæ victus, per totum iter, fugiens, aurum & argentum diſperſit, & hac ratione equites Antiochi ſectantes moratus evaſit teſte Julio Frontino l. 2. de Stratag. Nota quoque milites Chaldæi æque ac Perſæ utebantur veſtibus purpureis & coccineis, tum ad ornatum, (unde Xenophon l. 2. erant, ait, milites armati, omnes iisdem armis, quibus Cyrus, puniceis tunicis) tum, ut in prælio vulnerati ſanguinem diffluentem vulneraque tegerent, per concolorem tunicam purpuream, ne ſocios conſternarent & hoſtibus audaciam adderent, uti teſtatur Valer Max. l. 2. c. 6. Audita Nicanoris morte Demetrius miſit deinde Bacchidem & Alcimum in Judæam cum exercitu, qui non reperto Juda Hieroſolymis, verſus illum caſtra moverunt, Judas autem poſuerat caſtra in Layſa cum tribus millibus electorum, qui viſa hoſtium multitudine timuerunt valde & multi ſubtraxerunt ſe de caſtris, & non remanſerunt cum Juda, niſi octingenti viri. Mirus profecto hic timor in iis, qui pari numero paulò ante Nicanorem cum multo majoribus copiis ad internecionem deleverant. Fortè, ait P. Salianus, ex præcedente victoria vanitas quædam & fiducia ſui Judæis irrepſit, quæ nunc iſta timiditate divinitus caſtigatur. Cúmque iſti octingenti multo potiori jure timerent, & authores eſſent Judæ, pugnam in aliud tempus differendi. Judas id probroſum ratus eſt, etſi revera nullum erat dedecus, quin fortè id juſta ratio poſtulabat. Niſi fortè exiſtimabat etiam fugam Dei exercituum gloriam diminuere, qui fortè ſtatuerat, eo die vitæ illorum periodum terminare, quod decretum ille potuiſſet amplecti. Ventum eſt igitur ad pugnam, iſti octingenti, viginti duobus millibus non ſolùm reſtitêre ſed tota die cum iisdem decertavere 1. Mach. 9. v. 13. *Et commiſſum eſt prælium à mane usque ad veſperam,* dextrum cornu confregere Judæi, à lævo circumventi ſtrenue dimicavere, corpus fortiſſimi ducis ſui Judæ Machabæi cæſi, aſportavere. Poſthac honorificentiſſime tumulatus Judas; in funebri autem Nænia dixerunt illud: v. 21. *Quomodo cecidit potens, qui ſalvum faciebat populum Iſrael.*

JudasMach. fortiſſime pugnans occumbit. 1. Mach. 9.

Caput

Caput sextum.

Jonathas Judæ succedit, cum Bacchide fœdus init, principibus exteris æstimatus, triplicem victoriam obtinet. Cum Romanis fœdus init, à Tryphone fraudulenter captus, occisus. Demetrius rex Asiæ in bello occumbit. Judæi in suppetias vocati 500000. occidunt.

153. Jonathas Judæ succedit.

MOrtem Judæ secuta grandis persecutio ab impiis illata, reliquiæ verò virorũ bonorum Jonatham fratrem Judæ suffecerunt. Suscepit Jonathas tempore illo principatum & pontificatum, nec ulla erat de successione ambitio, res enim erat ardua & maximi oneris. Audita electione Jonathæ Bacchides quærebat eum ad occidendum, quod, ubi illi innotuisset, in desertum Thecuæ se recepit, omnis quippe regio se tradiderat Bacchidi. Tum Jonathas misit fratrem suum Joannem cum militum manu, & rogavit Nabuthæos amicos suos, ut apud eos sua impedimenta deponerent, quibus occurerunt filii Jambri & Madaba, quos Arabes fuisse scribit Josephus, & incursu in eos facto occiderunt Ioannem cum sociis, quod cùm didicisset Jonathas, audiissetque celebrari nuptias filiæ cujusdam principis gentis illius cum ambitione magna, facto in eos impetu occidit multos, alios in fugam egit accepitque omnia spolia illorum. Hoc cognito Bacchides invasit Jonatham, qui cum ad Deum preces fudisset suosque adhortatus fuisset fortissimè, cum illo dimicavit imò ipsummet Bacchidem invasit infestus, sed ictum lethiferum declinavit Bacchides. Jonathas verò videns se prævalere non posse, occisis mille hostibus cum suis natatu Jordanem superavit; at Bacchides muniebat loca idonea Judææ.

Alcimus mortuus.

Ann. Mund. 3895. Divinitus percussus periit pseudopontifex Alcimus, quo mortuo Bacchides ad regem discessit pontificem Judææ daturus, illo absente,

te, quievit terra annis duobus.

Jonathas cum Bacchide Fœdus init. 1. Mach. 9.

Ann. Mund. 3897. Renovatæ turbæ in Iudæa: cogitaverunt enim omnes impii 1. Mach. 9. v. 58. *Ecce Jonathas, & qui cum eo sunt, in silentio habitant confidenter.* Quare Bacchidem contra eum evocarunt, qui postquam venerit, cum nec dolo nec vi posset Jonatham comprehendere, inito cum eo fœdere discessit, nec unquam postea Iudæam cum exercitu impetiit. Ionathas verò hanc securitatem nactus, administrationi rerum, & juri populis reddendo operam dedit.

Ann. Mund. 3902. Imperii Græci 1. Mach. 10. 1. *Anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus est nobilis: & occupavit Ptolemaidem, & receperunt eum, & regnavit illic.* P. Salianus. Dicitur ille Alexander filius Antiochi sive quod ejus fuerit filius illegitimus, ex Bala concubina, sive quod se ita diceret.

Jonatham Principes muneribus devincere volunt. 1. Mach. 10.

Demetrius verò soter rex Asiæ, volens illum deturbare, metuens, ne occasione turbarum memor esset Ionathas tot injuriarum Iudæis illatarum, ejusdem conciliando benevolentiam, approbato fœdere, dedit ei potestatem congregandi copias, ut conjunctis armis Alexandrum debellaret, Iudæorum obsides, qui erant in arce, Ionathæ reddidit; qui nixus præsenti favore Demetrii, habitare cœpit Hierosolymis, urbem munire &c.

Cùm Alexander auditâ quoque Ionathæ eximia virtute, eumque sibi benevolum reddere volens, in pignus benevolentiæ 1. Mach. 10. v. 20. *Misit ei purpuram, & coronam auream.* Non neglexit, quæ dabantur, Ionathas, stolam sanctam in die scenopegiæ induit non tunc primum, sed novo titulo regiæ concessionis: quoniam jam usus à pseudopontificibus introductus habebat, ut reges pontificatum conferrent. At verò, inquies, nonne injustè fecit Ionathas, quòd ab utraque parte munera acceperit, cùm utrimque justum bellum (puta materialiter) esse non possit, vel quòd societatem & fœdus cum Demetrio spreverit, Respondet P. Salianus Ionatham nihil à Demetrio præter obsides accepisse, quos ille injustè retinebat, sicut & totam Iudæam injustè vexabat, à qua vexa, ut Ionathas populum liberaret, potuit alteri adhærere. Quo cognito Demetrius magnis deinde muneribus remissione tributi voluit sibi Iudæis demereri, sed frustra, cùm Ionathas partibus Alexandri adhæsit.

Ann. Mund. 3903. Bellum non exiguum inter Demetrium Soterem & Alexandrum actum est

Demetrius Aſiæ rex in bello occumbit victus ab Alexandro Syro 1. Mach. 10.

eſt, quod deſcribitur 1. Mach. 10. v. 49. *Commiſerunt prælium duo reges, & fugit exercitus Demetrii, & inſecutus eſt eum Alexander, & incubuit ſuper eos: & invaluit prælium nimis donec occidit ſol: & cecidit Demetrius in die illa.* Iſte Demetrius, prudenter, ante bellum duos filios Demetrium Nicanorem & Antiochum Sedetem, qui ambo poſtea regnaverunt alio expediverat.

Alexander ducit uxorem, filiam regis Ægypti.

Ann. Mund. 3904. Alexander celebravit nuptias cum Cleopatra filia Ptolemæi regis Ægypti, qui etiam nuptiis præſens adfuit Ptolemaide, ubi erat maximus concurſus principum virorum, inter quos Ionathas dux & pontifex Iudæorum, invenitque magnam gratiam apud Alexandrum, adeò, ut eum proregem Iudææ conſtituerit in omni regione Iudæorum, quæ Syriæ regi ſubeſſet. Reverſus itaque Ionathas cum gaudio Hieroſolymam, ac invidorum oculos purpura ornatus percelluit.

154.

Jonathæ triplex victoria 1. Mach. 10.

Ann. Mund. 3907. Demetrius 16. annos natus Demetrii ſoteris filius, qui in Creta fuerit aſſervatus, collecto exercitu, ex Cretenſium & Athenienſium auxiliis, contra Alexandrum inter ſcorta otio deditum tendit, à militibus paternis tanquam rex ſuſcipitur. Celeſyriæ præfecturam Apollonio tradit, eumque contra Iudæos Alexandro faventes expedit, ſed is à Ionatha triplici prælio victus, quo cognito Alexander 1. Mach. 10. v. 89. *Miſit ei fibulam auream, ſicut conſuetudo eſt dari cognatis regum. Et dedit ei Accaron & omnes fines ejus.* P. Salianus. Data fibula, quales nunc dantur torques Equitibus aurei velleris; alii militare cingulum intelligunt.

Ann. Mund. 3908. Ptolomæus Philometor, Ægypti rex, regnandi cupidine motus per ſpeciem ferendi auxilii Alexandro, Syriæ regnum ſibi ſubjicere voluit, dumque tanquam amicum regis eum urbes reciperent, ille edictis Alexandri præſidiis, ſuis illa replebat, ereptamque Alexandro uxorem, filiam ſuam dedit Demetrio (P. Salianus) non tam, quòd illum regem vellet quàm ne contra duos pugnaret, tandem Antiochiæ ejus ſe prodidit ambitio, duo enim diademata, Ægypti ſcilicet & Aſiæ capiti ſuo impoſuit, de quo 1. Mach. 11. v. 13. *Et intravit Ptolemæus Antiochiam, & impoſuit duo diademata capiti ſuo, Ægypti & Aſiæ.* Excitatus Alexander contra ſocerum cum exercitu tendit, ſed mox victus fugatur & paulo poſt in Arabia à Zebdiele Dynaſta interfectus: caput ejus miſſum Ptolemæo v. 17. *Et abſtulit Zabdiel Arabs caput Alexandri & miſit Ptolemæo. Et rex Ptolemæus mortuus eſt in die tertiâ.* P. Salian. Graviter ſcilicet

cet Ptolemæus in prælio fuerat vulneratus, decubuitque ac brevi obiit. Ioſephus tradit, accepto Alexandri capite exſpiraſſe, cujus tamen ſcriptura non meminit. Ita alienorum appetitor propriam vitam amiſit, interim Demetrius ſecurè regnum poſſedit.

Judæi in ſuppetias vocati 100 000. occidunt. 1. Mach. 11.

Ann. Mund. 3910. Jonathas petiità Demetrio, ut præſidum ex arce Sionis educeret, quod magnas Judæis inferebat injurias promiſitque Demetrius. Interim moto contra ſe Antiochiæ tumultu petiit Demetrius, ut in extrema neceſſitate illi adeſſet Jonathas; miſit itaque auxilium Demetrio, qui jam in arcem confugerat reſiſtere plebi furenti non valens, quæ per vicos fuit diſperſa, ne quâ viâ regi ferretur auxilium 1. Machab. 11. v. 44. *Et miſit ei Jonathas tria millia virorum*, ſed cum tria millia veniſſent 1. Mach. 11. v. 48. *Occiderunt illa die centum millia hominum, & ſuccenderunt civitatem, & ceperunt ſpolia multa in die illa, & liberaverunt regem.* v. 51. *Et glorificati ſunt Judæi, in conſpectu regis - - - & nominati ſunt in regno: & egreſſi ſunt in Jeruſalem habentes ſpolia multa.* v. 52. *Et ſedit Demetrius rex in ſede regni ſui: & ſiluit terra in conſpectu ejus.* v. 53. *Et mentitus eſt omnia, quæcunque dixit, & abalienavit ſe à Jonatha & non retribuit ei ſecundum beneficia, quæ ſibi tribuerat & vexabat eum valde.* Hæc fuit gratitudo in extrema neceſſitate adjuti. Imò Antiochinos contra Judæos excitavit, tributa ſibi ſolvi juſſit, cum exercitu contra illos ire ſtatuit, ſed aliò hunc impetum vertere coactus eſt: Tryphon enim reverſus ex Arabia, cum Antiocho puero, cujus tutorem egit. v. 54. *Poſt hæc autem reverſus eſt Tryphon & Antiochus cum eo puer adoleſcens & regnavit, & impoſuit ſibi diadema.* v. 55. *Et congregati ſunt ad eum omnes exercitus, quos diſperſerat Demetrius, & pugnaverunt contra eum: & fugit - - -* v. 57. *Et ſcripſit Antiochus adoleſcens Jonathæ, dicens: conſtituo tibi ſacerdotium - - -* v. 58. *Et miſit illa vaſa aurea in miniſterium, & dedit ei poteſtatem bibendi in auro, & eſſe in purpura, & habere fibulam auream:* v. 59. *Et Simonem fratrem ejus conſtituit ducem à terminis Tyri usque ad fines Ægypti* P. Salianus ſcilicet ducem eum conſtituit univerſæ Palæſtinæ. Cùm Jonathas ſe Antiocho juniori & Tryphoni militare oſtendiſſet v. 60. *Et exiit Jonathas & perambulabat transflumen civitates: & congregatus eſt ad eum omnis exercitus Syriæ in auxilium - - -* Gazam deditione accepit. Interim frater Jonathæ Simon Bethſuram munitiſſimum in Judæa locum ad deditionem compulit. Deinde Jonathas ad aquas Geneſar caſtra poſuit. ubi Judæi hoſte viſo metu correpti illum deſeruêre exceptis duobus ducibus cum 50. virorum fortium ma-

Regem Aſiæ liberant qui ingratus fuit.

Ingens ingratitudo.

Is auro bibat cui dulce ferrum.

Jonathas victor egregus.

manu, sed desertus ab hominibus per orationem ad DEum confugit Jonathas. v. 71. *Posuit terram in capite suo & oravit.* Ab oratione itaque vires accepit, non à desperatione, ut vult Josephus. v. 72. *Et reversus est Jonathas ad eos in prælium, & convertit eos in fugam*, qua fuga animadversa, fugitivi Judæi hostem fugientem ad castra, ceciderunt & tribus millibus cæsis.

Orationis vis in bello.

Ann. Mund. 3911. Recordatus Jonathas fæderis fratris sui cum Romanis, ut magis Remp. Judaicam stabiliret, misit Romam Legatos Numenium & Antipatrum, renovandi fæderis gratiâ, qui Romæ humanissimè habiti, renovationem fæderis obtinuere. Revertentes Legati ad Lacedemonios, ut illis commissum fuerat, divertêre, tanquam ad cognatos, renovaturi fædus, quod ante 90. annos erat stabilitum.

Jonathas cum Romanis fædus renovat. 1. Mach. 12.

Ann. Mund. 3912. Cùm Tryphon statuisset occupare pupilli sui Antiochi regnum, timuit, ne Jonathas pro defensione pueri arma sumeret, quare constituit eumdem è vivis tollere, sed dum magno exercitu cinctus venisset, exiit illi obviam Jonathas cum 40000. Judæorum, terruitque Tryphonem, itaque dissimulata perfidia humaniter accepit Jonatham 1. Machab. 11. v. 43. *Commendavit eum omnibus amicis suis & dedit illi munera: & præcepit exercitibus suis, ut obedirent ei, sicut sibi.* Induxit deinde Tryphon non satis ad frandulentas artes advertentem Jonatham, ut exercitum dimitteret paucis retentis, cum quibus in possessionem Ptolemaidis mitteretur. Itaque Jonathas v. 46. *Credidit ei, & fecit sicut dixit: & dimisit exercitum.* Credidit Jonathas speciosis promissorum rationibus cedens, credidit nullius sibi culpæ contra regem, aut Tryphonem conscius. Et ecce v. 48. *Ut autem intravit Ptolemaidem, clauserunt portas cives Ptolemenses, & comprehenderunt eum, & omnes, qui cum eo intraverunt, gladio interfecerunt.* Mille scilicet Judæos, & hæc jussu Tryphonis facta. Quo cognito Simon Hierosolymis populum convocat, enumerat domus Mathathiæ merita, operam suam populo offert, consensu omnium in principem eligitur. Interim Tryphon venit in Judæam cum Jonatha, fingitque Jonatham detentum propter debitum 100. argenti talentorum, dixitque. 1. Machab. 13. v. 16, *Et nunc mitte argenti talenta 100. & duos filios ejus obsides, ut non dimissus fugiat à nobis & remittemus eum.* Agnovit quidem fraudem Simon, verùm, ùt ait P. Salian. ne videretur ob tenacitatem hanc in liberationem fratris pecuniam recusare; aut ne existimaretur ambire fratris loco imperium, pecuniam, puerosque misit. v. 19.

Tutor pessimus Tryphon vult regium Antiocho occupare. 1. Mach. 2.

A Tryphone Jonathas fraudulenter captus. 1. Mach. 12.

Et misit pueros & centum talenta: & mentitus est (Tryphon) *& non dimisit Jonatham --- v. 23. Et cum appropinquasset Bascaman, occidit Jonathan, & filios ejus illic.* Corpus tamen Simoni ad sepulturam dedit. Procuravit deinde per Medicos sub specie sanationis calculi occidi Antiochum regem puerum, declaratus deinde rex deposita larvâ, Tryphonem agere cœpit, scilicet vafrum, ambitiosum, crudelem.

Jonathas cum filiis à doloso Tryphone novo scelere occisus. 1. Mach. 13.

Caput septimum.

Simon obtentis literis fæderis à Demetrio, arcem Hierosolymorum obtinet, floret sub illo status Reip. Judaicæ, Romanis clypeum aureum mittit, pro socio recipitur tandem fraude occisus à Genero.

155. COmmunita sua provincia Simon legatos ad Demetrium cum muneribus misit, petitque amicitiam, nec difficile obtinuit, rescripsit peramicè, pacem concessit, gentem magnis prærogativis ornavit, quæ, ut liberaliter promisit, ita & præstitit cum fide, & sic ablatum est jugum gentium ab Israelitis, facti deinceps regum Syriæ amici non subditi, quandoquidem & ab omni pensitatione tributi liberati sunt & præsidia, quæ ab unis ipsis dependerent, habere permissi. Iste Demetrius Nicanor fuit legitimus Asiæ princeps, fuit enim filius Demetrii Soteris, qui ex Seleuco primogenito, Antiochi magni natus erat.

Simon obtentis à Demetrio literis fæderis arcem Hierosolym. obtinet 1. Machab. 13.

Judæi liberi.

Ann. Mund. 3913. Simon pace cum Demetrio constituta Gazam per deditionem accepit, ab omnibus idolorum sordibus expurgavit, in ea sibi habitationem fecit. Arcem quoque Sionis, quæ à gentibus tenebatur deditione accepit sicque jugum hoc, quod 27. annos gravissimè premebat Judæos, dejecit, in cujus rei memoriam festum quot annis apud Judæos agi præcipitur. Filium suum Joannem principem militiæ constituit.

Demetrius captus Judææ tamen res florent. 1. Mach. 4.

Ann. Mund. 3914. Demetrius à Græcis contra Arsacem Parthorum regem vocatus, cum speraret facilius sibi negotium cum Tryphone successurum, si aliquid boni contra Arsacem egisset, Græcorum votis annuens venit, exercitu auctus; attamen ab uno de principibus Arsacis victus, captus, in ludibrium populis ductus. Cùm iterum res Judæorum sub principatu Simonis ad florentissimum statum redire cœperunt pace vigente. Is & cultum divinum, & Reip. bonum strenuè promovebat, improbos convertebat Judæos, captivos liberabat, plerasque Palæstinæ munitiones recepit, uti Azotum, Ascalon, Joppe celeberrimum portum, tam negotiationibus quàm maritimo bello agendo, peroportunum.

Simon Romanis clypeum aureum mittit, pro socio recipitur quod Judæis proficuum. 1. Mach. 14.

Numenium legatum iterum Romam misit cum Clypeo aureo magno, mnarum sive minarum mille, id est, si minam pro libra sumpseris centum millia aureorum. 1. Mach. 14. v. 24. *Misit Simon Numenium Romam habentem clypeum aureum magnum pondo mnarum mille, ad statuendam cum illis societatem. Cùm autem audisset populus Romanus sermones istos, dixerunt.* v. 25. *Quam gratiarum actionem reddemus Simoni & filiis ejus?* v. 26. *restituit enim ipse fratres suos, & expugnavit inimicos Israel ab eis, & statuerunt ei libertatem, & descripserunt in tabulis æreis, & posuerunt in titulis in monte Sion.* Hæc cum Romanis societas erat Judæis proficua, nam v. 38. *Rex Demetrius statuit illi summum sacerdotium. Secundum hæc fecit illum amicum suum, & glorificavit eum gloria magna: audivit enim, quòd appellati sunt Judæi à Romanis amici & socii & fratres.*

Societas cum potenti proficua.

Ann. Mund. 3916. Rediit Roma Numenius habens epistolas diversas ad varios reges & regiones scriptas in gratiam Judæorum, apud omnes enim populus Romanus authoritate valebat.

Tryphon occisus.

Ann. Mund. 3918. Tryphon Tyrannus, ab Antiocho, quem Josephus Soterem, Eusebius Sedetem vocat, fratre juniore Demetrii Nicanoris captivi, Orthosiade obsessus, vi vel deditione captus, interfectus, vel ut Strabo ait, ad adsciscendam sibi ipsi mortem adactus. Hic Antiochus alienus erat animo à Judæis, quare ad Simonem miserat, ut receptas in Palæstina urbes redderet, tributum penderet, mille autem talenta volebat; quod dum negasset Simon, contemni se existimans Antiochus Cendebæum contra Judæos expedivit. Simon verò belli pondus, quod 30. annis una cum fratribus sustinuit, in filios suos devovit Judam & Joannem, hi contra hostem processêre illumque feliciter vicêre.

Ann.

Simon fraude occisus.

Ann. Mun. 3919. Simon optimus Princeps & pontifex cùm lustrat Judææ provincias, aditque Jericho, quam provinciam Ptolomæo genero suo commiserat, ab eodem specietenus habitus, convivio exceptus, in eoque cum duobus filiis Juda & Mathathia magno scelere interemptus. Misit insuper Ptolomæus ad Sedetem legatos petens, ut sibi exercitum mitteret, ut ille regionem omnem Judæorum illi traderet, misit etiam Hierosolymam, qui Joannem filium Simonis occiderent, sed is præmonitus sicarios ipsos occidit Ita DEus speciali gratia Machabæorum familiam in Joanne conservavit.

Ann. Mund. 3920. ante Christum 133. occidit Annalibus ea lux, quam ex sacris authoribus hauriebant, nunc Josephum ferè unicum, ùt advertit P. Salian. in historia Judaica, ducem habebant: non peritissimum utique viæ ducem; & quod deterius sponte aliquando à veritate deviantem, qui deinceps ex scriptura reduci in viam non poterit: Scriptura tamen tanquam prægressa lux in oculis nostris, nonnullas reliquias fulgoris relinquit, finemque imponens narrationi suæ, in morte Simonis certum hunc annum reliquit Pontificatus Joannis filii ejus, qui postea Hircani cognomen adeptus est.

Libri Machabæorum sunt Canonici.

Notandum hìc, quod libri Machabæorum, quorum hactenus continuabatur historia, immerito ab Acatholicis negantur esse Canonici. Sciendum enim est apud Hebræos, duos fuisse Canones. Unus fuit antiquissimus ab Esdra confectus, adminiculo Seniorum Synagogæ, & in hoc non inveniuntur libri Machabæorum: cùm juxta certiorem supputationem chronologicam, Machabæi post Esdram extiterunt. Dum ergo dicunt alicubi SS. Patres, non inveniri libros Machabæorum in Canone, intelligendi loqui de Canone ab Esdra confecto. Alter Canon est, qui confectus fuit à Judæis, paulò ante tempora Josephi, & in hoc jam reperiuntur, etiam alii, non modo illi, qui recensentur ab Esdra. Deinde primis illis sæculis, de plurimis sacræ scripturæ locis, imò & de libris integris dubitabatur. Ut est oratio Azariæ, hymnus trium puerorum &c. Tamen hæc difficultas temporis successu ab Ecclesia inspiratione Spiritus sancti piè illustrata & determinata est. Igitur Ecclesia Catholica, duobus diversis temporibus, duobus Canonibus usa est. Primus qui comprehendit libros, qui nuncupantur Proto-Canonici qui in primitiva Ecclesia per communem consensum ab omnibus orthodoxis approbati sunt, quos primi Doctores numerando libros Canonicos citare consue-

suevérunt. Secundus Canon continet libros à Græcis dictos Deutero canonicos, de quibus nonnulli Doctores, antequam Ecclesia Catholica definitivam sententiam ferret, dubitarunt; horum in album referimus libros Machabæorum, Apocalypsim, & plures judicatos canonicos per tertium Carthaginense. Concilium circa annum Christi 397. cujus Concilii hæc leguntur verba: *Sunt autem Canonicæ scripturæ Machabæorum libri &c.* Istud verò concilium ab universa Ecclesia receptum est. Rejiciunt hos libros Hæretici, uti & alios, qui eorum dogmatibus adversantur, quales sunt Baruch, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus: Ecclesiasticus enim apertè loquitur de libero arbitrio cap. 15, v. 14. Secundus Machabæorum cap. 12. v. 43. de suffragiis pro defunctis. Antiquos item Patres, Doctores non admittunt dissidentes, nam sunt contrariæ novitiæ illorum doctrinæ. S. Basilius approbat Traditiones l. de Spiritu sancto. S. Athanasius vitam monasticam loquens de S. Antonio. S. Augustinus scripsit tres libros de libero arbitrio, & de solicitudine habenda pro salute mortuorum. S. Hieronym. unum librum contra Vigilantium de veneratione Sanctorum & eorum reliquiis. S. Chrisost. plures de sacertotio. S. Ambrosius de pœnitentia & confessione. Hæc P. Guielmus Baile in Controv.

Quinam authores librorum horum fuerunt incertum. *Primi* Libri Machabæorum censetur esse Auctor Joannes Hyrcanus ùt notat P. Cornel. à Lap. in Argum. ante duos Libros Machabæorum. *Secundi* Auctorem putat Serarius fuisse Judam Essenum. In fine horum duorum librorum, annotat idem P. Cornelius Librum tertium Machabæorum non esse canonicum, authoritatem tamen majorem habere quàm habeat Livius, Florus &c. 4tus Machabæorum inquit Sixtus Senen. l. 1. Biblioth. non longe à fine, quem synopsis S. Athanasii inter apocrypha scripta recenset, historiam continet unius & triginta annorum; hoc est gesta Joannis Machabæi. Porrò Apocryphi libri dicuntur, qui sunt occultæ authoritatis, ùt annotavit P. Cornel. post duos Libros Esdræ. Apocryphi libri qui?

Ca-

Caput octavum.

Hierosolyma obsidetur & pax conficitur cum Antiocho, Hircanus moritur, succedit illi Aristobulus filius, qui coronam sibi imposuit. Huic successit Jannæus filius. Inter fratres Aristobulum & Hyrcanum certamen.

156. ANn. *Mund.* 3921. Antiochus præterito anno obsidionem inceptam Hierosolymæ, mordicus nunc urgebat. Tum Hyrcanus Pontifex veritus famem, non satis humaniter imbellem multitudinem expulit sed cùm rex inviolatam in urbem repelleret, nec admitterentur, mœnia oberrantes inedia conficiebantur. Cùm autem supervenisset festum Tabernaculorum, mileratione suorum rursus in urbem recepti sunt, Rex quoque rogatus, ut gratiâ festi 7. dierum inducias concederet, annuit, imò victimas magnificas misit, & pocula tam aurea, quàm argentea referta omnis generis aromatibus. Ea pietas aditum aperuit paci, nam eâ motus Hyrcanus de pace legatos misit; nec præbuit se difficilem rex, cùm majori contra Parthos bello operam dare intendebat. Quare patriis legibus vivere Judæis concessit, adjecit & alias conditiones, quas Judæi admiserunt excepto præsidio, quod rex urbi imponere cupiebat, cujus loco dederunt obsides, in quibus fuit ipsius Hyrcani frater & insuper 500. talenta.

Hierosolyma obsidetur & pax conficitur cum Antiocho.

Ann. Mund. 3922. Joannes Hyrcanus Pontifex secutus cum auxiliaribus copiis Antiochum Sedetem, ad bellum Parthicum. Ibi Sedetes aliquot obtinuit victorias, Babylonem quoque occupavit, nihilque Parthis præter fines suos reliquit.

Ann. Mund. 3924. Hyrcanus Pont. in Idumæos expeditionem suscepit, qui ad Judaismum transierunt, & jure adigi poterant, cùm filii Abrahæ erant, cujus totam posteritatem Deus ad circumcisionem obligaverat. Iste Hyrcanus, qui Idumæos à meridie, Ammonitas ab oriente

Samaritas à septemtrione recens domuerat, legatos quoque Romam, renovandi fœderis gratia expedivit.

Ann. Mund. 3940. Hyrcanus Pont. Samariam, quam etiam præterito anno obsidione presserat, nunc expugnat & solo æquat.

Aristobulus succedit Hyrcano, matrem necat fame.

Ann. Mund. 3951. Extremum clausit diem Hyrcanus Princeps & Pontif, successit illi Aristobulus filius, qui & diadema sibi primus post Babylonicam captivitatem imposuit, hic primo matrem, quasi regni æmulam in vincula conjecit fameque necavit, fratrem quoque, quem ob dilectionem socium regni assumpserat, calumniis contra eum motus occidi jussit, sed & ipse eodem anno sanguinem vomens, maternæ mortis fraternique sanguinis pœnas luit.

Crudelitatis pœna.

Ann. Mund. 3952. Successit Aristobulo in regno Jannæus filius, qui cognominatus Alexander rex simul & pontifex Judæorum, huic crudelitatis notam appingit Josephus quod 6000. an 800. Judæos, indigna pontifice crudelitate occiderit.

Ann. Mund. 3959. Jannæus, qui tantum contra suos contra hostem minus valuit, cùm enim in Arabiam duxerit exercitum, ne in otio tumultuaretur ibidem victus, vix Hierosolymam fugâ evasit.

Ann. Mund. 3965. Jannæus cum suis, variis cædibus tumultuabatur adeò, ut eum Josephus dicat non minus 50000. Judæorum occidisse.

Ann. Mund. 3967. Jannæus cum suis Judæis odio illum prosequentibus bellum gessit, semper victor: victi multos in prælio amittebant, tandem potissimos eorum expugnatos Bethomæ, duxit Hierosolymam; ubi epulans cum suis concubinis, excelsiore loco, unde prospectus patebat, ad 800. jussit crucibus affigi, & in conspectu adhuc viventium jugulavit uxores eorum & liberos: propter quam crudelitatem Thracidæ nomen apud Judæos accepit.

Ann. Mund. 3978. Contigit mors scelerati Jannæi sive Alexandri regis & Pontificis Judæorum, is moriens, ait Josephus, Alexandræ uxori dedit deligendi Pontificis potestatem suasitque illi, ut Pharisæos indulgentia demereretur eorum operâ & sibi funus magnificum & illi gratiam populi non defuturam.

Alexandra in Judæa regni ambitus.

Ann. Mund. 3979. In Judæa cæpit regnum à pontificatu separari Alexandra Jannæi vidua regno potiente, & pontificatum Hyrcano majori natu filio permittente.

Ann. Mund. 3980. Pharisæi Reginæ gratiâ abutentes plurimas in Jannæi amicos cædes perpetrarunt, exules revocarunt. Ipsa autem regina magnum numerum conductorum militum alebat & circumvicinis tyrannis terrori erat.

Ann. Mund. 3981. Pharisæi dum indulgente Regina impunè sævìissent, cum Alexandro filio, Alexandræ natu minore in regiam conveniunt, impetrantque, ut per castella Judææ distribuantur, ut ab inimicorum insidiis tuti, reliquam exigant vitam.

Fratres de regno certant.

Ann. Mund. 3988. Alexandra è vivis præterito anno excesserat, cùm Aristobulus minor natu filius, qui ea vivente magnam regni partem occupaverat, Hyrcano fratri, quem ipsa successorem designaverat, bellum intulit, cumque vicit, qui dum in arcem fugit, securitatem invenit metuente Aristobulo, ne illi nocendo suis noceret. Pax itaque inter illos conciliata, ut Aristobulus regnaret & fratrem sineret in otio facultatibus suis frui, quæ illi obvenerant. Itaque utramque dignitatem per vim occupatam tribus annis totidemque mensibus retinuit, mox utrâque à Pompejo exturbatus est, & Hyrcanus utrique dignitati, sed absque diademate restitutus, ad 40mum usque annum.

Ann. Mund, 3989. Instauravit turbas in Judæa Antipater genere Idumæus Pater Herodis regis, qui Hierosolymis manebat. Is Hyrcano amicus infensus Aristobulo quasi iniquo possessori turbas contra eum movebat, Hyrcano quoque secundo reclinatorium providit apud Aretam Arabum regem, persuasitque Aretæ, ut Hircanum regno restitueret promissa redditione urbium 12. quas olim Arabibus Jannæus eripuerat. Ergo Aretas in Aristobulum movet cinctumque Hyerosolymæ obsidione premit. Cùm autem Scaurus missu Pompeii esset Damasci, utriusque Legati ad Scaurum venerunt, is pro Aristobulo sententiam tulit, à quo 300 talenta missa acceperat, & Arabem, Romanorum metu ad sua redire cum Hyrcano compulit.

Ann. Mund. 3990. Aristobulus 157.
Scauri & Romanorum empto præsidio nixus, contra Aretam & Hyrcanum fratrem profectus utrumque vicit. 7. mill. cæsis.

Pompejus inter fratres Judæos de regno judicat illudque utrique adimit.

Ann. Mund. 3991. Annus est amissæ à Judæis libertatis, ante Christum 62.dus. Venerat Damascum Pompejus, cùm Aristobulus & Hyrcanus de regno litem moverint. Hyrcanus sibi primogenito ereptum regnum conquerebatur. Aristobulus dixit: Hyrcanum ob ignaviam ineptum regno fuisse, seque illud, ne ad alios transferretur, necessario assumpsisse. Pompejus reprobata Aristobuli violentia, promisit se in Judæam venturum ad componendas res, volebat autem Pompejus interim utrum-

utrumque fratrem apud se manere. Aristobulus tamen clam discessit sive id veritus, sive indignum ratus majestate regiâ, Romanorum ducem sectari. Hoc offensus Pompejus in Judæam movit, Hierosolymam veniens obviam prodeuntem sibi Aristobulum in vincula conjecit, intromissusque Pompejus à factione Hyrcani in urbem & regiam.

Aristobuli factio se in templo tutabatur, sed Pompejus adhibitus Machinis tertio mense templum expugnavit, adita templi ingressus. Ejus abstinentiam laudat Josephus, quod nihil sacræ suppellectilis attigisset, Dio tamen ait, templum die sabbati expugnatum & omnes pecunias fuisse direptas. Sequenti verò die Pompejus usum Pontificatus Hyrcano restituit, Hierosolymam populi Romani fecit stipendiariam, muros civitatis evertit, captas jure belli à Judæis civitates liberas esse jussit, Romamque properavit abducto secum Aristobulo cum duobus filiis totidemque filiabus. Post biennium tamen nonnisi Romam rediit, interim Armeniorum & Parthorum res composuit. Adeò periculosa imò perniciosa internarum Judææ litium sub extero judice fuit decisio, unus fratrum regnum amisit, alter non obtinuit, uterque libertate privatus est.

Ann. Mund. 3998. Aristobulus, qui Româ profugerat, dum regnum recuperare satagit, iterum à Romanis victus, captus, Romam remissus.

Ann. Mund. 4000. Crassus Romanus in Parthos expeditionem parabat, & ne otiosus in Syria, cujus amœnitate capiebatur, degeret, in Judæam profectus, ubi templum Hierosolymitanum invisit & pecuniam sacram ad 2000. talentorum abstulit, huic postea sequenti anno occiso, liquefactum aurum in os dicitur infusum, eâ sacrilegum appetitum satiante pœnâ.

Crasso sacrilego liquefactum aurum in os infusum.

Ann Mund. 4005. Scribit Dio, quòd Cæsar Aristobulum in patriam dimiserit, ut is aliquid contra Pompejum moveret, duas quoque illi dederit legiones, ut faciliùs provinciam ordinaret, sed is brevi à Pompejanis veneno sublatus est. Corpus ejus, diù melle curatum jacuit, donec Antonius id in patriam remissum, mandavit reponi in regum conditoriis. Ita, qui fratrem Hyrcanum & patriam turbaverat, vivus ad eandem non pervenit, vixque regis titulum ex sepulchro regum nactus est.

Aristobuli mors.

Caput

Caput nonum.

Cæsaris in Hyrcanum & Judæos favor. Hyrcanus depositus, mutilatus auribus. Antigonus rex factus. Herodi Regis titulus Romæ concessus. Antigonus rex securi percussus. Prophetia Jacobi de adventu Christi impleri cæpit. Hyrcanus occisus.

158. Cæsaris in Hyrcanum, Antipatrum & Judæos favor.

A*Nn. Mund.* 4007. In Syria aut in Judæa potius quid egerit Cæsar, meminit Josephus, quòd scilicet finito bello classe devectus in Syriam magnos honores contulit, tum in Hyrcanum, cui contulit Pontificatum, tum in Antipatrum illum Idumæum, patrem Herodis, quem civitate Romana & immunitate donavit, Muros quoque Hierosolymæ restaurare permisit Cæsar, Antipatrum procuratorem Judææ esse voluit (hominem factionibus aptum fortuna potentem & industrium) utique sub Romanis Syriæ præsidibus.

Ann. Mund. 4008. Antipater in Judæa floruit fovente ejus fortunam indulgentiâ Hyrcani pontificis, Phasaelum è liberis suis natu maximum Hierosolymis & circumpositæ regioni ducem posuit, Herodi secundo genito Galilæam commisit, ipse regis instar à tota gente colebatur.

Ann. Mund. 4011. Antipatrum Malichus veneno sustulit, quem vicissim Herodes in ultionem parentis sublati interfecit.

Ann. Mund. 4014. Labienus Romanus desperatis rebus post Philippensem cladem apud Orodem Parthorum regem degebat, persuasitque illi bellum Romanis inferendum. Quare Orodes filium illi Pacorum cum magnis copiis committit, cum quibus totam Syriam præter Tyrum occupavit. Pacorus autem in Palæstinam progressus, deposito Hyrcano Romanorum amico, Antigonum ejus nepotem regem creavit, mille talentis ab eo promissis Phasaelo & Hyrcano in vincula conjectis, Herodes in Arabiam fuga elapsus. Et ne Hyrcanus in

Hyrcanus depositus, mutilatus auribus.

pristinam dignitatem à populis revocaretur, illi auriculas amputavit Pacorus. Herodes, cùm in Arabia non reciperetur, Romam fugit, ubi causam suam proposuit, gratiamque apud Antonium, Cæsarem, Senatum invenit, omnium suffragiis illi delatum regis nomen; dimissoque Senatu Antonius & Cæsar, medium habentes Herodem, exiverunt, Consulibus aliisque Magistratibus ad domum Antonii convivii causa deducentibus. Quare reversus in Judæam Herodes bellum movit contra Antigonum.

Ann. Mund. 4016. Herodes mortem fratris ulturus contra Antigonum arma movit, Hierosolymam obsedit, Mariamnem neptem Hyrcani Pontificis uxorem duxit.

Sub id tempus, priusquam Herodes Judæorum regno potiretur, Mathan sacerdos ex Maria tres filias suscepit, Mariam matrem Salomei, Sobam S. Elisabethæ, matrem, & Annam, quæ hoc circiter anno Joachimo nupsit in Galilæa.

S. Annæ ortus,

Ann. Mund. 4017. Ante Christum 36. Hierosolyma capta, dum ab Antonio Sosius Romanus cum auxiliariis copiis venerit, expugnata urbs Romanis præcipue in mœnia convolantibus. Antigonus rex captus ad Antonium missus, qui illum precibus, & pecuniis Herodis motus securi percuti jussit, etsi cupiebat miserum regem Romano servare triumpho. In accessu ad Annales Boronii Cardinalis iste Antigonus dicitur jussu Antonii crucifixus.

Significat Eusebius in Hist. Eccl. hoc tempore impleri cæpisse illud ante annos 1673. editum, Jacobi Patriarchæ vaticinium de non auferendo sceptro de Juda usque ad Christi Domini adventum (P. Salianus hîc) Censetur autem Jacob intellexisse, non defuturum ante adventum Messiæ principem Reip. Judaicæ sive regni Judæ prout opponitur regno Israelis, quod multis sæculis ante Christum extinctum, cùm tamen ad Herodem usque exstiterint in Regno & sorte Judæ principes, qui Remp. Judaicam administrabant. Nec incommodum est, quòd principes isti variarum gentium principibus subjecti fuerint; nam vaticinium hoc, ejusmodi libertatem non pollicebatur. Mansit tamen populus Judaicus suis legibus vivens sub Judicibus & Pontificibus. Nunc autem primum homo genere Idumæus, aut potius Ascalonita, invito populo Judaico, in regnum à Romanis intruditur, & regnat, dum veniat, qui mittendus erat, post cujus adventum, scilicet regnum

regnum Juda funditus interiit.

Porrò illam Jacobi prophetiam Genes. 49. v. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* P. Salianus Ann. Mundi 2345. post mortem Jacobi patriarchæ, cum optimis quibusque interpretibus explicat. Non auferetur penitus, & sine spe restitutionis regnum de tribu Juda, aut omninò de gente Judæa. Nam, qui ex captivitate Babylonica rediere, non ad regnum Israel, sed ad regnum Juda, & Judæi ab eodem Juda sunt appellati, qui, quoniam reges non fuerunt, ducum nomine censentur, & hi in Judæa, quo quo modo rerum potiti sunt, ipsius regiæ tribus voluntate, electione atque consensu, ut proinde ipsa tribus Juda regnare censeretur: etiam cum Machabæi Levitici generis rem Judaicam administrabant, donec Herodes tyrannica Romanorum potestate occupavit Judæos, quando Christus natus est: tunc enim planè, atque irrevocabiliter sceptrum tam de Juda quàm de Judæis ablatum est: nec quisquam eorum arbitrio aut voluntate Judæis imperavit, usque in hanc diem. His addendum ex Pererio atque Cornelio à Lap. cum quibus dici potest Judam præcisè regnasse, & sceptrum in ea tribu præcisè stetisse, quamdiu illius consensu & voluntate Judæus aliquis id est ad regnum Juda pertinens regnavit, in quo erant Levitæ & Benjamitæ, & si qui aliarum tribuum ad illud se aggregarunt relicto regno Israelis. Sicut regnum Polonicum permanere dicitur, quamdiu Poloni regem sibi suo jure deligunt, & sic delegerant Henricum Gallum, Stephanum Transylvaniæ Principem &c.

Dices. Christus natus est anno *trigesimo quinto* Regni Herodis, ergo per 35. annos ante Christum jam defecerat regnum de Juda; quomodo ergo dictum fuit. Non deficiet sceptrum de Juda, donec veniat Christus? Resp. cum P. Cornelio à Lap. in c. Gen. 49. v. 10. Tam parvum intervallum 35. annorum, in tanta temporum Serie hîc pro nihilo reputari, sufficit enim ad veritatem hujus prophetiæ sub eodem rege Herode, in quo defecit sceptrum de Juda natum esse Christum, nam to *donec* non significat præcisè annum, mensem vel diem determinatum adventus Christi, sed tantùm confusè significat, quòd sub illud ipsum tempus, puta sub eodem rege, in quo deficiet sceptrum de Juda, nasciturus sit Christus.

Captâ urbe Herodes, factionis diversæ homines quotidianis

nis absumebat suppliciis; congesta magna vi auri atque argenti, totum id Antonio ejusque amicis donavit, ut sibi regnum stabiliret,

Ann. Mund. 4018. Hyrcanum senem mutilatum Phraates permisit vinculis exolutum degere Babylone, qui tamen, quamdiu vixit, legitimus fuit Pontifex. Is, dum audiit regnare Herodem, cujus familiam multis affecit beneficiis, desiderio patriæ ductus Hierosolymam venit, ab Herode primò honorificè habitus, qui tamen Ananelum pontificis loco ministrare voluit, in spem futuri pontificatus.

Ann. Mund. 4021. Herodes Aristobulum, Hyrcani secundi nepotem spem unicam regii generis apud Judæos, occidi curavit; cùm subordinasset pueros, qui natantem, quasi per ludum tamdiu in aquis detinerent, donec præfocaretur.

Hoc Ann. Mundi 4021. Urbis conditæ 720. in urbe Siciliæ Panormo spectrum prodigiosum tali visum specie. Habebat caput glabrum; altitudine trium cubitorum erat; oculum unum fronte gerebat; auribus carebat, duobus nonnisi foraminibus in occipite comparentibus, quibus audire credebatur; cornu geminum habebat; collo carebat; brachia adæquabant caput, scapulæ piscis relucebant; pectus villosum; facies à virili nihil differebat; naso unicum inerat foramen. Vehebatur hoc spectrum curru vulgari: loco equorum in priori parte leones, in posteriori ursi, juncti erant; transiit per mediam urbem lentè, scintillas spargens: tum ad Palatii Soliani portam, aurem è Leonibus uni amputavit, manantéque inde sanguine scripsit has literas: R. A. S. P. I. P. quas mulier quædam sic explicuit. Reddite Aliena, Si vultis Propria In pace Possidere. Accidit id die 20. Augusti circa solis occasum, eo tempore decem millia hominum mortua sunt. Horologium principum L. 3. c. 7.

Ann. Mund. 4023. Herodes notabilem de Arabibus obtinuit victoriam, qui, motu terræ adeò quassatam Iudæam, ut ad decem millia hominum ruinis oppressa dicantur, invaserant.

Ann. Mund. 4024. Herodes audita Antonii clade magno timore affectus ad Cæsarem ire constituit, interim ne quis ex semine regio extaret, à quo regno posset privari, Hyrcanum secundum pontificem octogenarium, domus suæ benefactorem eximium, qui à Parthis ad illum convivendi gratiâ venerat, affinitate junctum, neptem enim Hyrcani uxorem habebat, interfecit. His peractis Rhodum pro- **Hyrcanum, pontificem Herodes occidit.**

properavit, ubi deposito ultro diademate, in colloquium Cæsaris admissus, se fore illi amicum, sicut fuit Antonio, declaravit, susceptus à Cæsare humaniter, diademáque illi restitutum est.

Ann. Mund. 4035. Ante Christum 18. Herodes templum Hierosolymitanum instauravit, cujus spatia dilatavit, novis porticibus exornavit. Remansit tamen porticus Salomonis; sed non novum templum à fundamentis erexit, contra quam velit Iosephus, cùm illud, quod à Zorobabele fuit constructum, ad Christi tempora, & deletam Hierosolymam permansit, templum Zorobabelis glorificandum erat per præsentiam Salvatoris. Insuper domus dicitur novissima. Deinde Herodes non potuit ædificare templum Salomonico excellentius, non habuit enim tantas opes.

Caput decimum.

Immaculata conceptio Beatissimæ Virginis Mariæ, ejusdem nativitas, desponsatio. Herodes filios coram Augusto Cæsare accusat, tum eosdem strangulari jubet.

159. **Immaculata conceptio Beatissimæ Virg. Mariæ.**

ANn. *Mund.* 4037. Toti mundo saluberrima contigit Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptio. Concepta ex parentibus nobilibus Ioachimo & Anna, viâ quidem communi, non tamen sine aliquo miraculo, referunt enim Sancti Patres. S. Annam fuisse sterilem, & vitam sine prole usque ad senectutem traduxisse, & orationibus conceptionem virginis impetrasse, ut ad summum miraculum, ait Damascenus, via per miraculum sterneretur: quin & prænuntiatam parentibus conceptionem & nomen Mariæ credibile est (P. Salianus) non enim negandum est Matri Dei ullum privilegium, quod alicui servorum Dei fuit concessum, uti Isaaco, Samsoni Samueli &c. accedunt & patrum testimonia Epiphanii, Damasceni &c.

Immaculatè ſcilicet ſine peccato originali conceptam, recepta per celeberrimas orbis Academias tenet ſententia; in cujus favorem An. Chr. 1617. Philippus ſecundus Hiſpaniæ rex à Paulo V. impetravit Bullam, ne quis in publicis concionibus aut actibus proponere aliquid aut docere poſſit contrarium puriſſimæ virginis conceptioni. à 6ta Octobris, quâ hic nuntius in Hiſpaniam venit, ad Octavam Decembris data ſolemnis lætitiæ in illo regno argumenta. P. Kvviatkievv. in Inſtanti Mari: p. 85.

Concilium Tridentinum Seſſ. 1. declarat, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto Beatiſſimam virginem, ubi de peccato originali agitur. Faverunt ſcriptis & bullis immaculatæ conceptioni Deiparæ plus quam 15. Pontifices, quos ab Adriano enumerat Marratius in Libro de Pontificibus. Faverunt Patres Sancti Cyprianus Dionyſius, Ambroſius, Auguſtinus & alii plures, qui in Inſtanti Marianò recenſentur. Et certè dum Beatiſſima Virgo à peccato veniali immunis fuit, multò magis decuit eamdem ab originali, quod multò pejus eſt, cùm extinguat charitatem, faciat inimicum Dei, liberam fuiſſe. Creati Angeli & primi homines in juſtitia originali, quidni Angelorum Regina. Plus enim eſt collatum gratiæ Beatiſſimæ virgini quàm omnibus aliis, ùt docet S. Thomas 3. p. q. 27. Si itaque Angelis & primis hominibus hæc gratia conceſſa, multo magis Matri Dei

Potuit Deus hanc gratiam præſtare Virgini, cùm ſit omnipotens, quòd voluerit, ſuadet illius ſumma bonitas, ac in Matrem pietas, ergo & præſtitit. Non decuit, 2do vel 3tio inſtanti Matrem Dei fuiſſe mancipium dæmonis, ergo nec primo. Integra ſemper fuit integritas corporis Matris Dei, ergo multo magis animæ, cùm hæc integritas præ illa excellentior ſit.

Ioannes Baptiſta Cyrnæus, Cardinalis Roſpiglioſii aulicus ſola vi memoriæ pollens (hebotudine enim oculorum laborabat) eruit 100. anagrammata immaculatè conceptæ Virgini applaudentia. Ex his vocibus. *Ave Mariâ gratia plena Dominus tecum.* Quorum aliqua hîc ſubnectere non piget.

1. Deipara inventa ſum, ergo immaculata.
2. En virgo, en Deipara ſum, at immaculata.
3. Digna Mater JEſu & pura à macula omni.
4. Una eſt Deipara Virgo, en immaculata.
5. Una eſt immaculata Virgo, en Deiparam.
6. Ita Eva ſecunda ignorat malum primæ.

7. Tanta

7. Tanta Virgo merè immunis à culpa Adæ.
8. En ſanè tota pura, miraculum magni Dei.
9. Iram maculamve Adæ penitus ignorat.
10. Ergo ſine macula à vita, nam Deum parit.
11. Tu jure immaculata O magna Dei parens.
12. I regum patrona, en diva immaculata es.
13. Una Deo immaculata es, mater puri Agni.
14. Adam & Evam in macula purè ignoraſti.
15. Te puram, te ſine macula genitam, adoravi.

Impreſſum Romæ 1661. & paſſim alibi.

Nativitas B. Virginis.

Ann. Mund. 4038. Menſe à conceptione 9no in Septembri nata Beatiſſima Virgo Maria in oppido Nazareth provinciæ Galileæ in Judæa regione Syriæ.

Præſentatio. B. V. M.

Ann. Mund. 4041. Expleto triennio B. Virgo à parentibus delata Hieroſolymam & ibi ex voto Parentum oblata, vitam deinceps usque ad ſponſalitia traduxit, ex voto inquam Annæ Matris, ùt ait Greg. Nyſſen. Ibi in templo Beatiſſima educabatur inſtar Samuelis.

160. Herodes coram Auguſto contra Filios conqueritur.

Ann. Mund. 4046. Herodes ad Auguſtum cum filiis venit Aquilejam, admiſſus ad colloquium, eosdem accuſavit inſolentiæ, tentatique veneficii; ſed cum Auguſtus rem ſubnixam calumniis intellexit, flentesque filios, ac ad commiſerationem etiam ipſum accuſatorem moventes, audiiſſet crimen refellere, hoc ipſo juvenes, alioqui inſontes peccaſſe pronuntiavit, quòd non tales ſe parenti præſtitiſſent, ut nulla in eos poſſet cadere ſuſpicio. Herodem autem rogavit, ut ſuſpicari deſineret & filiis reconciliaretur. Poſt hanc admonitionem juvenibus innuit, ut ſe ad genua Patris projicerent; ſicque prudens Imperator cognatorum odia extinxit. Reverſus domum Herodes imprudenter deſignavit filios ſucceſſores poſt ſe regnaturos, primò Antipatrũ, deinde Alexandrum & Ariſtobulum; per quod invidiæ facem inter filios accendit.

Herodes filios ſtrangulari jubet

Ann. Mund. 4050. Convocavit Herodes conventum juxta conſilium Auguſti, omiſſa tamen invitatione ad illud regis Cappadocum, quod ſuis intentis, eum contrarium fore ſperavit: ibi Herodes accuſatorem egit, & judicem contra filios, regiosque juvenes condemnavit, qui mox Sebaſtem ducti parentisque juſſu ſtrangulati fuère.

Deſponſatio. B. V. M.

Ann. Mund. 4051. Contigit Deſponſatio B. V. M. Juxta communiorem Theologorum ſententiam fuit inter Beatiſſimam & S. Joſephum matrimonium verum, quod dicitur ratum,

tum, veréque & licite consensit Beatissima in matrimonium, cùm divinitus didicerit sponsum suum libenter in perpetuam castitatem consensurum: hunc enim, graves authores, ut S. Hieron. S. Thomas, vitam omnem virginem traduxisse affirmant. Origenes, Epiph. S. Josephum viduum 80. annorum senem fuisse existimant, cùm tamen illum ea ætate esse oportuerit, quæ probabilem faceret vulgo ex ea generationem: & vires, quæ ad tot peregrinationes obeundas & ministeria Christo pares essent, qualem ætatem censet fuisse P. Salianus annorum 30. vel 40.

Hic annus ante Christi Salvatoris adventum est ultimus; quare & hujus primæ partis Historiæ erit postremus, quem annum reliqui extremarum calamitatum & ultimæ ruinæ Reip. Judaicæ sequuntur, de quibus parte secunda Historiæ agendum erit.

A. M. D. G.



PARS



PARS SECUNDA.

HISTORIA ECCLESIASTICA NOVI TESTAMENTI.

Liber Primus.

Christi Genealogiam vide supra n. 2.

Christi Salvatoris Conceptionem, Nativitatem, Gesta, Passionem ac Mortem, Resurrectionem, Ascensionem, complectens.

Caput Primum.

Circa Incarnationis mysterium varia resolvuntur. Beatissimæ Virginis gratiæ plenitudo. Visitatio Elisabethæ per Beatissimam. S. Josephi angor circa conceptionem Virginis. S. Joannis Baptistæ Sanctificatio. &c.

161. Incarnationis mysterium.

ANno Mundi 4052. Urbis Conditæ 751. Augusti Imperatoris 42. eò processit divinus erga homines Amor, ut Deum speciali titulo in terras deduxerit, ubi habitu inventus ut homo. Primum DEo Homini Hospitan-

tanti in Terris receptaculum, uterus Virginis, omnibus mundi Palatiis, Gazophilaciis felicior, in quo absconditum Incarnationis mysterium, in quo hæc præcipue prodigia notat P. Salianus. 1. Quod corpus in utero matris figuratum est ac animæ unitum, uno eodémque temporis momento. 2. Quod Divinitas animæ & corpori seorsim juncta est, simúlque Pars utraque concursu materno unita 3. Totum Parentis alterius concursum, Trinitas sanctissima & nominatim Spiritus Sanctus, immensa sua potestate, supplevit. 4. Quod hæç conceptio, sicut & Partus, Matris virginitatem non minuit sed sacravit. 5. Quod in tantillo Infante fuit plenus rationis usus & Sapientia, quanta postea in viro fuit. 6. Divina illa anima, eodem instanti, lumine gloriæ perfusa. 7. Quod tunc quoque eadem anima in gratiarum actionem effusa, pro tot tantisque beneficiis, se se in mortem Patri, pro humano genere obtulit. Aditum tanto mysterio patefecit Archangelus Gabriel, qui olim idem, pronuntiarat ante 536. annos Danieli. Fuit ille supremi Ordinis Angelus, summum enim Angelum venire dignum fuerat inquit Gregor. Qui Summum omnium nuntiabat. Contigit hæc Annuntiatio die 25ta Martii novem mensibus ante nativitatem. Locus hujus mysterii fuit Domuncula Nazaretana, fertur autem, communi consensu, orasse tunc Beatissima virgo, de more, intempestæ noctis silentio, ad Domunculæ Angulum æstivi ortus. Quantum DEiparæ grata sit Angelica Salutatio, vel hinc discere possumus: narrat Discipulus exemplo 51. Religiosum quendam Deiparæ Virgini, alioqui Studiosum, cætera improbum, ad extrema deductum, hinc dæmones, inde DEi matrem, sibi adstantes conspexisse, hæc varias schedas Angelicis orationibus, quas moribundus in ejus honorem quotidie recitabat, inscriptas, in Clientis sui gratiam afferre; illi ingentia volumina, flagitiis referta, adversus eum producere, bilanci utraque imposita, volumina scelerum, longè præponderabant, ad Filium igitur, diva Mater, visa accedere, & unicam duntaxat ejus stillam, è perfosso Latere deposcere, quam, ut impetravit, Lanci imposuit, eaque multò, totis flagitiorum voluminibus gravior, veniam reo meruit. P. D' Oultreman in amore Inc. l. 1. c. 3. P. Cornelius à Lap. in cap. 1. Matthæi, notat circa mysterium Incarnationis ex S. Thoma 1. Part. q. 25. ar. 6. DEum non posse facere opus majus, quàm sit

Salutatio Angelica grata Deiparæ. Rosarium.

sit

sit Incarnatio verbi, & Maternitas Beatissimæ Virginis, quia ipsa est Mater Dei, quo nil majus concipi potest, unde Beda: O Beatissima virgo in Te Sola Rex ille dives & Prædives exinanitus est. Unde concludit P. Cornelius. Beatissima virgo est Mater Dei, ergo ipsa excellentior est omnibus Angelis etiam Seraphinis & Cherubinis. Mater Dei est, ergo Purissima est & Sanctissima, adeò, ut sub Deo major puritas intelligi nequeat. Ait S. Ansel. de excell. virg. Beatissima magis est Mater Christi, quàm sint aliæ matres, respectu suorum filiorum, quia plus dedit Christo, quàm filiis suis dant cæteræ matres, quia ipsa dedit quoque id, quod Pater dare solet; nec tantùm Christipara est sed & Deipara, uti definivit Concilium Ephesinum contra Nestorium. S. Thomas. 3. par. q. 33. & 34. docet. Christi Corpus, à Spiritu Sancto, primo conceptionis suæ instanti, quoad omnia membra fuisse perfectè formatum & organizatum, animatum anima rationali, assumptum à verbo &c. S. Augustinus ait. Factus est filius hominis, ut nos efficeret filios DEi. P. Cornel. à Lap. in cap. 1. Lucæ v. 26. Censet 25ta Martii contigisse Incarnationem Christi, quo pariter die Christus post 34. vitæ annos completos mortuus est. Eodem die multi censent, mundum à Deo primitùs fuisse conditum & creatum, ut eodem die, creatus sit à Deo, quo postea recreatus, & restauratus fuit à Christo in Incarnatione & Cruce. Unde ab hoc die & mense Annos inchoant & numerant, Angli, Veneti, &c. Quo præcisè temporis puncto, contigit Incarnatio, controvertitur. Alii putant, quod adhuc ante adventum Angeli, cum illi dicat, Dominus tecum. Alii quod tunc, dum dixit Angelus hæc verba. Dominus tecum. P. Cornel. in Luc. c. 1. v. 38. Existimat verbum Incarnatum mox ut Beatissima Virgo Angelo illud nuntianti assensum præbuit, ad hoc enim ille mittebatur, non enim decebat Christum concipi, invitâ vel ignorante virgine, mox ergo, ex quo dixit: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, facta Incarnatio verbi. Tradunt monumenta Congregationis S.Georgii in Alga in Lusitania, eos, qui ejus auctores fuere, à Beatissima Virgine Maria accepisse, Gabrielem, cùm Incarnationem nuntiaret, integras novem horas, apud eandem fuisse, ac si ob Deiparæ modestiam, Majestatem, & divini verbi Carne Induti præsentiam, in admirationem raptus, discedere nequiret. S. Cyrillus, Catechesi 12.

 Vir-

Virginitatem in conceptione verbi æterni Beatiſſimæ Matris propugnat contra Gentiles: Qui dicitis, projectos lapides mutari in homines, quomodo virginem parere poſſe negatis: Qui ex Jovis cerebro natam Filiam fabulamini, quomodo ex utero virginali naſci aliquem dicitis eſſe impoſſibile.

Beatiſſima quomodo gratia plena.

Gratia plenam, dixit Deiparam Angelus, de qua gratia D. Chryſolog. Hæc eſt gratia, quæ dedit Cælis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus diſciplinam, hanc gratiam detulit Angelus, accepit virgo, ſalutem ſæculis redditura. Dices. Chriſtus fuit plenior gratia quàm Beatiſſima, alii quoque Sancti dicuntur pleni fuiſſe Spiritu ſancto, quomodo virgo gratia plena? Reſpondet P. Cornel. à Lap. in Luc. 1. v. 27. Diverſam eſſe plenitudinem, Plenus Chriſtus gratia tanquam Fons, Plena Mater Chriſti, tanquam proximus fonti fluvius, plenus Stephanus, ſed tanquam rivulus, Franciſcus Suarez 3. par. diſp. 18. Sect. 4. Oſtendit gratiam Beatiſſimæ virginis in primo conceptionis ejus inſtanti fuiſſe majorem gratiâ, quam habuit ſupremus Angelus, qui uno actu, vel duobus, omnia ſua merita conſummavit, eóque plus meruit, quàm mille & mille homines mereantur. Quare Beatiſſima virgo, primo hoc inſtanti, amans laudansque Deum intenſiſſimè, ſuperavit amorem & conſequenter meritum ſupremi Angeli, ſecundo verò operationis & amoris ſui inſtanti ex gratiæ augmento, quod primo inſtanti merita erat & re ipſa acceperat, gradus amoris & conſequenter meriti duplicavit. Tertio verò inſtanti eosdem duplicando meritum cum gratia quadruplicavit. Quarto inſtanti, pari quadruplicationis duplicatione & progreſſu idem octuplicavit & ita conſequenter per ſingula amoris & operationis inſtantia, gratiam acceptam continuè duplicando usque ad annum ætatis 72. Quo mortua eſt, adeò gradus gratiæ & meriti adauxit, ut in iis omnes omninò homines & Angelos ſimul ſumptos ſuperarit. Quare illa unica gratior eſt Deo, quàm cæteri omnes, Deus ergo plus amat ſolam Beatiſſimam virginem, quàm totam Eccleſiam, id eſt, quàm omnes homines & Angelos ſimul ſumptos. Hæc Suarez.

Verbum quomodo Caro factum.

Quod dicitur Joan. 1. v. 14. *Verbum Caro factum eſt.* Intelligendum (P. Cornel. à Lap. hîc) verbum aſſumpſiſſe, uti veram Carnem humanam, ſic & veram animam rationalem ac proinde habere duas naturas integras & impermiſtas, ſcilicet Divinam & Humanam & conſequenter habere duas voluntates, & duplicem mentem, Divinam & Humanam, ita, ut hæ duæ naturæ, cum ſuis potentiis, ſubſiſtant in unica Perſona Verbi, in qua Perſona facta eſt hæc Unio, non autem in natura, ut contra Neſtorium definit Concilium Epheſinum, & contra Eutychetem, Concilium Chalcedonenſe. Ex hac autem Unitate Perſonæ ſequitur 1. ut Theologi docent communicatio idiomatum utriusque naturæ, ut in Chriſto quidquid competit humanitati & homini, idipſum dicatur & prædicetur de Divinitate & Deo, ac vice verſa v. g. verè dicimus hunc hominem (JEſum) eſſe DEum, eſſe omnipotentem &c. atque vice verſa Deum ſive Filium Dei, verè eſſe paſſum, crucifixum, mortuum. 2. Verbum Caro factum, non eo modo, quo cibus fit caro, aut aurum ſtatua, ſed ſimili modo, quo anima & caro juncta, fiunt unus homo. Ita S. Athan. in Symbolo. Unus non confuſione ſubſtantiæ ſed Unitate Perſonæ, nam ſicut anima Rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & Homo unus eſt Chriſtus. Caro ergo hic uti & paſſim in Scriptura per Synecdochen, Hebræis familiarem, ſignificat totum hominem. Audi S. Cyrillum in Concil. Epheſin. Nomine carnis intelligi debet totus homo, ùt cùm dicitur: videbit omnis Caro ſalutare Dei. Verbum ergo carne veſtitum fuit, quaſi ſol nube veſtitus, aut ſicut ignis ferrum ſibi uniens, aut ſicut ignitus Carbo. Ait S. Cyrillus. Cùm dicit S. Joannes: *Gloriam quaſi Unigeniti à Patre* &c. Intelligendum cum P. Cornel. à Lap. hîc, q. d. vidimus Chriſti Gloriam talem & tantam, qualis & quanta decebat Unigenitum vel quæ oſtenderet eum eſſe Unigenitum DEi Filium, cui ſcilicet, ùt ait Baſilius, DEus Pater omnem Gloriam, omnem ſubſtantiam dedit. S. Chryſoſt. Verbum: Quaſi. Hoc in loco, non ſimilitudinis eſt neque parabolæ, ſed confirmationis & definitionis certiſſimæ. q. d. Vidimus Gloriam, qualem deceat & credibile ſit habere Unigenitum & dilectiſſimum omnium Regis Dei Filium.

Quod glorioſiſſima Chriſti Incarnatio die 25ta Martii contigerit, conſentit S. Auguſtinus cum antiquis Martyrologiis. Item S. Gregorius in Libro Sacramentorum &c. In eandem diem 25tam Martii refertur Paſſio Chriſti & mors, uti multorum latè Doctorum conſtat ſententia vulgatum, ait venerabilis Beda Libro de temporum ratione c. 25. &c. 25ta Martii cenſetur contigiſſe victoria

Michaelis Archangeli de Dracone, Adami Creatio & lapſus, mors & ſepultura, cædes innocentis Abelis, immolatio Iſaaci ab Abrahamo, Iſraelitarum tranſitus per mare rubrum. Vide acta Sanctorum collecta à P. P. Bollando, Henſchemo, Papebroch. Die 25. Martii.

162. **Viſitatio Eliſabeth facta per Beatiſſimam.**

Intra dies aliquot, ab Incarnatione Filii Dei, Beatiſſima ad Eliſabeth iter ſuſcepit, (P. Salian.) in comitatu aliquo, abſente tamen S. Ioſepho: neceſſariò enim illum abfuiſſe videtur, didiciſſet quippe à cognata, quod à conjuge non didicerat, nec in eam turbationem, quæ poſtea ſecuta, incidiſſet, audiiſſet enim: Unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me &c. Benedictus fructus ventris tui &c. venit autem in Domum Zachariæ, quæ uno milliario diſtabat ab Emmaus. Ita Andrichom. & Nicephor. &c.

Ioannis 1. v. 3. *Abiit in Montana cum feſtinatione.* Cur abierit, reſpondet P. Cornel. hîc. 1. ut Verbum in ſe conceptum aliis annuntiaret. 2. Ut Ioannem à peccato Originali expiaret, cúmque cum Eliſabetha matre Spiritu S. repleret. 3. Ut Eliſabethæ de concepto per miraculum Ioanne congratularetur, 4. Ut daret inſigne humilitatis & charitatis exemplum.

Tropologicè Anima Deo plena, uti erat anima Beatiſſimæ virginis, in montana conſcendit, id eſt, in ardua virtutum enititur Ita S. Ambroſius: Quo jam Deo plena, niſi ad Superiora cum feſtinatione conſcenderet?

S. Joan. Baptiſta exultat in utero.

Ad Salutationem Beatiſſimæ. Lucæ 1. v. 41. *Exultavit Infans in utero.* Supernaturalem hunc ſaltum fuiſſe, omnes Patres & Doctores Orthodoxi, idque alii, hunc ſaltum fuiſſe exiſtimant cum uſu rationis, alii ſine uſu rationis, quos citat hîc P. Cornel. aitque, acceleratum fuiſſe Ioanni Semeſtri in utero Matris uſum rationis, ut Deo revelante, Chriſtum in utero virginis agnoſceret, adoraret, amaret, eiq; corporis geſtu & ſaltu reverentiam exhiberet, eodemque virginem ſalutantem reſalutaret. 2. Cenſetur Ioannes tunc accepiſſe donum Prophetiæ, 3. Eodem inſtanti purgatus à peccato originali. 4. Accepiſſe gratiam non qualem qualem, ſed eximiam, quæ Præcurſorem Chriſti decebat. Hinc aliqui putant caruiſſe fomite concupiſcentiæ. Hunc verò uſum rationis non ſolùm ad præſentiam Chriſti & Beatiſſimæ duraſſe in Ioanne ſed continuo aſſerunt S. Ambroſius, Origen. &c.

Interceſſio Sanctorum.

Hinc moraliter diſcendum cum P. Cornel. quàm utilis & efficax ſit ſalutatio & precatio Sanctorum & præcipuè B. Virginis utpotè, quæ unico Salutationis verbo, tam Joannem quàm Eliſabetham Spiritu S. replevit, omnibusque ejus donis cumulavit. Sanctorum non tantùm verba, ſed & ipſi aſpectus, Spirituali gratia pleni ſunt. ait S. Chryſoſt. hom. 3. ad populum. Laudabilis itaque & proficua eſt Sanctorum invocatio, illorúmque orationis & interceſſionis poſtulatio, ſi enim petimus ſuffragia à vivis innixi illis ſcripturæ verbis. Coloſſ. 4. v. 2. *Orationi inſtate, vigilantes in ea, in gratiarum actione, orantes ſimul & pro nobis* &c. &c. Cur non etiam à Sanctis, qui jam cum DEo regnant in Cælis, non obeſt mediationi Chriſti, quo minus ſit noſter Mediator, dum vivorum expoſcimus preces ad Deum, nec oberit, ſi easdem flagitemus à Sanctis, cum Chriſto jam regnantibus. Solus eſt mediator Chriſtus, qui per ſua merita, condignè pro nobis DEo ſatisfecit, nullusque Sanctorum id fecit, poſſunt tamen eſſe ſecundarii mediatores Sancti, nec per illos derogatur Chriſto, quid quid enim faciunt, virtute meritorum Chriſti faciunt, quod cedit in majorem ejus laudem & Excellentiam.

S. Joan. Nativitas.

An Beatiſſima manſerit apud Eliſabetham usque ad nativitatem S. Joan. controverſum. Probabilius cenſet. P. Cornel. in Luc. c. 1. v. 56. Quod manſerit. Ita S. Ambroſ. Origen. Beda &c. Tum quia incivile eſſet usque ad partum manere & immediatè ante partum diſcedere, tum quia maximè in partu Virginis præſentiâ & conſolatione egebat Eliſabetha &c.

Turbatio S. Joſephi.

Sub tempus reverſionis ab Eliſabetha contigit (P. Salianus) illa turbatio S. Joſephi, unde conceperit B. Virgo. In hac perturbatione S. Joſephi, notat P. Cornel. à Lap. in c. 1. Math. v. 19. voluit occultè dimittere eam. Quod S. Joſeph videns Virginem gravidam, rei novitate fuit attonitus & ſuſpenſus, varios motus animi æitusque ſentiebat, ex quibus ſic ratiocinabatur. Scio hanc virginem eſſe Sanctiſſimam, unde illam fidem mihi datam fefeliſſe non credo, an vim paſſa &c. An Angeli vel Dei opera id factum, ſi ita eſt, nolim ego detinere illam, quam Deus vel Angelus ſibi ambit, indignus ea ſum, quare illam dimittam &c. Dices. Cur Joſeph non interrogavit B. Virginem quid ſibi velit uteri tumor? Reſpondet P. Cornel. fuit hic quaſi primus motus mentis Joſephi, quem ex verecundia tacuit, mox præventus fuit ab Angelo, qui pro virgine reſpondit, eámque excuſavit, dicens, eam concepiſſe ex Spiritu Sancto. B. Virgo autem ex modeſtia noluit ultrò ſecretum hoc Joſepho pandere, nè ſua dona tanta jactare

re videretur, certissimè confidens, Deum suam innocentiam & famam tutaturum, ac rem totam opportunè patefacturum, uti paulò ante Elisabethæ patefactum esse experta erat.

Caput secundum.

Christi Nativitas. Pastorum, Magorum, Veneratio Christi. Locus, tempus Circumcisionis & adventûs Magorum Stellâ Duce. Oblatio Christi in Templo. Præsentatio B. Virginis. Simeonis Prophetia.

163. Edictum Augusti.

EOdem Anno. *Luc. 1. v. 1. Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Syrus. Universæ possessionis seu dominii ejus. P. Cornel. à Lap. hic scilicet Augusto & Romanis subjectus, nam teste Suetonio, Augustus Gothis Armenis & Indis non imperabat. Facta est hæc descriptio tum, ut constaret numerus hominum subjectorum Augusto, tum ad vectigal colligendum, quod in ærarium Romanum tot bellis exhaustum inferretur, singuli enim capitis sui censum dabant. Existimatur tamen hoc edictum (P. Salian.) à Cajo Nepote Augusti, sub nomine ejusdem Augusti editum fuisse. Quietissimum tunc fuisse tempus, observat Beda. Placatissimo, ait, tempore nasci voluit, pacis amator, nullum majus pacis indicium, quàm totum orbem describi, cujus moderator Augustus, qui maxima 12. annis circa nativitatem Christi pace regnavit, bellis toto orbe sopitis. Tradit P. Cornel. à Lap. in Lucæ c. 1. v. 1. Augusto Cæsari Virginem Deiparam infantem ulnis gestantem apparuisse in Capitolio, cùm jam ante ipse oraculo Apollinis edoctus illis versibus, qui habentur ante annales Baronii:

Me Puer Hebræus Divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum &c.

Natum esse puerum Hebræum, qui Idolorum oraculis silen-

ntium indixisset, eidem in capitolio aram erexisse hoc titulo: *Ara Primogeniti DEi.* Quo circa Constantinus Magnus ibidem templum erexit, in memoriam DEi Genitricis Mariæ, quod nunc dicitur *Ara cæli.*

Christus civis Romanus.

Ad hoc edictum venit cum S. Josepho Bethlehem B. Virgo, unde ùt advertit Orosius l. 6. Christus dicendus civis Romanus censûs professione Romani.

Locus nativitatis Christi.

Locus nativitatis Christi fuit spelunca excisa (P. Cornel. in Luc. l. 1. v. 6.) in rupe ad extremam & orientalem partem urbis Bethlehem, uti docent oculati Testes S. Hieronym. Epi. 18. ad Marcellum, Brochardus, Adrichon. &c. An spelunca hæc sita fuerit in urbe, an foris ad muros urbis, variant authores. Addit Beda è Petra hujus speluncæ per miraculum ob Christum in ea natum perennem scaturire fontem, illumque usque ad sua tempora perdurasse. In spelunca Præsepe fuit ligneum commune, & notum omnibus pastoribus.

Tempus nativitatis Christi.

Natus est Christus paulò post solstitium hyemale, cùm dies incipiunt crescere. Joannes Baptista verò natus est, paulò post solstitium æstivum, cùm dies incipiunt decrescere, quia ùt ipse ait: illum oportet crescere, me autem minui. Porrò Christum natum esse die Dominica 25. Decembris, post mediam noctem, non in Septembri, ùt voluit Scaliger, putans, quòd ibi non pascantur in agris oves; sed in calidis regionibus, qualis est Palæstina etiam hyeme pasci in agris non est dubium. P. Cornel. à Lap. Quæ prima fuit dies mundi, ac consequenter Feria sexta fuisse Christum conceptum sicut & passum, ex sexta Synodo, Sophronio, Ruperto, & aliis, docet Suarez 3. par. q. 35. disp. 12. licet P. Salian. velit natum Christum feria 6ta. Christi nati prima vox fuit, vagire, ut observat D. Bernar. serm. 4. de nativitate. Tum ut inciperet peccata nostra deflere, tum ut aliis infantibus se conformaret.

Angeli omnes Christum natum adorant.

Omnes Angeli natum Christum adorarunt, uti significat Apostolus dicens Heb. 1. 6. *Et cùm iterum introducit Primogenitum in orbem terræ dicit: & adorent eum omnes Angeli DEi.* ùt ibidem explicat S. Chrisost. Theophilactus &c.

Nativitatis die solem putat novo quodam fulsisse splendore & ad ortum festinasse S. Ambros. s. 10. Sicut sol per clausum penetrat vitrum, sic Christus in lucem prodiit, clauso Virginis utero, ait S. Basil.

Causæ nativitatis Christi.

Causas, cur Christus homo fieri, nascique in terris voluerit, multas enumerat P. Cornel. in Luc. c. 2. v. 7. 1. Ut nos in carne patiens & moriens à peccatis & gehenna redimeret. 2. Ut noster frater & consanguineus fieret, ac quasi par cum pari

ageret homo cum homine. Unde S. Bernard. ſerm. 3. ſuper Miſſus. Studeamus effici ſicut parvulus iſte, diſcamus ab ipſo, quia mitis eſt & humilis corde, ne magnus DEus ſine cauſa factus ſit homo parvus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus, communicemus paſſionibus &c. 3. Carnis parvitatem ærumnas ſuſcepit, non propter ſe, ſed propter nos, ut hoc amoris ſtimulo corda noſtra ad ſe redamandum ſtimularet. 4. Depreſſit ſe in terram & carnem, ut nos eveheret in cœlum Ideò ait S. Anſelm. DEus factus eſt homo, ut homo fieret DEus. Similiter S. Auguſtin. Factus eſt filius hominis, ut nos efficeret filios DEi. S. Gregor. Natus eſt in terra, ut homo naſceretur in cælo. S. Auguſtinus l. 2. de Sym. cap. 5. Sic voluit naſci Excelſus humilis, ut in ipſa humilitate oſtenderet majeſtatem. Docuit nos porro humilitatem humiliter natus Salvator. Obſervat P. Cornel à Lap. in Luc l. 1. v. 52. Sub tempus nativitatis Chriſti; DEus depoſuit potentes de ſede, toto penè orbe, quem ſublato Julio cæſare, Pompejo Lepido, Antonio &c. Uni ſubjecit Auguſto Cæſari, qui typus fuit Chriſti, æque ac fuerat Cyrus. Iſaiæ 45. 1. Unde nato Chriſto, nomen Domini ſibi oblatum recuſavit idem Auguſtus.

Humiliatus in carne noſtra DEus, puriſſimum ſibi elegit in virgine habitaculum, quod conſiderans S. Bernar. Hom. 1. ſuper miſſus ait. *Talis nativitas decebat DEum, ut non niſi ex virgine naſceretur, talis partus decebat virginem, ut non pareret niſi DEum. Miratur humilitatem incarnati Verbi dignitatemque matris ejus ſanctiſſimæ, idem D. Bernard. Ibidem. utrinque ſtupor utrinque miraculum & quod DEus Fœminæ obtemperet, humilitas abſque exemplo & quod DEo Fœmina principetur, ſublimitas ſine ſocio.*

Paſtores Chriſtum adorantes tres. Luc. 2.

Paſtores, qui primi Chriſtum 164.
Natum adorarunt, tres fuiſſe docet S. Bernard. ſerm. 6. de nativitate Domini. Eodem loco poſtea ædificata fuit Eccleſia trium paſtorum, divinæ nativitatis conſciorum, monumenta continens ait Beda de locis ſanctis c. 8. Porro congruum rationi erat, ait P. Cornel. à Lap. in Lucæ c. 2. v. 8. ut tres duntaxat paſtores Verbum Patris Spiritus S. operâ caro factum, primi hominum adorarent, ut ipſi adoratores exiſterent SSmæ Trinitatis, ipſiusque Myſterium ſuo numero repræſentarent, ut poſtea fecêre tres Magi. Angelum, qui apparuit paſtoribus annuntiavitque nativitatem, Toletus, Lucas & alii cenſent fuiſſe Gabrielem, hic enim & B. Virgini & Zachariæ apparuit, fuitque totius hujus Incarnationis myſterii adminiſter.

Qua-

Quare primò Angelus apparuit paſtoribus non Scribis &c. Eutymus dat cauſas. Tum quia omnia in Chriſti præſepio ſpirant humilitatem, paupertatem, pauperesque ſimplices & humiles præ divitibus ſuperbis placuêre, tum quia paſtores veterem Patriarcharum vitam ſectabantur: tum quia Chriſtus futurus fuerat paſtor populi.

Circumciſio Domini. Luc. 2.

Ann. Mund. 4053. Urbis conditæ 752. Chriſti Salvatoris primus fuit, Circumciſioni Chriſti, & ejus ſanctiſſimo nomini conſecratus. Factam fuiſſe circumciſionem in templo reliquit S. Hilarius. S. Epiphanius in ſpelunca, id eſt, in loco, in quo natus fuerat, ubi etiam adoratum à Magis Juſtinus tradit, ea fortaſſis de cauſa, quod Evangeliſtæ nullam fecerint mentionem migrationis ex ſtabulo. Non leves tamen rationes ſuadent (P. Salian.) Circumciſionem & adorationem Magorum, in aliqua oppidi domo peractam, neque enim æqum eſt exiſtimare, ſanctiſſimum Nutritium tam parum ſolicitum & induſtrium fuiſſe, ut totis 8. aut 12. aut 40. diebus non quæſierit, aut invenerit in oppido commodiorem aliquem locum ad commorandum, præſertim cùm tam infans quàm adoleſcentula puerpera, humanitus loquendo frigidiſſimo anni tempore valdè periclitarentur. Nec rationi conſentaneum, ſi urgente neceſſitate diverterant in ſtabulum, in eo deinceps ſponte hærere voluiſſe, quaſi loco ſanctificato, id enim non minus negligentiæ quàm devotioni adſcribi potuiſſet. Adde, quòd intra tot dies adventitia turba ex oppido difluxerat. Deinde S. Matthæus domum vocat, in quam ingreſſi Magi, quæ vox ægrè ſtabulo convenit. Ergo probabile, poſtridie migrantibus aliquibus hoſpitibus aſcendit Beatiſſima cum Puero in aliquod ſuperius cubiculum, in quo habitarunt ad 40. dies, ubi circumciſus eſt puer, ubi eum Magi adorarunt. Patres illi, qui dicunt Circumciſum & adoratum in ſtabulo vel ſpelunca, intelligendi ſunt de domo, in qua erat præſepium Chriſti cunis conſecratum. Hæc interpretatio à P. Saliano, authoritate S. Fulgentii, S. Cypriani, confirmatur.

Ubi circumciſio contigit, uti & Magorum adoratio.

Circumciſionis ſuſceptæ à Chriſto plures cauſas adfert, P. Cornel. in Lucæ c. 2. v. 21. ut oſtenderet veritatem carnis humanæ, ut comprobaret ſe eſſe de genere Abrahæ, ut obediendi virtutem ſuo exemplo nobis commendaret, ut legis onus ſuſtinendo nos ab eodem liberaret. Circumciſio erat ſignum peccati, ejusque quaſi ſtigma, nullum autem peccatum erat in Chriſto, quare Chriſtus in circumciſione profundius ſe humilia-

miliavit quàm in nativitate, in hac enim accepit formam hominis, in illa verò formam peccatoris. De Sancto Christi præputio, quomodo Calcatæ in æde SS. Cornelii & Cypriani asservetur & pars ejus Antverpiæ, qualis devotio fidelium ibidem & quæ indulgentiæ, intuitu hujus sacri præputii concessæ, quæ miracula à DEo per illud parata. Vide acta Sanctorum Auth. P. Joan. Bollando 1. Januarii.

165. Matth. 2. v. 1. *Ecce Magi ab oriente venere*, P. Cornel. à Lap. Magi est nomen usitatum apud Persas significans Sapientes & Philosophos. Hos Magos, qui Christum adoraturi venerant, alii putant fuisse Chaldæos, alii Persas, alii Mesopotamios, alii Indos, verius esse putat P. Cornel. illos fuisse Arabes orientales, probatque. Communis fidelium vox & sensus est, Magos hos fuisse Reges, id est Regulos sive Principes, idque disertè tradunt S. Cyprianus S. Basil. S. Chrysost. &c. Ad hæc author operis imperfecti in S. Matthæum apud S. Chrysost. asserit, post Christi resurrectionem S. Thomam Apostolum adiisse Provinciam horum Magorum eosque baptizasse & fecisse sibi socios prædicationis. Nomina horum Magorum recenset V. Beda in collectaneis non longè à princip. Primus dicitur fuisse Melchior, senex & canus prolixa barba & capillis, hic, aurum obtulit Regi Domino. Secundus Caspar juvenis imberbis rubicundus thure, quasi DEo oblatione dignâ DEum honoravit. Tertius fuscus, integrè barbatus per myrrham Filium hominis moriturum professus est.

Magi Christum adorant. Matth. 2.

Magi qui fuerant.

Nomina Magorum.

Magos hosce tradunt alii, ab Idololatris occisos, Martyriique laurea ornatos. l. Dexter. in Chronico Anno Christi 70. In Arabia felice, civitate Sessaniæ Adrumentorum, Martyrum SS. Regum Trium Casparis, Balthasaris & Melchioris.

Eorum Martyrium.

Appositè stella duxit (P. Cornel. à Lap. in c. 2. Matth.) tres Magos Reges ad Christum Regem, quia stella habet speciem coronæ Regiæ. Hinc acceptus est ordo militaris Regum & Principum Franciæ, qui insigne stellæ in veste præseferebant, cujus hoc erat emblema: *Monstrant Regibus astra viam.* Hic ordo stellifer primitus institutus fuit à Roberto Rege Franciæ, Anno 1022. 8va 7bris die nativitatis Beatissimæ, cui rex mire erat devotus, eo quod ipsa sit stella maris, obsecrans, ut ipsa sui regni ac præsertim nobilitatis esset ductrix, quasi præiens stella.

Stella quæ duxit Magos Matth. 2.

Quomodo visa stella natum cognoverunt Christum Magi, varii sunt sensus. Priscillianistæ teste S. Gregor. dicebant stellam hanc esse fatum Christi, ut sicut fatum significat imò determinat res futuras, sic stella determinaret Christum, sed hos refutat S. Gregor. Hom. 10. in Evang. dum non puer ad stellam sed stella ad puerum concurrit, si dici liceat, non stella fatum pueri, sed fatum stellæ is, qui apparuit, puer fuit.

Quomodo ex stella Magi Christum cognoverunt.

Nulla stella potuit ostendere & significare Magis ortum Christi ex Virgine, ejusque mores, miracula, quia nulla res naturalis, qualis est stella, significat rem supernaturalem, qualis est partus Virginis, resurrectio &c. Respondet ergo P. Cornel. in Matth. Magos cognovisse Christum natum ex stellæ indicio. 1. Quia id prophetarat Balaam. Num. 24. 17. *Orietur stella ex Jacob.* Magi autem fuerunt posteri vel successores Balaam. Item poterant cognoscere ex indicio Sibyllæ Erythreæ, cujus extat oraculum l. 8. oraculor. Sibyllin. *Divinamque Magi stellam coluere recentem. Monstratusque DEi præcepta sequentibus infans. Est in præsepio.* Ita ex Balaam, ex Sibylla Magos cognovisse stellam, censent S. Basilius S. Hieronym. S. Leo &c. Notat Origenes contra Celsum l. 5. Christianos à Gentilibus vocatos Sibyllistas, exinde quod scriptis Sibyllarum, urgerentur & convincerentur iidem gentiles. Justinus item Martyr oration. ad Antoninum Pium, ob dictam causam ab Imperatoribus Romanis Sibyllarum librorum lectionem fuisse sub pœna capitis prohibitam, librosque illarum Diocletiani jussu per totum orbem combustos, ita, ut ex illis nunc vix aliquid extet. 2. Et potius id cognoverunt ex instinctu & revelatione divina. Ita S. Leo serm. 4. de Epiph. Dedit (DEus) aspicientibus intellectum, qui præstitit signum, (stellæ) & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inveniendum obtulit, requisitus. Hanc stellam ait S. Augustinus serm. 2. de Epiph. Quasi cœli linguam loquentem audierunt, eamque usque Bethlehem & ad cunas Christi prosecuti sunt. Ipse denique Christus sol justitiæ intellectum Magorum illustrabat. Ita S. Hieronym. in cap. 9. Matth. Fulgor ipse & majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.

Nova & inusitata fuit hæc stella (P. Cornel.) planè differens à cæteris, Productione. Producta enim sive creata ipsa nocte nativitatis. *Materia* aerea *motu*; non circularem enim sed rectum habebat. *Magnitudine.* Etsi enim fuit minor stellis, major tamen apparebat, quia citima erat terræ. Fulgore, de quo S. Ignatius Epi. 14. ad Ephes. Stella fulsit exuperans omnes, quot quot ante fuerant, lux enim illius

Qualis & quanta hæc stella.

illius érat inenarabilis, fuit ergo hæc ſtella novum Meteorum ab Angelis ex aere efformatum & motum ab angelo perinde ac columna ignis. Ita S.Chryſoſt. hìc.S. Fulgentius ſerm. de Epiph. &c. Aliqui putant hæſiſſe in Oriente nec Magos comitatam. Ita Cajetanus, Barradius &c. Ex adverſo ſtellam hanc comitatam eſſe Magos usque in Judæam cenſent. S. Chryſoſt. S. Leo, D. Thomas &c. Citati à P. Cornel. in cap. 2. Matth. Quod hanc ſtellam viderint etiam alii, eſt probabile. Magna ſolennitate Eccleſia celebrat Epiphaniam, quia in Magis & per ipſos cæpit gentium vocatio & ſalus. Unde S. Leo ſerm. 2. in Epiph. Agnoſcamus dilectiſſimi in Magis adoratoribus Chriſti vocationis noſtræ fideique primitias, & exultantibus animis beata ſpei initia celebremus, exinde enim in æternam hæreditatem cæpimus introire.

Ubi magi Chriſtum adorarunt.

Matth. 2. v. 11. *Et intrantes domum* (Magi) *invenerunt puerum cum Maria matre ejus.* Putant aliqui, uti ſupra innui, Chriſtum è ſtabulo, in quo natus erat, in honeſtam aliquam domum fuiſſe translatum, verùm alii paſſim cenſent, ait P. Cornel. à Lap. hìc. Domum hìc vocari locum puta ſtabulum, in quo natus erat Chriſtus. Hebræi enim quemlibet locum, in quo quis degit, vocant domum. Ita S. Auguſtin. S. Chryſoſt. &c. quos citat P. Cornel. Addit P. Franciſcus Suarez ſect. 4. in D. Thom. 3. par. q. 36. conſtat, inquit, in ſtabulo manſiſſe Chriſtum & B. Virginem, utpote puerperam, usque ad Purificationem. Utramque ſententiam conciliari poſſe dicit P. Cornel. hìc. Si dicatur in Bethlehem utpote urbe parvula unum duntaxat fuiſſe hoſpitium publicum pro advenis, cujus appendix fuerit ſtabulum, pro illorum equis, jumentis, quare Magos poteſt dici ingreſſos domum ſive diverſorium, quia ingreſſi ſunt ſtabulum diverſorii.

S. Joſeph fueritnè præſens dum Magi adorarunt.

S. Joſephi hic nulla fit mentio, ait P. Cornel. vel quia aberat, iveratque aliqua comparaturus, idque DEi conſilio, ne Magi eum Chriſti eſſe patrem, Chriſtumque ex eo more cæterorum puerorum genitum putarent, vel, ſi aderat, ut curator Chriſti æque ac ſtabuli, ſub nomine Mariæ conjugis ſuæ intelligitur, datusque inſtinctus Magis, ut illi intelligerent, Chriſtum natum ex ſola Virgine per virtutem Spiritus S. Non dubium eſt Magos cum B. Virgine per ſe arabicè (quia B. Virgo dono linguarum pollebat) vel per interpretem hebraicè fuiſſe locutos.

Munera oblata.

A ſingulis Magis ſingula dona oblata vult S. Auguſtinus, à ſingulis tria S. Anſelmus, cùm, ùt ait

ait Abulenſis, thus & myrrha in illis regionibus eſſent vilia, ſi ſola redderentur. P. Cornel. Allegoricè hæc tria dona notant Chriſtum. Chriſtus SS. Trinitati, trina obtulit dona, puta ſuam carnem, animam & divinitatem, æque ac Chriſtiani eidem offerunt, actus fidei, ſpei ac charitatis. Pulchrè Juvencus Presbyter (ait S. Hieronym.) munerum ſacramenta uno verſiculo comprehendit. Thus, aurum, myrrham, Regique hominique Deoque. Dona ferunt.

Quo tempore Magi venerunt.

Sextus à circumciſione Chriſti dies Epiphania & Regum adventu in Bethlehem, celebràtur, juxta traditionem Eccleſiæ communiſſimam, quam confirmat S. Cyprianus, licet Epiphanius biennio à nativitate Chriſti id factum exiſtimet propter illud Matth. c. 2. v. 16. De Herode, qui occidit pueros à bimatu & infra, ſecundum tempus, quod exquiſiverat à Magis. Exiſtimat nihilominus P. Salian. Communiſſimam antiquorum Patrum & Recentiorum ſententiam in eo conſpirare, ut tam Magorum adventus, quàm Innocentium cædes, ab Herode perpetrata, intra tres circiter menſes à Chriſti nativitate contigerit, ídque conſtat ex Juſtino Martyre, Auguſtino, Athanaſio, Iſidoro Pelus. Hieronymo, Gregor. Niſſ. Chryſoſt. Cyprian. Toſtato, Suarez, Barradio. Quod confirmatur ex eo, Matth. c. 2. v. 16. *Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis.* Quando quæſo, ait P. Salianus, illud, tunc, num poſt annum unum, duos, apud hominem perſpicaciſſimum, callidum, qualis erat Herodes. Probátque hoc anno, his conſulibus mortuum eſſe Herodem.

Sanctorum Trium Regum Corpora Conſtantinopolim è Perſia translata & in Baſilica S. Sophiæ collocata fuere. Inde ab Euſtorgio Primo Epiſcopo Mediolanum delata ibidem 670. Annis aſſervata, demum Coloniam Friderico Ænobardo Imperatore aſportata, à Reinoldo Archiep. Acta Sanctorum Authore P. Bollando. 6. Janu.

Oblatio Chriſti in Templo & Purificatio Beatiſſimæ Lucæ. 2.

Oblatio Chriſti in Templo 166.
(P. Salian.) quadrageſimo die à nativitate peracta, ſatisfactúmque ibi duplici Legi, alteri de offerendis Deo Primogenitis & quinque ſiclorum pretio redimendis. Alteri, cui ſatisfactum à Beatiſſima Matre, de Purificatione, quæ Pulchra ut Luna, maculas habuit non veras ſed apparentes. Nam nec naturalem impuritatem in Virgine Pariente Chriſtum admittunt omnes, paucis exceptis, quos citat P. Cornel. à Lap. in Lucæ c.2. Unde S. Auguſtinus Lib. de 5. Hæreſibus c. 5.

Unde

Unde sordes in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine patre, unde sordes in ea, quæ nec concupiscendo libidinem, nec pariendo passa est dolorem.

Candelæ in Festo Purificationis quid.

Die 2da Februarii Festum Purificationis Beatissimæ institutum ad abolenda Lupercalia, quæ eodem die Romæ turpiter celebrabantur, ait Baronius, accenduntur Candelæ die Purificationis. 1. Ut profiteamur Christum esse Lumen ad revelationem Gentium. 2. Precamur, ut ipse nobis suam Lucem Gratiæ in hac vita, & lætitiæ & gloriæ in altera vita, communicet, qua de causa moribundis hæ Candelæ in manus dantur. P. Cornel. à Lap. in cap. 2. Luc. v. 32. Tropologicè Purificatio animæ est Pænitentia, quam B. Virgo subivit, non pro peccatis suis, utpote quæ nulla habebat, sed pro alienis, æquè ac Christus. Sacramentum tamen pænitentiæ non suscepit (P. Cornel.) quia propria peccata confitenda non habuit.

Simeon Propheta Luc. 2.

Quod Simeon Luc. 2. v. 34. Dixit de Christo: *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum.* Juxta Nyssenum. Per ruinam accipitur excidium Hierosolymæ per Titum, hoc enim illi illatum est, quia sprevit Christum eúmque Crucifixit. Tropologicè vel potius Symbolicè Theophilact. Christus, ait, positus est in ruinam & resurrectionem Israelis, id est animæ pænitentis, seséque per Christi gratiam Sanctificantis, quia facit, ut in ea moriatur superbia, crapula, libido, ac resurgat in ea humilitas, abstinentia, castitas.

Gladius Doloris Beatissimæ Luc. 2.

Prophetavit insuper Simeon Beatissimæ v. 35. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Arabicus. Lancea. P. Cornel. à Lap. hic. Duplex ergo hic gladius, primus linguæ & contradictionis, audiens enim Beatissima calumnias, probra in Christum etiam Crucifixum, mirè cruciabatur: Secundus gladius fuit ferri, puta clavorum cæterorúmque tormentorum, qui non solum Christi Corpus & Animam, sed etiam Virginis animam pertransivit. Quocirca Doctores docent B. Virginem esse Martyrem, imò plus quàm Martyrem, quia gladius aliorum Martyrum corpora, gladius verò Christi & Virginis, Animam, pertransivit. Quod hac die in Templis Christianorum manibus gestentur lumina, hujus ceremoniæ exordium hoc fuisse censet S. Elogius: cùm Romani totius mundi potirentur Imperio à subjecto sibi orbe tripartito, per tria quinquennia solutionem census indixerunt fieri, & hoc modo, ut aurum uno, altero argentum, æs verò tertio, persolverentur, quinquennio, unumquodque autem quinquennium vocabatur Lustrum, eo quod ipso expleto, censuque soluto, in unum conveniente populo Romano, Sacrificium celebraretur, & cum Cereis & lampadibus Urbs Romana lustraretur, ob honorem infernalium Deorum præcipuè Februi id est Plutonis, qui Dominus inferni censebatur, à quo & mensis vocabulum sortitur. Ideò autem tunc infernalibus diis sacrificabant, quia eorum præsidio nationes orbis se subjugasse credebant. Nunc igitur vanæ superstitionis errorem, pulchre Christiana devotio ad veram convertit fidei religionem. &c. Acta Sanctorum Auth. Bollando & Henschemo in Februar.

Lustrum quid sit.

In Santonensi Pontificali Ecclesia Octava Purificationis celebratur propter miraculum, quod ibi contigisse Sacra ejus Templi produnt monumenta. Est in illa præcipua æde Altare Divæ Genitricis, antiqua religione Sacrum, Statua antiquior, quam ob mira frequentis opitulationis insignia B. Mariam de Miraculis, jam pridem cives appellant. Accidit autem dum medio intempestæ noctis silentio, cùm alta quies totam Urbem occuparet, repente nemine movente, Ærea majoris Ædis Cymbala, mira concentus suavitate resonarunt, quo insolito tinnitu experrefacti Sacri Æditui, Templum undequáque Luminibus coruscum conspiciunt, numerosúmque hominum conventum Augusta lustratione ac prece, suavissimísque hymnis, Virginem venerantem, ad quem timido gressu, propius accedentes, eum, qui tam celebris Pompæ postremum ducebat ordinem, rogarunt, uti Cerei ardentis reliquum, quod piis gestabat manibus, tantæ rei testimonium daret, quod ille libens præstitit. Quæ res dum Urbi, non solùm per Custodes, sed etiam per multos cives, qui per rimas ostiorum eam rem viderant, innotuisset, celebrandum hunc diem, ob tam novum prodigium, indixerunt, cereúmque inter Sacras Reliquias Servandum mandarunt. Acta Sanctorum ibidem.



Caput tertium.

Fuga Christi in Ægyptum. Infanticidium. Herodis mors. Archelaus Regno privatus. Christus Duodennis docet in templo. Subditus Parentibus. Proficit Sapientia & Ætate & Gratia.

167. *Fuga in Ægyptum. Matth. 2.* PEracta solennitate oblationis Christi in Templo redire in Nazareth Sancti Parentes, & ecce ibidem, vel adhuc dum essent in itinere. Matth. 2. v. 13. *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens. Surge & accipe Puerum & Matrem ejus & fuge in Ægyptum.* v. 14. *Qui* (Joseph) *consurgens accepit Puerum & Matrem ejus nocte & secessit in Ægyptum.* Notant Athanas. Lib. de Incarn. Origen. Eusebius, corruisse in Ægypto Idola, dæmonesque ex fanis profugisse, dum in Ægyptum illatus fuit Salvator. Refert Adrichomius fuisse alicubi in Ægypto hortulum balsami, qui irroratur à fonte parvo, uberrimè tamen fluente, in quo fama est sæpe lotum à B. Virgine puerum JEsum. Mansit ad obitum usque Herodis in Ægypto Christus, ad cujus parentumque ejus persecutionem, advertens Chrysostomus Tropologicè hic, Hom. 8. docet, Deum Christi atque Christianorum vitam, quasi coronam ex adversis & prosperis, pulchre contexere & variegare. Vidit quippe S. Joseph sponsam gravidam, incidit in turbationem, sed adfuit repente Angelus suspicionem solvens, subsecuta est læta adoratio Magorum, sed hanc excepit persecutio Herodis & fuga in Ægyptum. Porrò non dubium, ait P. Cornel. à Lap. hic, multos Ægyptiorum, visa Sanctitate. B. Virginis & Josephi, atque ex crebra cum eis conversatione Deum verum cognovisse, coluisse & amasse. Martyrologium reditum Christi ex Ægypto consignat die 7ma Januarii, annum alii tertium ab itu, alii quintum, alii septimum.

Post reditum ex Ægypto habitavit Christus in civitate Nazareth, ut patet ex ver. 23. Unde dictus fuit Christus Nazarenus controvertitur, conciliat P. Cornelius sententias dicens: Christum Nazarenum dici, si literas hujus nominis spectes, à consecratione, sanctitate, coronâ, alludere tamen ad germen, florem.

Infanticidium Innocentum. Matth. 2. De Infanticidio ab Herode perpetrato, dicitur Matth. 2. v. 16. *Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus.* Ita, ut notat S. Chrysostomus, inextinguibilis est ira, quam Regni zelus accendit, ut fera vulnerata, quid quid oculis occurrit, tanquam Authorem vulneris dilaniat.

Quando. Quo præcisè anno contigerit hoc infanticidium, variant Authores, P. Cornelius existimat 15to mense à nativitate Christi, alii cum Saliano citius. Illaque verba à bimatu & infra, variam habent explicationem. Horum vult esse sensum, P. Cornel. in Matth. c. 2. q. d. Herodes infantes necavit à bimatu, à bimatu, id est, qui duorum erant annorum, & infra, id est eos, qui necdum attigerant biennium, sed unius erant anni & aliquot mensium. P. Salian. Herodes occidit pueros, qui intra biennium nati erant, sive illi natu majores Christo essent sive minores, nimirum ad cautelam, nè quo modo elaberetur is, quem ille perdere volebat. Censetur veniam occidendi Infantes impetrasse ab Augusto Herodes, quæ venia non parum esset culpanda. Ita Rupertus. Opinantur nonnulli ex Apocalip. 14. v. 1. Infantes ab Herode occisos fuisse numero 144. mill. tot enim ibidem visa sunt à Joanne. *Quot.* Verùm S. Joannes (P. Cornel.) loquitur de virginibus, qui Antichristi libidini & persecutioni ad mortem usque resistent. Verisimilius est, quod habent Abyssini in suo Missæ canone, Infantes ab Herode occisos fuisse 14. millia. Ita noster Salmeron, Genebrardus.

Notat P. Cornel. in cap. 2. Matth. Hos infantes ab Herode in odium Christi occisos, *Martyres verè & quid Martyrium.* verè esse Martyres, ac ut tales ab Ecclesia coli, idque commune est omnibus Infantibus, qui in odium fidei trucidantur, ex gratuita & liberali Dei ordinatione. Unde sequitur martyrium ex opere operato justificare, ac idem operari, quod operatur baptismus. Ita passim Patres & DD. in 4. dist. 4. Hinc DD. tres Classes Martyrum statuunt. 1ma. Eorum, qui opere ac vo-

luntate sunt Martyres, quales sunt adulti, qui voluntariè mortem à Tyranno pro Christo illatam suscipiunt. 2da. Eorum qui solo opere sunt Martyres, quales sunt Infantes, qui pro Christo occiduntur. 3tia. Eorum qui sola voluntate, ut qui optant Martyrium, uti optabat S. Franciscus & ideo profectus fuit ad Soladinum Ægypti, sed hic videns eum virum Sanctum, noluit eum occidere. Unde caruit ipse realis Martyrii laurea.

Herodis interitus.

Mortem Innocentum, nocentissimi & scelestissimi Herodis mors justa eandem accelerante Dei vindicta, secuta, nam ipse post quinque dies, ab Infanticidio, acerbissimo multiplicique morbo correptus, variis agitabatur cruciatibus, inter quos fuit vehemens voracitas, plane helluoni innocentis sanguinis debita, colici dolores, vermibus scatebat, fœtore gravissimo diffluebat, tandem atra bile prægravante, immane facinus aggressus, ut ait P. Salian. Nobiles enim Judæos, minaci Decreto convocatos, conclusit in circo & Sororem suam Salomen ejusque virum Alexam, infimis precibus ac lachrymis exorare aggressus,

Testamentum crudele.

ut cum primum animam exhalasset, tantisper ejus morte celata, eam omnem multitudinem, immisso milite, trucidarent, sicque publico luctu honoraretur, omnibus non fictè lugentibus. Hoc tamen executioni non mandatum. Venêre deinde Româ Literæ, in quibus illi dabatur potestas, filium sive pellendi, sive capite plectendi, inde paululum recreatus, sed gravi mox dolore pressus, manus sibi intulisset, nisi Achiabus ex Sorore nepos, ictum præveniens manum retinuisset, clamore sublato, quem audiens incarceratus Antipater ejus filius, existimans patrem mortuum, sperans que se Regem statim fore, exigebat à custode multis promissis, ut emitteretur; at custos usque adeò non paruit, ut rem totam Herodi detulerit, quo audito, indignabundus pater, unum statim è Satellitibus misit, qui Antipatrum perimeret, quod & factum, quinque diebus ante mortem Herodis, circa Pascha contigit interitus Antipatri, quando & Infanticidium Innocentum, quod discimus ex Macrobio, qui L. 2. Saturnalium capite 10. inter jocos Augusti hunc refert. Cùm audisset, inquit, inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait, melius est Herodis porcum esse quàm Filium, quia Judæi porcos non mactant. Hunc verò filium Antipatrum fuisse

fuisse docet Josephus, si enim alius fuisset parvulus & bimulus, ait P. Cornel. hunc utique Herodes non occidisset, sed Regni sui Hæredem & Successorem jam senex optasset.

Occiso Antipatro testamentum mutavit Herodes (P. Salian.) Archelaum filium Regni Successorem constituit, Antipæ & Philippo Filiis Provincias assignavit. Legata Cæsari, à quo omnia confirmari oportebat, misit, tandem ætatis suæ anno 71mo. Regni, ex quo Rex à Romanis declaratus 40mo. turpissimam, totque sceleribus depravatam animam efflavit. Itaque Archelaus filius successit Herodi, qui trium millium tumultuantium cæde, circa Templum perpetratrâ, seditionem compescuit. Ab eodem Herode occisum fuisse Zachariam Patrem Joannis Baptistæ, inveniuntur graves Doctores, qui tradunt. Uti Cyrill. Alexandr. Origenes, Gregor. Nyssen. Basil. &c. Quos citat P. Skarga in comp. An. Baron. eodemque An. orta secta Galilæorum, de qua Actorum 5. Hi Sectarii dare tributum Cæsari renuebant, solique Deo, titulum Domini, tribuebant, Cæsari & Herodi negabant, sed à Romanis profligati. Occasione hujus sectæ, ipsemet Christus, cum suis Discipulis, quod essent ex Galilæa, in suspicionem venêre, quod prohiberent dari tributum mundi Dominis. Ibi &c.

Ann. Chr. 2. Mundi 4054. Æ- 168.
ræ Christianæ Primus, hæc Epocha, cum nova olympiade inchoatur, quæ & Dionysiana ab Authore Dionysio dicitur.

Archelaus Regno privatus Æera Christiana.

Archelaus expectabat confirmationem Regni ab Augusto, ac post multam disceptationem, quæ facta coram Cæsare, ab Archelao & Antipa, qui prioribus tabulis Rex erat à Patre denuntiatus, tandem Augustus Archelaum dimidia parte possessionis Paternæ donavit, alterum dimidium in Antipam & Philippum ejusdem Herodis Filios partitus est. P. Salian.

Ann. Chr. 7. Archelaus ob crudelitatem apud Augustum accusatus, Romam evocatus, ditio ejus, jussu Augusti, Provinciæ Syriæ adjuncta, hinc Judæi non habebant Regem nisi Cæsarem. Aliis interim Herodis Filiis, Philippo & Antipa in suis Tetrarchiis perseverantibus, illo Trachomitidis, isto Galileæ, idque ad multos annos.

Ann. Chr. 12mus. Notandum Lucæ 2. v. 44. Dicitur: *Existimantes autem illum*, (Christum) *esse in comitatu*. P. Barradius To. 1. L. 10. 14. inquit, existit hoc loco dubium, num hac existimatione virgo sit decepta, fuit enim

enim existimatio falsa, existimabat Christum esse in comitatu, at ille Jerosolymis erat in Templo. Deceptam arbitratur Cordubensis, at major Lucæ 2. mihi inquit altius rimanti, visum est absonum à vera pietate, admittere ullum errorem etiam speculativum, in DEi Genitricem cadere. Hanc sententiam sequitur Suarez 3. Parte q. 94. Disp. 18. & Medina. In eam (scilicet sententiam) ob eam, quam matri DEi debeo pietatem & honorem, discedo, & ex Statu innocentiæ petito argumento, confirmo. Communis opinio est D. Thomæ 1. p. q. 94. ar. 4. D. Bonaventuræ &c. Primos Parentes, Statu innocentiæ permanente, non potuisse decipi. Idque docet D. Augustin. lib. 3. de libe: arb. c. 18. his verbis: Approbare vera pro falsis, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Data est hæc perfectio primis Parentibus, cur ergo non daretur virgini, quam maximè decebat. Item ut Augustinus ait: deceptio est pœna hominis per peccatum damnati, id est puniti, ergo cum virgo culpam originalem non contraxerit, verisimile est, hanc pœnam mentis non contraxisse; præterea ut nullum habuit actum appetitus vel voluntatis inordinatum, ita verisimile est, nullum habuisse actum intellectûs, à recto judicio alienum. Quomodo igitur existimavit falsò esse Christum in comitatu? Rupertus L. 1. in Cantica, significat virginem novisse, ubi tunc temporis Christs esset, néque re ipsa existimasse, illum esse in comitatu, sed si id voluit in sensu literali intelligendum, non sensit rectè, apertè enim Evangelista, aliud docet. Id ergo existimasse Deiparam, fateor, id est sine assensu firmo & judicio aberrante à veritate, hoc ex probabilibus conjecturis & rationibus collegisse, verisimile est, esse in comitatu (is enim erat Christi mos, ut cum vicinis & notis sæpè versaretur) hoc verò non est decipi, sed verè judicare: non enim decipitur, qui probabilibus rationibus ductus, probabiliter aliquid existimat, absque firmo assensu. v. 50. *Et ipsi non intellexerunt.* Barradius ibidem Triplex est horum verborum sensus, salvâ Deiparæ eximiâ sapientiâ. Primus. Ipsi non intellexerunt, hoc est Doctores & reliqui, qui aderant, non intellexerunt Christi verba, is mihi non omninò probatur, ait Barradius, quoniam non congruit cum antecedentibus, non enim de Doctoribus aut Auditoribus sed de

Deipara

Deipara & Josepho Evangelista loquebatur. De Deipara ergo & Josepho locus est explicandus. 2dus sensus, ipsi non intellexerunt per Synecdochen numeri pro numero, hoc est alter de ipsis, scilicet Joseph non intellexit. 3tius. Deipara & Joseph non intellexerunt Christi verba. Numquid non intellexit Deipara Christum appellare Patrem, DEum. Intellexit quidem tunc Patrem Deum, at non intellexit tunc in quibusnam rebus Patris, illa ætate oporteret Christum esse, maximè quoniam amore inflammata, toto cordis impetu in Christum sublata est, nec satis, quid ille diceret, advertit. Dubitabis hoc loco, num in virgine Intemerata, aliqua ignorantia sit concedenda? paucis respondeo. Ignorantiam decipientem, ùt jam supra diximus, à virgine sapientissima abfuisse, ignorantiam verò, quam puræ negationis appellant, aliquam illi tribuere, necesse est. Siquidem non cognoscebat omnia, ut est exploratum. Ignorantiam tamen privativam, illi minimè tribuimus, siquidem scientia nunquam caruit, quam Præcellentissimus illius status postulabat, ita ut privata, aliquâ scientiâ, quæ inesse deberet, dici non posset. Si verò hoc loco non intellexit Christi verba, non fuit illa inscitia privativa sed negativa tantummodò, non enim debuit illa intelligere. Hæc Barradius.

Christus duodennis docet in Templo. Lucæ. 2.

Hoc Anno Christus, Discipulum licet ageret non Doctorem in Templo, interrogando docebat, ita, ut mirarentur. Inventus à Parentibus in Templo, de quo Luc. 2. v. 46. *Post triduum invenerunt eum in templo.* P. Cornel. à Lap. hic. Post triduum non absolutum sed inchoatum, hoc est tertio die, scilicet, ab ejus amissione. Notat P. Salian. esse morem hujus Evangelistæ, elapsum tempus pro in eunte sumere v. g. postquam consummati sunt dies octo, id est, Octavo die.

Totum hoc triduum (P. Cornel.) JEsus egit, partim orando partim audiendo Doctores, eisque respondendo in Templo, cibum à Doctoribus, sapientiam ejus mirantibus accepit invitatus, licet alii, quibus favet D. Thom. 2. 2. q. 187. putent eum ostiatim mendicando victitasse. Invenerunt, sedentem in medio Doctorum. P. Cornel. est Hebraismus, id est, inter Doctores, sed humiliore loco, quasi Discipulum. De Messiæ adventu Christum Doctores interrogasse omnino est verisimile. Dum dixit Christus v. 49. *Quid est, quod me quærebatis, nesciebatis, quia in his,*

quæ

quæ Patris mei sunt, oportet me esse. Hæc verba (P. Cornel.) sunt Christi instruentis Consolantis & se Excusantis. Actiones suas Theandricas, quas scilicet habebat ut Homo Deus, sive ut Redemptori, sive quasi Christo proprias, quæ à S. Dionysio L. de Divinis nominibus Theandricæ id est Dei viriles nuncupantur, vocat hic Christus actiones Dei Patris, Patri, eas attribuit non sibi. 1. Quia propter has à Patre missus erat in mundum 2. Quia à Patre habebat suam Divinitatem, hæc autem opera præcipuè erant Divinitatis 3. Quia eas faciebat ex præcepto Patris. Notat P. Cornel. hîc. Humanam naturam in Christo, licet in se præcise sumpta, subdita esset matri, tamen quia elevata erat à Deo ad Hypostasim verbi, unum erat cum Deo, puta una Persona, hinc exempta fuit ab obedientia Matris.

Subditus Christus Parentibus Lucæ. 2.

Christus tamen, ut nobis daret summæ humilitatis & obedientiæ exemplar, ultro sese subdidit matri & S. Josepho. De quo v. 51. *Erat subditus illis.* Hinc S. Bernard. Serm. 1. Super missus est. Cum admiratione exclamat. Erat subditus eis. Quis? Quibus? Deus, hominibus; erubesce superbe cinis, Deus se humiliat & tu te exaltas! Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, Tuo te præponis Authori! quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo. S. Basilius in Const. Monast. c. 4. In prima ætate subditus Parentibus omnem laborem corporalem, mansuetè & obedienter sustinuit. Advertit P. Cornel. multa egit, multa dixit Christus per 30. Annos, sed hæc omnia hac gnome conclusit Lucas & *erat subditus illis.* Præclarum elogium Religiosi est. Tota vita fuit Superioribus suis obediens & subditus.

Veterum sententia est ait P. Cornel. Christum Josepho subjectum fuisse, in exercenda arte fabrili lignaria, congruum enim erat, ut Fabrilem cum Patre Putatio exerceret, qui mundi est cum naturali Patre Fabricator. Per Fabrum conditum est Genus humanum, per Fabrum decuit restitui.

Sapientia Gratia proficiebat Christus. Lucæ. 2. Quomodo.

Sapientia, gratia proficere Christus dicitur. Luc. 2. v. 52. *Proficiebat Sapientia & ætate & Gratia apud Deum & Homines.* S. Athanas. Cyril. citati à P. Cornel. hîc, videntur docere Humanitatem Christi à verbo sensim majorem hausisse sapientiam, sicut B. Virgo, cæterique homines. Verùm contrarium docent cæteri Patres, erat enim

JEsus

JEsus à primo Instanti conceptionis suæ plenus Sapientia & Gratia. S. Gregor. Nazian. Oratione 20. in laudem S. Basilii. Sapientia, inquit, apud Deum & homines proficiebat, non, ut augmentum aliquod acciperet, cùm ab initio gratia, sapientiaque absolutus esset, sed quod hæc hominibus ignaris paulatim apparent. Concludit P. Cornel. hîc. Dicitur ergo Christus profecisse in ætate, in sapientia & gratia. Primò in opinione hominum ac specie & ostensione externa. Secundò propriè crevit Christus sapientia experimentali, quæ non erat infusa à primo instanti conceptionis, ipse enim usu multa expertus, majorem acquisivit experientiam. Tertiò & propriè, esto Christus non creverit sapientia & gratia habituali, crevit tamen actuali & practica. Huc accedit expositio Toleti: Nomine sapientiæ & gratiæ, inquit, non intelligitur ipse habitus gratiæ & sapientiæ, sed opera ipsa & verba sapientia & gratiosa, quæ ab interna sapientia & gratia procedunt, & sic dicitur Eccl. 10. Verba oris sapientis gratia, id est, gratiosa. Diffusa est gratia in labiis tuis Ps. 44. Ex occasione verborum, apud Deum & homines, ait Theoph. primum enim oportet Deo placere. Addit P. Cornel. Si enim Deo placuerimus, faciet ipse, ut & hominibus placeamus. Non sufficit placere hominibus, quia hoc sæpe fictum & simulatum est, nec soli Deo, quia hoc privatum & secretum est. Sed Deo & hominibus. Ut gratiam, quâ Deo placemus, etiam hominibus ostendamus, itaque eos ad eandem alliciamus. Deo enim debemus conscientiam, proximis famam, ait S. Bernard.



Caput quartum.

S. Josephi mors. S. Joannis Bapt. Prædicatio in Deserto. Baptizat S. Joannes etiam Christum. Legatio Pontificum ad S. Joannem.

169. S. Josephi mors. ANn. *Christi* 13. Illi, qui S. Josephum valde senem duxisse Beatissimam existimarunt, mortuum censent, alii etiam moriente Christo vixisse crediderunt, nec tamen id posterius DD. probabile judicarunt, quin potiùs hoc ipso, quòd virgo conjugi commendata non fuit sed Joanni, probabilius colligunt, illum jam in vivis non extitisse. Media ergo sententia est, non tam cito mortuum, nec tamen ad annum Christi trigesimum pervenisse, quòd in Nuptiis Galileæ ejus nulla fiat mentio, incertus itaque annus mortis ejus, juxta Martyrolog. Romanum, dicendum illum in Martio obiisse. De hoc S. Josepho. Emman. Thesau. Virgini Vir, Virgini Virgo. Ille servat (Christus) hic servit, & Altorem suum alumnúmque alit. Orant alii Numen, hic cogit, nam Patris vota, imperia sunt. Mortalibus imperat Puer, Puero Mater, Matri Sponsus.

In actis Sanctorum à Bollando, Henschennio, Papebrat. Colle. 19na Martii. S. Josephus dicitur fuisse Beatissimæ V. M. Patruus, ibidem narratur, quòd Elisabeth Sillevoorts Sanctimonialis, miserrimè affecta morbo calculi, & morti à medicis adjudicata, cùm fiduciam in S. Josephum collocasset, intendissetque, quantum poterat, devotionis affectum A. D. 1649. Suis & suorum perfusa lachrymis, inter cruciatus intolerabiles & Sociarum sustinentium manus genuflexa coram imagine Divi, tantum lapidem emisit, quantum ovum vix maximæ gallinæ pariunt. ibidem ʃʃ. 10.

Ann. Chr. 30. Circiter prædicavit Joannes pænitentiam, ut per eam homines præpararet ad Christum, ipse licet Innocentissimus asperæ vitæ cultor eximius fuit. Hunc Matth. 3. S. Joannes prædicat pænitentiam ipse asperam vitam ducit.

Niceph.

Niceph. L. 1. c. 14. Testatur, sesquiannum agentem à matre ductum in desertum Herodianam fortè iram fugiente. Addit Cedrenus in compe. Hist. eum delituisse in spelunca quadam, ibíque Matrem obiisse, Angelum autem Joannis pueri curam suscepisse, hæc spelunca postea ab Eremitis culta, præcipue à Joanne Abbate, qui casu ægrotus ad eam divertit, sanatúsque à Joan. Baptista, eo pacto, ut speluncam incoleret, incoluit itaque sanatus, eámque fecit Ecclesiam congregatis ibidem Fratribus. Appellatur autem locus ipse Saplas. Matth. 3. v. 4. Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum. Ait S. Chrysost. de virtute animæ habitus corporis loquebatur. Cæteri Patres præcipuè S. Anselm. ajunt, vestem S. Joannis fuisse cilicium camelinum, habebat S. Joannes Zonam pelliceam circa lumbos suos. P. Cornel. hîc. ut magis illâ vestem cilicinam corpori appri meret. Tritum est illud. Accincta vestis, accincta mens. Unde Sylla Pompejum & Romanos Senatores monebat, ut malè præcinctum puerum caverent, in eo enim multos inesse Marios, erat is, Julius Cæsar, qui tum puer, sed postea vir, Pompejum, Senatum, & Nobilitatem Romanam oppressit.

Matth. 3. v. 4. *Esca autem* (S. Joan.) *ejus erat locustæ & mel Sylvestre.* Per locustas alii intelligebant bellaria ex melle & oleo, alii novantes cancros marinos, alii herbas, vel arborum summitates. P. Cornelius existimat fuisse propriè locustas, quæ summitates aristarum & plantarum depascuntur advolantes. Unde Origenes, Hilarius, Ambros. Chrysost. Augustin. Apud Canisium de corruptela verbi Dei c. 4. accipiunt insecti genus, saltando volitans, uti sunt locustæ, quas comedi solitas ab Æthiopibus, Lybiis aliisque Orientalibus docet Plinius L. 11. c. 29. Nec id mirum, cùm in Historiis legamus (P. Cornel.) Germanos milites, olim bombyces frixos comedisse. Italos, mustelas. Per *mel Sylvestre*, quo vescebatur D. Joan. S Chrysost. Theophyl. Isidorus Pelusiota, intelligunt mel agreste, ab agrestibus apibus, quæ in arboribus, aut Lapidum scissuris, mellificant confectum.

Inculcabat suis auditoribus. D. Præcursor. v. 2. *Pænitentiam agite.* P. Cornel. Porrò pænitentia, non tantùm est morum emendatio, & novæ vitæ inchoatio, ut volunt hæretici, Sed & veteris vitiosæ per dolorem detestatio, castigatio & destructio. Hinc S. Augustin. Lib. de pæniten. Novam vitam

 in-

Pœnitentiæ pœnæ tenentia.

inchoare non poteſt, quem veteris non pœnitet. Pœnitentia ergo dicitur quaſi pœnæ tenentia. Unde S. Gregor. Hom. 34. in Evang. pœnitentia eſt, præterita mala plangere & plangenda iterum non committere.

Joannes Baptizat. Matth. 3.

Evocavit vox Clamantis in deſerto ex urbibus homines Matth. 3. v. 5. *Tunc exibat ad eum Hieroſolyma & omnis Judæa, & omnis Regio circa Jordanem, & baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata ſua.* P. Cornel. à Lap. hìc. Baptiſmus Joannis alius erat à Baptiſmo Chriſti. Baptiſmus enim Chriſti ex opere operato omnia peccata delet & gratiam, juſtitiamque confert, nihil tale faciebat Baptiſmus Joannis, ſed tantùm erat ſignum pœnitentiæ & ad eam excitatio, per quam proteſtabantur ſe optare animam ſuam ablui à peccato, ſicut Corpus aqua abluebant.

Baptiſmi Chriſti à Baptiſmo Joannis differentia.

Ad Baptiſmum Joannis confluebant etiam Phariſæi & Sadducæi, ùt habetur. v. 7. Erant enim Judæorum Sectæ diverſæ. Primitùs tempore Machabæorum tres erant Judæorum Sectæ, ſcilicet Phariſæi, Eſſeni, Sadducæi. De quibus Joſephus L. 13. Antiquit. c. 9. Horum Phariſæi, quædam, at non omnia, fato tribuunt, quædam verò in ſua poteſtate ajunt, ut vel fiant vel non fiant. Eſſeni verò omnia in fati poteſtate eſſe affirmant, nec quidquam hominibus præter fati decretum accidere. At Sadducæi fatum omninò negant & è rebus tollunt, dicentes, nihil fataliter evenire hominibus & omnia in noſtra ipſorum poteſtate eſſe, ut tam felicitatis nobis ipſis authores ſimus, quàm infortunii, ſi deteriora conſilia ſecuti fuerimus.

Judæorum Sectæ Tres, Phariſæi, Eſſeni.

Circa fatum diverſæ ſententiæ.

Nec ſolùm hominum vulgus 170.
baptizavit Joannes ſed ipſummet Chriſtum, quando Spiritus S. in eum ſpecie Columbæ deſcendens & vox Patris: *Hic eſt Filius meus Dilectus.* Ipſum eſſe Meſſiam toti orbi declaravit. Matth. 3. v. 13. *Tunc venit JEſus à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo* &c. Triplicem ob cauſam, ait S. Hieronym. Salvator à Joanne accepit Baptiſmum. Primo. Ut quia homo natus erat, omnem juſtitiam & humilitatem Legis, impleret. 2do. Ut Baptiſmate ſuo Joannis Baptiſma comprobaret. 3tiò. Ut Jordanis aquas ſanctificans, per deſcenſionem Columbæ, Spiritus S. in Lavacro credentium, monſtraret adventum. Plures alias cauſas adfert P. Cornelius hìc, inter quas: ut Chriſtus Baptiſmum à Joanne ſuſcipiens, ſuo exemplo omnes ad ſuum Baptiſmum

Baptizatus Chriſtus à Joanne Matth. 3.

tiſmum alliceret & fructuum ejus oſtenderet ſcilicet Spiritus S. donationem & illapſum. Ut à Joanne Baptizatus, in ſe quaſi luat & abluat peccata noſtra, quæ ſuſceperat.

Nonnulli exiſtimant Baptiſtam, paulo poſt, à Chriſto fuiſſe Baptizatum, ſicut ab eodem Baptizata fuit B. Virgo. S. Petrus, Jacobus, Joannes, cæterique Apoſtoli, uti teſtatur S. Evodius (citatus à P. Cornel. hìc) Chriſtum verò non decuit ſuo Baptiſmo baptizari, quia ipſe, quaſi, Hierarcha, Baptiſmum inſtituit, quaſi, peccati remedium, ac ſui ſuæque Eccleſiæ notam & characterem. Ita D. Thom. Suarez & alii. Dici poſſet tamen Chriſtum baptizaſſe Joannem Spiritu, non in Sacramento Baptiſmi, ſed Spiritu, id eſt Spiritualiter, quia majorem Spiritûs copiam illi infudit. P. Cornel.

Quando Chriſtus Baptizatus.

Porrò Diem, quo Chriſtus Baptizatus eſt, fuiſſe Dominicum tradit S. Auguſt. Serm. 154. De temp. Certúmque quaſi eſt ex Traditione Chriſtum Baptizatum eſſe die 6ta Januarii, quâ fuerat à Magis ante 30. An. adoratus, unde Eccleſia eadem die memoriam Baptiſmi Chriſti recolit. Unde Fideles in Græcia, circa mediam noctem, quæ diem Sextam antecedit, aquas ex obvio Fonte vel Fluvio hauriebant, quæ Dei dono, multis annis incorruptæ manebant. Uti expreſsè teſtatur S. Chryſoſt. Hom. de Bapt. Chri. To. 5. Operum Græc. Addit S. Epiphanius (citatus à P. Cornel.) hæreſi 51. Illa die Nilum in vinum verti. Imò tradit illâ horâ, quâ Miniſtri in Canæ Nuptiis hauſerunt aquam, in multis locis, fontes ac fluvios in Vinum verſi. Addítque. Nos bibimus de Cybires fonte, fratres verò noſtri de eo, qui eſt in Geraſa, in Martyrum Templo, ſed & multi de Nilo hoc teſtantur.

In Vinum verſa Flumina.

Matth. 3. v. 16. *Baptizatus autem JEſus, confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cæli & vidit Spiritum DEI deſcendentem, ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.* P. Cornel. à Lap. hìc. Unde patet non vi Baptiſmi Joannis ſed merito humilitatis & Orationis Chriſti deſcendiſſe Spiritum S. ſuper eum. Vidit cælos apertos Ipſe JEſus & Joannes, ac cæteri, qui aderant, utpote propter quos hæc fiebant. Illam Columbam viſam, veram fuiſſe Columbam, cenſent S. Hieronym. S. Anſelm. & ex iis D. Thom. 3. par. q. 39. Et alii. Æquè tamen probabile eſt, ait P. Cornel. imò probabilius non fuiſſe veram Columbam ſed tantum ſpeciem ſive formam Columbæ ab Angelis formatam agitatam & motam.

Spiritus S. in ſpecie Columbæ.

motam. Quia id indicant omnes Evangelistæ. Matth. ait. *Sicut Columbam.* Marcus. *Tanquam Columbam.* Lucas. c. 3. *Corporali specie sicut Columba.* Joan. c. 1. *Quasi Columbam.* Minimè tamen fuit Phantasma, sive Phantastica Columba, fuit enim verum solidúmque Corpus habens formam Columbæ. Ut docet S. Augustin. &c.

Matth. 3. v. 17. *Et ecce vox de Cælis dicens: Hic est Filius meus Dilectus, in quo mihi complacui.* P. Cornel. à Lap. hìc. Ex cælis apertis & coruscis lucida Columba delapsa est in caput Christi, dúmque in eo consideret, ex iisdem delapsa vox: Hic est Filius meus, vox hæc Symbolum Columbæ explicabat, Columba verò ad Christum, cui ipsa insidebat, vocem ferri & terminari significabat non ad Joannem, vel quem alium. Utróque ergo signo opus fuit ad declarandum orbi Christum. Vox hæc in Persona Patris Angelorum ministerio efformata fuit. Ait Victor Antioch. in c. 1. S. Marci. Dicitur *in quo mihi complacui.* P. Cornel. Ita scilicet, ut Tu solus O Christe, perfectè per omnia, summè & infinitè mihi placeas, ac nemo mihi placeat nisi per Te, imò ut per Te, placatus sim Toti Generi Humano.

Valde probabile est, ait P. Cornel. Christum hoc loco & tempore, cùm baptizaretur in Jordane, instituisse Sacramentum Baptismi, ejus dedisse efficaciam justificandi, necessitatem tamen ejus suscipiendi, indixisse, post mortem suam, in Pentecoste. Ita S. Thom. 3. p. q. 22. ar. 2. & alii.

Militum Instructio à S. Joan. Lucæ 3.

Dum prædicaret & baptizaret D. Joannes Lucæ 3. v. 14. *Interrogabant autem eum & milites, dicentes: quid faciemus & nos? & ait illis. Neminem concutiatis, néque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* P. Cornel. à Lap. hìc. Milites isti militantes partim sub Herode Antipa contra Aretam Regem Arabum, partim sub Præfecto Templi, partim sub Pilato Præside Romano. Hi audientes Joannem detonantem in vitia eisque gehennam minitantem, conscii sibi rapinarum aliorúmque scelerum, voce Joannis compuncti, ab eo petunt pænitentiæ remedium, quibus assignavit remedia tribus militum vitiis opposita. Tacitè quóque, (P. Cornel.) insinuat Joannes positis hisce tribus conditionibus & bellum esse licitum. Uti docet S. Ambros. Ser. 7. & S. Augustin. L. 22. contra Faustum. c. 74.

Bellum justum licitum.

Baptismum à Christo susceptum, secuta Legatio, juridice in-

stitu-

Legatio ad Joan. Joan. 1.

stituta à Pontificibus & Magistratibus ad Joannem, in qua illud inquirebatur. Joan. 1. v. 19. *Tu quis es.* Causa hujus legationis fuit, quòd Pontifices viderent Joannem Angelicam ducere vitam in Deserto, magno Spiritu prædicare, existimarunt itáque esse sui muneris quærere Quis esset, præsertim quia ex translato à Juda ad Herodem sceptro & ex completis 70. Hebdomadibus Danielis, sciebant jam imminere tempus adventûs Messiæ, quare Joannem suspicabantur esse Messiam. Aliam causam affert S. Chrysost. hìc, scilicet id eos rogasse ex odio & invidia JEsu, ut enim JESUM ostenderent, non esse Messiam, titulum Messiæ, ad Joannem transferre conati sunt. Idem S. Chrysost. Hom. 11. in Matth. censet, id eos rogasse, invidia Joannis, quod scilicet dolerent Joannem, vitæ Sanctitate, Prædicatione & Baptismo, ita inclarescere, sibíque præferri, ac populum à Scribis & Sacerdotibus ad se traducere.



Caput

Caput quintum.

Christus jejunat in Deserto. Tentatur à Diabolo. Quomodo Christo Diabolus ostendit regna mundi. Joannes de Christo dicit. Ecce Agnus Dei. Vocatio Apostolorum, Andreæ, Petri, Nathanaelis.

171. In Deserto Christus jejunat & tentatur. Matth. 4.

Legationem dictam aliquatenus Christi in deserto Jejunium & tentatio præcesserant. Matth. 4. v. 1. *Tunc JEsus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo.* P. Cornel. à Lap. hic. Tunc, scilicet illicò à Baptismo Christi, unde videtur Christus eadem die 6ta Januarii, qua baptizatus est, actus fuisse à Spiritu, Spiritu inquam Sancto, in desertum, eadémque die finiente & septima inchoante inchoasse Jejunium 40. dierum, illúdque finiisse 15. Februarii. Celerrimus enim ad omne bonum opus est Spiritus Sanctus. Desertum, in quod Christus ductus, vocatur Quarantana, de quo Andrichomius in Descript. Terræ S. p. 19. n. 97. Quarantana desertum inter Jerusalem & Jericho. Hic commoratus est S. Joannes Baptista, ibi venientem ad se, ut baptizaretur, Christum digito demonstravit Joannes dicens: *Ecce Agnus Dei*, in hoc Christus jejunavit 40. diebus, & 40. noctibus.

Author est Bucherius Franciscanus Terræ Sanctæ sedulus explorator, etiamnum montem altissimum non procul à Jordane montem Quadragesimæ appellari. Montis medium specus obtinet triplex, naturæ artificio in rupe excisa, prima rotunda, tres circiter passus circumferentiam complectens altera Porticûs in modum satis angusta & obscura 40. passus longa, tertia minor & quadrata, in hac, hodieque visuntur, vestigia capitis humerorum dorsi & coxendicum Sanctissimi Corporis Christi, divinitus rupi impressa, ad has verò specus adrependum est ingenti & difficili conatu. P. D'Oultremam in Amore Incarnato L. 2. c. 1. Sect. 3.

Tro-

Tropologicè S. Ambros. L. 3. de virg. ad sequelam Christi invitat. Et nos igitur procul à luxuria, procul à lascivia, tanquam in arido vitæ istius ac jejuno solo, fugitantem deliciarum Christum sequamur. Non in foro, non in plateis Christus reperitur. Non est Christus circumforaneus. Christus enim est pax, in foro lites, Christus justitia est, in foro iniquitas.

Voluit Christus tentari. (P. Cornel. hic) illicò à Baptismo, ut doceret Baptizatos illicò tentationibus resistere, ut Luciferum, (qui nomine Diaboli antonomasticè hic vocatur) superaret, ut sua tentatione & exemplo nostras tentationes vinceret.

Jejunium Christi.

Jejunavit Christus 40. dies ac noctes, sine ullo cibo, virtute non naturali sed supernaturali. Jejunavit, ut se jejunio contra tentationes instantes armaret & nos armare moneret. Ita S. Basilius Hom. 1. de Jejun. Ut satisfaceret pro Adami gula & deliciis illicitis. Ut quadragesimale Jejunium Christianis ex Apostolica traditione servandum inchoaret & quasi consecraret. Ita S. Ignatius Epist. 7. 7. & passim alii Patres.

Tentatur Christus Matth. 4.

Institutum verò Quadragesimale Jejunium, ut per hoc quasi decimas dierum totius anni DEo dependeremus. ita S. Gregor. Hom. 16. in Evang. Ut sicut Hebræi per 42. Mansiones sive stationes in deserto, ingressi sunt terram promissam, ita & nos per 40. Jejunii dies, ad optatum Paschatis Festum gaudiumque perveniamus. ita S. Ambros. de Quadrag. Serm. 34. Qua de causa Tertulianus, Cyprianus, S. Ambros. & alii, Jejunium vocant Stationem.

Matth. 4. v. 3. *Et accedens tentator dixit ei* (Christo) *si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* P. Cornel. hic, diabolus antonomasticè vocatur tentator, quia inter tentatores est non solus sed præcipuus, errant ergo, qui omnem tentationem à diabolo suscitari autumant. S. Chrysost. Hom. 54. in Acta. Multi absque diabolo peccant, non omnia ipse efficit, sed multa etiam fiunt à sola nostra ignavia.

Advertit S. Gregor. Hom. 16. in Evang. Christum triplici tentatione, gulæ scilicet, variæ gloriæ, & avaritiæ tentatum, quia iisdem pulsatus victúsque fuerat Adam. Ex gula tentavit, ait S Doctor. Cùm cibum ligni vetiti ostendit, ex vana autem gloria tentavit, cùm diceret: eritis sicut dii. Et ex provectu avaritiæ tentavit, cùm diceret, scientes bonum & malum. Avaritia enim non solùm pecuniæ est, sed etiam alti-

altitudinis. Est hic naturæ & tentationum ordo congruus, ut à gula fiat transitus ad vanam gloriam. Ita S. Hieronym. Chrysost. Sic etiam Novitii in fide & Religione primò tentari solent gula & carnis stimulis, quibus superatis, succedit tentatio vanæ gloriæ, ùt patet ex Cassiano Climaco &c. Non est indignum Redemptori nostro, quod tentari voluit, qui venerat occidi. Ait S. Greg. Hom. 16. in Evang.

Matth. 4. v. 5. *Assumpsit eum Diabolus.* Prima sententia Cypriani Serm de Jejun. & tentat. Assumptionem hanc fuisse phantasticam, & imaginariam, quales fuerunt visiones Ezechieli exhibitæ. Euthymius & Maldonatus opinantur Christum à diabolo pedibus ductum in pinnaculum Templi. Sed verisimillimè Christus à diabolo assumptus id est raptus est in aera in Pinnaculum Templi, ita S. Hieronym. Greg. & alii, à P. Cornel. citati. Notat Author imperfecti & ex eo S. Thomas. Quòd licet diabolus sic Christum assumpserit, ut ab omnibus videretur, idque, ut cum dæmone consuetudinem habere & magus esse crederetur, Christũ tamē diabolo nesciente sic egisse invisibiliter, ut à nemine conspiceretur, vel impediendo speciem corporis sui, nè scilicet corpus ejus species visivas ex se emitteret, vel non concurrendo cum oculis videntium ad actum visionis Corporis sui. Constituto Christo in pinnaculo Templi dixit dæmon. v. 6. *Si Filius DEi es, mitte te deorsum.* Moraliter, P. Cornel. ita dæmon deorsum id est ad Tartara trahit, deorsum dum ad peccatum impellit. Unde Christus perversis Judæis dicit. Joan. 8. 23. *Vos deorsum estis, ego de supernis sum.* Rursum Christus studiosè celans diabolum, elusit omnes ejus artes & technas, tenuit enim eum ambiguum & suspensum, ut nesciret, qua Christum aggrederetur & tentaret. Unde disce secreta mentis tuæ non evulgare, nè à diabolo impediantur.

Matth. 4. v. 8. *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* De hoc monte Adrichom. in Descr. Ter. San. Por. 18. n. 90. Mons diaboli distat duobus milliaribus à Quarantana, in eum deductus fuit à Satana Christus. Idem Author eundem Montem. Pa. 19. n. 97. vocat similiter Quarantanam.

172. Quomodo Diabolus ostendit omnia Regna mundi Christo.

Quomodo diabolus ostendit Christo omnia Regna mundi, disceptatur apud P. Cornel. hic, Origenes & Rabanus, regna mystica accipiunt sive regna diaboli, quibus in nonnullis regnat per iram, superbiam &c. Verùm hoc mysticum alii subtiliter imaginantur, quod dæmon

mon per multa specula sibi invicem objecta, species regnorum ex uno speculo in aliud & aliud continuò reflexerit. Melius Author imperfecti, Euthymius & alii cum D. Thoma 3. p. q. 41. ar. 4. ajunt, ideo dæmonem Christum in excelsum montem duxisse, ut ex eo saltem confusè cujusque Regni plagam & situm ostenderet Christo, v. g. dicendo, ibi sita est Africa, ibi Asia, ibi Italia &c. verùm quia ostendit dæmon, non solùm regna sed & gloriam eorum, adde ex Theophil. Jansen. &c. Dæmonem instar Pictoris omnium Regnorum imagines in aere à se variè condensato, per varias fulgoris solis refractiones, uti fit in irride, novo quodam modo repræsentasse & quasi pinxisse fecisseque, ut per eas omnia, quæ in regnis erant, gloriosa & splendida apparerent & objicerentur oculis Christi. Nota hic potentiam æquè ac artem dæmonis qua sæpe Christianis illudit, pingendo in phantasia illorum species magnificas honorum, opum, deliciarum, quæ in rei veritate vel falsæ sunt & nullæ, vel parvæ & viles.

Gloria mundi momentanea.

S. Lucas Luc. 4. v. 5. addit. *Ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.* Hoc perpendens D. Ambros. Non tam conspeptûs celeritas indicatur, quam caduca fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpe honor sæculi abiit, antequam venerit. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, cùm ipsa diuturna non sint sæcula.

Dæmon vult adorari.

Matth. 4. v. 9. Et dixit ei: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Et Lucæ 4. v. 6. Liquet diabolum addidisse, *quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa.* Unde patet eum finxisse se esse filium DEi & Deum, ùt ait S. Hilarius, ac consequenter adorandum. Quare simulavit se esse filium DEi, ac ut talis cupivit adorari à Christo, ut scilicet Christus victus cupiditate regnandi, illum adoraret, sicque peccaret idololatriâ. Symbolicè Glossa, qui, inquit, diabolum adoraturus est, ante corruit, quàm adoret. Rursum diabolus quia ex cœlo cecidit, hinc omnes ad casum & lapsum suum, ut socios habeat, sollicitat. Audi S. Irenæ. l. 5. c. 22. Urgentem ly cadens.. Ipse diabolus confitetur, quoniam adorare eum & voluntatem ejus facere, est cadere à gloria DEi. Tropologicè S. Ambros. in c. 4. Lucæ. Habet ambitio domesticum periculum, ut enim dominetur aliis, prius servit. Circa tentationes Christi notandum. Prima tentatio gulæ fuit concupiscentia carnis. Secunda præcipitationis fuit ostentationis & superbiæ. Tertia fuit avaritiæ &

& pariter superbiæ. ut notat S. Ambros. & Origenes. Christus ergo suo exemplo & responso nos docuit primam tentationem carnis & famis superandam esse spe in DEum, Deique providentiam. Secundam superbiæ & præsumptionis, vincendam esse timore DEi. Tertiam avaritiæ & ambitionis, pellendam esse magnanimitate & contemptu mundi. Moraliter docet hic Christus, hoc respondendum diabolo, in tentatione avaritiæ & quavis alia. v. 10. *Dominum DEum tuum adorabis, & illi servies.*

Matth. 4. v. 11. *Tunc reliquit eum diabolus: & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Hic notat P. Cornel. à Lap. Christum post trinam tentationem & victoriam ex monte, in quem eum transtulerat diabolus, rediisse in suum Quarantanæ, ubi 40. diebus jejunarat, desertum, idque non pedibus, sed subitaneo quasi raptu, per vim suæ divinitatis & dotem agilitatis, aut certè per angelorum ministerium.

Origenes & Abulensis putant, dæmonem de uno vitio tentantem semel ab aliquo perfectè victum, amplius de illo eundem non tentare, probabilius tamen esse existimat P. Cornel. dæmonem à Christo & Christianis, semel perfectè victum, tantùm ad tempus discedere sed data occasione ad tentandum, eadem vel simili tentatione redire, sic enim ipse S. Antonium sæpè de eadem re & S. Paulum eodem stimulo carnis, sæpius diuque tentavit, ùt patet. 2. Cor. 12.

Ecce agnus DEi.

Victor Christus superato lucifero rediit ad Joannem, qui jam Legationem à Judæis ad se missam expediverat, se se non esse Christum protestatus, nunc illum, de quo absente Legatis testimonium dederat, præsentem populo ostendit. Joan. 1. v. 29. Ecce Agnus DEi. Quod perpendens D. Chrysost. eo quod multi jam ipsum inquirebant, ideo præsentem ostendit, dicens: ecce hic est, de quo jam sermo habitus est. Hic notat P. Cornel. Quod nomen JESUS græcè, per anagrama transpositis literis idem sit, quod: *Tu es ovis.* Auditis, quæ dixit de Christo Joannes, duo Joannis discipuli contulerunt se ad Christum, è quibus unus fuit Andreas, dictus ex græco, à Græcis enim, quibus post Alexandrum Magnum subditi fuere Judæi, nomina accepere, uti Jason, Menelaus &c. P. Cornel. à Lap. in cap. 4. Matth. ubi notat, quod ex græco Andreas idem est, quod virilis, robustus, fortis. Andreas verò illico fratrem suum Simonem Petrum adduxit ad JEsum, nondum tamen factus fuit stabilis ejus discipulus, sed ad retia rediit. Quare alia vice Matth.

Vocatio S. Andreæ & aliorum.

Matth. 4. v. 18. JEsus *vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare. Et ait illis venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* P. Cornel. hic Christiani enim sunt quasi pisces, in aqua baptismi. Sunt illic merces plagæ, sunt vota rudentes, mors pretium, virtus prora, carina salus.

Vincla fides, malus pietas, suspiria venti.
Spes velum, remus gratia, rector amor.

Duo ex discipuli S. Joannis, quorum unus erat Andreas, secuti sunt JEsum, de quibus Joan. 1. v. 37. *Audierunt eum duo discipuli loquentem & secuti sunt JEsum.* Objicit Chrysostomus. Atqui & alii erant Joannis discipuli, sed illi non solùm non secuti sunt, sed æmulabantur. P. Cornel. hic honorem Joannis sui magistri, eúmque præferebant Christo. ùt patet c. 3. v. 26. & Euthymius. Inter multos auditores, hi soli audivisse dicuntur auribus videlicet animæ, cum alii utique audivissent auribus corporis.

Æmulatio Christi sequelam impedit.

Dum adduxit Andreas Simonem ad JEsum, dixit JEsus ad Simonem Joan. 1. v. 42. Tu vocaberis Cephas. P. Cornel id est, Petrus. q. d. Ego tibi O Simon aliud indam nomen, vocabo te
173. Cephas, id est Petra vel Petrus.

Nathanaelis vocatio, Joan. 1.

Joan. 1. v. 45. *Invenit Philippus Nathanael & dicit ei: quem scripsit Moyses in lege & Prophetæ, invenimus JEsum filium Joseph à Nazareth.* Quisnam fuerit hic Nathanael disceptatur apud P. Cornel. à Lap. hic. Alii existimarunt fuisse Ursicinum, alii Simonem Chananæum Apostolum, Rupertus, Jansenius, Abulens. & alii verisimiliùs existimant, illum, fuisse Bartholomæum. Negat idS. Augustin. Ribeira & alii, motiratione, quòd Nathanael legis peritus fuerit, Doctor legis, Christus autem rudes & idiotas elegit. Sed responderi potest, ait P. Cornel. Nathanaelem fuisse legis studiosum, non Doctorem.

Bartholomæus Nathanael.

Joan. 1. v. 46. *Et dixit ei Nathanael: à Nazareth potest aliquid boni esse?* P. Cornel. q. d. Nazareth est locus ignobilis, apud Judæos contemptus, unde Pharisæi infra c. 7. v. 57. dicunt: *à Galilæa Propheta non surgit.* Quomodo ergo O Philippe ex Nazareth, natum censes Christum, præsertim quia Christus ex Juda & Davide nasciturus in Bethlehem prædicitur à Michæa. c. 5. v. 2. ita S. Chrysost. qui & addit. Ostendit, vehemens adventus Christi desiderium, cùm Philippi verba non contemnit, norat enim, Philippum in Patria commemoranda falli potuisse. Et ex parte falsus est, ait P. Cornel. Christus enim, licèt conceptus esset in Nazareth, tamen natus erat in Bethlehem, quod hoc tempore ignorabat Philippus. v. 47. *Vidit*

JEsus Nathanael, & dixit de eo, ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael, unde me nosti? respondit JEsus & dixit ei: priusquam te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te. Mysticè S. Gregor. l. 18. Moral. c. 20. Cùm esses sub ficu id est sub umbra legis, vidi te, ut te transferrem ad vitem mei Evangelii. v. 49. *Respondet ei Nathanael, & ait: Rabbi, Tu es Filius DEi, tu es Rex Israel.* Filius DEi naturalis & consubstantialis idemque DEus, hoc enim nudè verba sonant. ita S. Cyril. Augustin. &c. v. 50. *Respondit JEsus & dixit ei: quia tibi dixi, vidi te sub ficu, credis, majus his videbis, & dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum & angelos DEi ascendentes & descendentes, super filium hominis.* Notat P. Cornel. Christum, hac phrasi & visione angelorum ad se ascendentium significare se non solùm Israelitarum & hominum, sed & cælorum ac angelorum esse Principem. Quando acciderit hæc visio, varii sunt sensus. Euthymius id opinatur factum in ascensione Domini. P. Cornel. ait planius simplicius & pressius dicemus peculiarem & publicam hanc fuisse visionem angelorum vivente Christo, propriè ut verba sonant, factam, ubi & quando contigerit, non narrant Evangelistæ, uti & alia multa Christi acta silentio prætereunt.



Caput

Caput sextum.

Aqua versa in vinum in Canæ nuptiis. Literæ Abagari Regis ad Christum, & vice versa. Hemoroissa sanata. Socrus Petri sanata. Christus diversimode agit cum illis, qui se sequi volebant. Tempestas maris sedata. Dæmonum legio missa in porcos. Paralyticus sanatus. Matthæus vocatus.

174. In canæ nuptiis aqua versa in vinum, Joan. 2.

ANn. *Christi* 31. Hoc anno primum miraculum factum in Canæ nuptiis, de quibus Joan. 2. P. Salianus & P. Cornel. à Lap. hic. in hoc discrepant, ac quisque magnis authoribus suam tuetur sententiam, quod P. Cornelius probet contigisse has nuptias 6ta Martii eoque anno post baptismum Christi, quem dicit prius fuisse 6. Januarii Anno Christi 31. P. Salianus probat baptismum Christi fuisse Ann. Christi. 30. 6. Jan. Canæ verò nuptias Ann. Christ. 31. 6. Januarii. Respondetque P. Cornel. ad hoc si dicatur, cur renovaret DEus miraculum conversionis aquæ in vinum, singulis annis, quo etiam juxta S. Epiphan. in fontibus & fluviis mutabantur aquæ in vinum, de quo supra. Ubi de Epiphania. Respondet, inquam. Causa est, quod Ecclesia illa die istud miraculum celebret, conversionis scilicet aquæ in vinum in Canæ nuptiis, esto, illo die non contigerit. Porro duo miracula scilicet adventus Magorum duce stella & baptismi Christi, dicit contigisse 6ta Januarii. Tertium verò conversionis aquæ in vinum, post duos menses, die 6ta Martii. Simili modo, ait P. Cornel. olim in plerisque locis orientis Paschali tempore, quo solenne Baptisma in Ecclesia peragi consuevit, è sicco arridoque fonte lapideo, copiosæ ad baptismi usum aquæ exundare consueverunt, non quidem ad ipsam insinuandam diem, qua baptizatus est Christus, sed quod tunc Aquæ miraculosæ ad baptisma.

tem-

temporis, solenne baptisma in Ecclesia peragi consuevit.

In Canæ nuptiis non S. Joannem Evangelistam, sponsum fuisse tradunt S. Ignatius. Hieronym. Augustinus. eumque virginitatis propositum nunquam mutasse asserunt, ob quam tantopere fuit Christo dilectus, verisimilius Baronius secutus Nicephorum censet, sponsum in hisce nuptiis fuisse Siomnem Apostolum, qui à Cana hac cognominatus est Cananæus.

Quod Christus invitatus ad Canæ nuptias venerit, assignantur causæ à P. Cornel. 1. ut consanguineis hunc deferret honorem. 2. ut daret exemplum humilitatis. Unde S. Chrysost. Qui non est dedignatus formam servi accipere, non est dedignatus ad nuptias servorum venire. 3. ut sponsorum paupertati consuleret, mutando aquam in vinum. 4. ut per hoc miraculum se Messiam discipulis ostenderet. 5. ut nuptias approbaret & sua præsentia sanctificaret.

Beatissima Mater pietatis misericordiæ Joan. 2.

In illis nuptiis Joan. 1. v. 3. Deficiente vino dicit mater JEsu ad eum: *vinum non habent* P. Cornel. hic q. d. Consule O Fili sponsorum cognatorum nostrorum verecundiæ, ne coram invitatis confundantur &c. Audi S. Bernard. S. 1. in Dom 1. post octavam Epiph Compassa est enim eorum verecundiæ, sicut misericors sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet nisi pietas? quid inquam mirum, si pietatem ea habent viscera pietatis. Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi servabit odorem? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus 9. mensibus requievit. Nam & ante mentem replevit quàm ventrem, & cùm processit ex utero ab anima non recessit.

v. 4. Et dicit ei JEsus, *Quid mihi & tibi est mulier? &c.* P. Cornel. à Lap. hic, non vera fuit Christi reprehensio, cùm non fuerit matris culpa, reprehendere tamen illam videtur, ut non ipsam sed nos doceret, in operibus Theandricis, sive in operibus divinis, ut parentes nihil habent juris, ita nec eorum affectibus & desideriis, sed tantum DEo & charitati illa esse danda. Non dixit mater, sed mulier, tanquam DEus, inquit Euthymius. Significat ait Beda, se divinitatem, qua miraculum erat patrandum, non temporaliter accepisse de matre, sed per æternitatem semper habuisse de Patre. q. d. ait Glossa interlinearis. Quid ex commune Deitati meæ & tibi matri secundum carnem?

v. 4. *Non dum venit hora mea.* P. Cornel. hic. Quâ scilicet opportunè hoc miraculum edam, volo expectare, donec vinum omninò deficiat, ut clarius miraculum appareat. Ita S. Chrysost. v. 5. *Dicit mater ejus ministris, quod*

cunque dixerit vobis, facite, S. Gaudentius non mandaret, ait mater, quodcunque dixerit vobis facite, nisi spiritus S. post partum plena, faciendi à Christo vini ex aqua universum ordinem prævidisset. S. Chrysost. Et licet ita responderit, maternis tamen precibus obtemperavit, ut matri honorem exhiberet, & non contumax videretur matri, nevè Genitricem tam multis præsentibus pudore afficeret.

Preces maternæ Beatissimæ efficaces.

v. 6. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex, secundum purificationem Judæorum.* P. Cornel. quia Pharisæi juxta traditiones suas inter epulas, sæpè religionis causa, manus lavabant, ut si quid immundi in mensa tetigissent, aquâ ex hydriis sumpta expiarent. Per sex hydrias purificationis mysticè S. Bernardus. Sex virtutes intelligit, quarum est 1. Compunctio. 2. Confessio. 3. Eleemosinarum largitio. 4. Remissio injuriarum. 5. Afflictio corporis. 6. Obedientia præceptorum.

Circa Architriclinum S. Gaudentius & ex eo Baronius, tradunt. Nuptiæ cùm fierent apud Judæos, unus è sacerdotibus dabatur, qui morem disciplinæ legitimæ gubernaret, curamque pudoris ageret conjugatis, simul & convivii apparatum ordinem atque ministros dispensaret Unde Architriclinus, id est Triclinum, sive mensarum & convivii Præfectus dicebatur. Ad illa verba v. 9. Et cum inebriati fuerint. Notat P. Cornel. id est exhilarati. Ebrietas enim sæpe in scriptura vocatur, liberalior potus, mentem exhilarans, sed rationis usum non adimens, si enim convivæ ebrii fuissent, utique illis aquam in vinum non mutasset, fovisset enim & audisset illorum ebrietatem. Ad illa verò verba: *tunc id quod deterius* advertit idem. Hic est typus fallaciæ mundi, qui initio res speciosas oculis obiicit, deinde sub illis deteriores & viles induit.

Fallacia mundi.

Primum fuit hoc miraculum, sive absolutè, sive primum publicè factum. Ait enim Maldonatus, nihil vetare, si privata, subinde fecisse prius, miracula concedamus. Cur verò hoc voluerit esse primum, dat causam P. Cornel. quia maximè congruum erat loco, tempori & personis, per hoc enim statim innotuit cognatis civibus & Galilæis.

Literæ Abagari ad Christum & vice versa.

Eodem Anno datæ censentur literæ, uti tradit Baronius, ab Abagaro Edesse Rege in Syria, ad Christum & Christi ad Abagarum, quas descripsit Eusebius ex actis illius civitatis. Porro auditis Christi miraculis Abagarus, invitabat ad se Christum per literas, ut ægritudinem suam curaret, addiditque parvam se habere civitatem mundam tamen & præclaram, utriusque necessitatibus, Christi videli-

cet & ipsiusmet Abagari suffecturam.

Rescripsit Christus, impeditum se rebus, propter quas missus esset, quo minus ad illum veniret, appromisit tamen, se missurum aliquem ex suis, qui ægritudini illius mederetur.

Extant exemplaria literarum apud Baronium apud Uberum fonte 30. ex 1. qui addit, quod licèt Gelasius Papa, recenseat illas inter Apocrypha, quasi non hagiographas, non tamen ut eas ab Ecclesia omnino proscribat.

Complures testantur ab Abagaro, submissum fuisse pictorem, qui faciem Christi depingeret, dum id tamen exactè exequi nequiret, ipsemet Christus, tela ad faciem suam applicata, vivam sui expressit imaginem, de qua in septima Synodo, & ut testatur Adrianus Papa, ad Carolum magnum, scribens, recepta historia. Apud Græcos quoque 17. Calend sept. intuitu hujus imaginis, celebratur festivitas.

Hoc anno Christi, vult Baronius, mulierem Hæmoroissam hanc ex Cæsarea, profluvio sanguinis laborantem à Christo sanatam, de qua Marci 5. v. 25. *Et mulier, quæ erat in profluvio sanguinis Annis 12.*

Hæmorossa à profluvio sanguinis sanata. Marc. 5.

Hæc mulier curata à Christo, in memoriam tanti beneficii statuam illius indicem, Cæsareæ erexit, è cujus basi nascens herba, cùm Christi fimbriam tetigisset, morbis quibuslibet medebatur, teste Eusebio l. 7. hist. c. 14. Julianus Apostata statuam hanc dejecit & sui effigiem ejus loco collocavit, sed hæc flumine icta dissiliit. Teste S. Romeno in hist. trip. lib. 5. c. 21.

Non est verisimile, ait P. Cornel à Lap. hìc, Hæmoroissam hanc fuisse Martham, Martha enim Bethaniæ habitabat, non Cæsareæ in Phænicia.

Dicebat hæc Hæmoroissa. Mar. 5. v. 28. *Quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero.* P. Cornel. hìc. Est hic exemplum & argumentum ad probandum vim SS. Reliquiarum, talis enim fuit fimbria Christi, quæ Hæmoroissam sanavit. Frustraque Calvinus vocat hanc mulierem superstitiosam, cùm Christus non superstitioni sed fidei. ipsius sanitatem tribuit. v. 34. *Filia fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Rectè S. Hilarius. Sicut Author naturæ dat Magneti vim attrahendi ferrum, ita Christus dabat vesti suæ vim sanandi, ex fide tangentem.

Reliquiarum sanctarum efficacia.

Tropologicè fluxus sanguinis sunt carnis & sanguinis delectationes, ait Beda, ut gulæ, luxuriæ &c. P. Cornel. has sanat caro Christi purissima, in pia Eucharistiæ sumptione.

Ann. Christi 32. Ait P. Salian. 153
Circuibat Christus Galilæam, docens in Synagogis & sanans omnem infirmitatem in populo. Socrum Petri sanavit, de qua Matth. 8. v. 15. *Et tetigit manum ejus & dimisit eam febris & surrexit & ministrabat eis.* Id perpendens S. Petrus Chrysolog. ser. 18. Videtis, quomodo dimittit febris, quem tenuerit Christus, ibi non stat infirmitas, ubi author salutis assistit, accessus illuc mortis nullus est, ubi vivificatoris ingressus est, tenuit manum ejus. Quæ necessitas tangendi erat, ubi inerat jus jubendi! sed Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem. Tenuit manum ejus, ut quod manus præsumentis amiserat, manus repararet Authoris, tenuit manum ejus, ut acciperet indulgentiam manus, quæ carpserat de morte sententiam.

Sorcus Petri sanata. Matth. 8.

Christus diversimode vocat.

Cùm undique à multis turbis circumfunderetur Christus, jussit ire transfretum, cum scriba quidam se ipsi obtulit, ut eum quasi discipulus sequeretur. Cui Dominus suam paupertatem declaravit, ut ille vitæ religiosæ sub Christo ducendæ difficultatem æstimaret. Matth. 8. v. 20. *Dixit ei JEsus: vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* P. Cornel. à Lap. hìc. Putas me commodè lautéque vivere, falleris, nam ego ne quidem tantum habeo proprii, quantum aves & vulpes. S. August de quæst. Evan. quæst. 5. Intelligitur hic, miraculis motus, Christum ob jactantiam sequi voluisse, quam significant aves, & discipuli obsequium finxisse, quæ fictio vulpis nomine significata est. Et Interlinearis ait. Elatio nidum fecit cor tuum. Hac Christi sententia S. Hieronym. Ep. 1. ad Heliodorum, eum ad suam in Syria eremum invitans extimulat. Filius hominis non habet, ubi caput reclinet, & tu amplas Porticus & ingentia Tectorum spatia metiris, hæreditatem expectas sæculi, Christi cohæres esse non poteris.

Christus volenti se sequi scribæ difficultatem proponit, alium difficultatem obtendens retinet. Matth. 8.

JEsus non propter esum sequendus.

V. 21. *Alius autem de discipulis ejus ait, Domine permitte me primum ire & sepelire Patrem meum.* P. Cornel. hìc. Discipulus hic non fuit unus ex 12. Apostolis.

Vocato ad religiosam vitam non tardandum.

V. 22. *JEsus autem ait illi: sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos.* S. Ambros. l. 7. in Luc. c. 9. v. 59. Paterni funeris sepultura prohibetur, ut intelligas, humana posthabenda Divinis. Bonum studium sed majus impedimentum. Inter alias causas, ob quas Christus vetuit sepelire Patrem, adfert & hanc, ne dum funeri Patris indulget, implicetur negotiis dividendi hæreditatem, solvendorum debitorum &c. sicque retardetur à sequela Christi.

S. Chrysost. Quod si nunc ad tam breve tempus, propter sepeliendos parentes, abesse à spiritua-

Spirituales negotiis sæcularibus se immiscentes reprehenduntur.

ritualibus vetitum est, perpende, quo supplicio digni sunt, qui semper ab iis, quæ dignæ sunt Christo rebus recedunt, quia vilia nimirum & abjecta sæcularium rerum negotia, necessariis anteponunt, nullo urgente.

Simile habetur de altero Christum sequi volente, Joan. 9. v. 61. *Sequar te Domine, sed permitte mihi, primum renuntiare his, quæ domi sunt.* Titus q. d permittere mihi renuntiare meis parentibus, ut ab eis consilium capiam, an te sequi debeam, nec ne, nam erat animo ancipiti, sed noluit id Christus permittere, quia fere parentes perfectioris vitæ studium non probant.

Vocationem renuntians mittens manum ad aratrum & respiciens retro. Joan. 9.

P. Cornel. à Lap. hìc, secutus S. Augustin. num. 7. q. d. Permitte, id est, da mihi tempus, ut renuntiem bonis, quæ domi sunt, de illisque disponam. v. 62. *Ait ad eum JEsus, nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno DEi.* Tanquam agro DEi colendo, sic enim debet expleri metaphora arantis & aratri. P. Cornel. à Lap. q. d. Sicut is, qui vult arare, si retro respiciat, ineptus est ad arandum, debet enim recte ante se, ut arando rectos sulcos ducat, non curvos, respicere, ita qui ad bona caduca, quæ dimisit, respiciat, ineptus est & indignus sequela mei & regno DEi. &c.

Tempestas maris dormiente Christo exorta à resuscitato Sedata Matth. 8.

Itum est translacum, cum Domino dormiente excitata tempestas, excitato sedata fuit. De quo Matth. 8. v. 24. *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat.* Cur Christus concitavit hanc tempestatem, variæ assignantur causæ, apud P. Cornel. hìc, ut ostenderet potentiam suam, ut exerceret discipulos ad perferendas persecutiones. &c. Tropologicè turbatio hæc maris ait Chrysost. Typus fuit futurarum in Ecclesia tentationum. Vita sine tentatione, est quasi mare mortuum. Ait Seneca Epist. 67. Tempestas fluctuum & ventorum est tentatio superbiæ, gulæ, luxuriæ, pulchrè docet S. August. hom. 3. Inte. 17. Ad hæc D. Chrysolog. ser. 20. Gubernatoris peritiam, non probat temperies serena, sed procellosa tempestas, aura blandiente, navim regit ultimus nauta, in confusionem ventorum, primi quæritur ars magistri. Suadetque P. Cornel. ut, qui pulsatur tentatione faciat id, quod faciunt Nautæ in tempestate, contrahat vela voluptatum, onera peccatorum per confessionem ejiciat, sit sibi præsens. Porro Cervical, in quo, teste Marco, dormiebat Christus, mysticè est 1 Bona conscientia. 2. Resignatio in DEi voluntatem. Tropologicè glossa, dormit Christus, inquit cum negligentius agimus, & ideo

ideo tempestas, si verò fides resurgit, imperat ventis & fluctibus. Audi S. Bernard. ser. 9. in Ps. Qui habitat: Si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. Quis enim speravit in eo & confusus est! Tropologicè, quomodo Christus imperet tentationibus animæ, docet S. August. Hom. 3. int. 17. Audisti convitium, ventus est. Iratus es, fluctus est, audito convitio vindicari desideras, & ecce vindicatus es, & malo alieno cedens fecisti naufragium. Et quare hoc, quia dormit in te Christus, quid est dormit in te Christus, oblitus es Christum, excita ergo Christum, recordare Christum. Allegoricè & Anagogicè Beda. Navicula arbor est crucis &c.

Matth. 8. v. 27. Porro homines mirati sunt dicentes: *Qualis est iste, quia venti & mare obediunt ei.* Tropologicè S. August. Hom. 3. inter 17. Imitare ventos & mare, obtempera Creatori,
176. sub jussione Christi mare audit & tu surdus es.

Dæmones in porcos ire permissi. Matth. 8. Luc. 6.

Cùm venisset Christus, in regionem Gerasenorum liberavit obsessum à dæmone, qui vocabatur legio Lucæ 8. v. 30. Legio sex millia continet, ac tot præcisè fuisse in hoc homine dæmones censet. S. Ambrosius. Ex hoc & similibus locis liquet ait P. Cornel. in Luc. l. 8. v. 29. Multos dæmones non esse in interno, sed versari in hoc aere, terra, aqua &c. (ubi illi se olim Taunos Satyros vocabant) idque usque ad diem judicii permittente Deo, ut homines tentent. Ita S. Athanas. S. Augustin. Cttamen certum quoque est ut docet idem P. Cornel. in Matth. c. 8. v. 29. Ex scriptura & Patribus. Dæmones ab initio mundi mox ut peccarunt fuisse damnatos, igneque gehennæ cruciatos, quo igne inferni cruciantur, etiamsi egrediantur ex inferno, hic enim ignis est instrumentum supernaturale, adeóque DEo volente in distantia agere potest. Expulsi de homine, ut porcos ingrederentur, petierunt à Christo & impetrarunt dæmones, Luc. 8. v. 37. *Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos, & impetu abiit grex præceps in stagnum* (Genesareth quod & mare Tyberidis) *& suffocatus est.* Unde fuerint hi porci apud Judæos, qui non solent vesci porcis. Resp. P. Cornel. in Luc. c. 8. Gadara, ubi hæc acta sunt, fuit quidem Judæorum civitas, sed tamen à Cæsare data fuerat ad habitandum Syris & gentilibus, qui porcos alere poterant Ita Josephus. Adde Judæos non quidem comedere sed alere porcos potuisse, ut illos gentilibus venderent. &c.

Petierunt dæmones mitti in porcos, tum, ut si non

hominibus, animalibus tamen eorum nocerent, tum ut Christo odium incolarum crearent, quod evenit ita Euthym. Permisit verò id Christus, tum ut suam potestatem in dæmones ostenderet, tum ut Sadducæorum, qui negabant dæmones esse. Actor. 23. 8. Errorem convinceret. Luc. 8 v. 37. *Et rogaverunt eum omnis multitudo*, (Matth tota civitas) *Regionis Gera senorum, ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur.* P. Cornel. hic. nè Christus eis majores clades inferret. S. Hieronymus existimat, id eos petiisse ex humilitate. Gratus fuit vir ille liberatus à dæmone, nam Luc. 8. v. 39. *Dum illi dixit Christus: redi in domum tuam & narra, quanta tibi fecit DEus & abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset JEsus.*

Paralyticus sanatus. Matth. 9.

Matth. 9. v. 1. *JEsus venit in civitatem suam.* Sedulius intelligit Bethlehem. S. Hieronymus Nazareth. S. Chrysost. Theophilact. & alii, quos citat & sequitur P. Cornel. à Lap. hic, Capharnaum, in qua frequentius versatus est Christus. *Et ecce offerebant Paralyticum jacentem in lecto, & videns JEsus, fidem illorum, dixit Paralytico confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Magna fuit fides illorum offerentium Paralyticum, hi enim, cùm non possent præ turba inferre illum in domum ad Christum, portarunt eum in tectum (tecta enim, ait P. Cornel., domorum in Palestina non sunt accuminata, sed plana & longe planiora quam in Italia) mox tectum aperuerunt imò sublatis tegulis fregerunt & per fascias & funes ante Christum demiserunt. Per ly illorum S. Ambros. Hieronym. intelligit fidem offerentium, S. Chry- Theophila. Etiam ipsius Paralytici. Porro fides hæc est miraculorum, ait P. Cornel. quæ includit certam fiduciam futuri miraculi & sanitatis à Christo consequendæ.

Peccata causa morborum.

Prius Paralytico Christus dimisit pecata sanavitque animam quàm corpus, nam ob peccata morbo hoc DEus illum afflixit. Ita S. Hieronym. Theophila. Hinc jure canonico sancitum est, ut medici prius animæ quàm corporis ægroti salutem procurent, ut patet cap. Cum infirmo de pæniten & remiss. idque Romæ strictè servatur, ubi medici post tertium ægritudinis præsertim periculosæ diem, infirmo adesse nequeunt, nisi infirmus illicò sacramentali confessione animam à peccatis expiet (P. Cornel. in Matth. c. 9.) Nam ùt ait S. Basil. Reg. 55. Sæpè morbi sunt velut quædam peccatorum flagella, quibus nil aliud agitur, nisi, ut vitam nostram in melius commutemus.

Medici curam prius habeant animæ.

Sanationem Paralytici. v. 8. *Videntes turbæ, timuerunt & glorificaverunt DEum*, pro timuerunt in Græco admiratæ sunt, admiratio-

rationis enim effectus est timor sive reverentia. P. Cornel. Pluribus nationibus accediam similem paralysi probat, sicut paralysis oritur ex frigore & crassis humoribus, in venis motum spirituum vitalium impedientibus, ita Accedia ex spirituali frigore & defectu charitatis &c. Huic morbo spirituali præscribit Cassianus l. 10. remedium experimento probatum: acediæ impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam.

Acediæ remedium.

Vocatio S. Matthæi.


Brevi post sanatum in anima & corpore Paralyticum Christus Matth. 9. v. 9. *Vidit hominem sedentem in Telonio Matthæum nomine, & ait illi, sequere me, & surgens secutus est eum.* P. Cornel. Telonium vocabatur domus, in qua nautæ & mercatores solvebant vectigal. Unde in ea sedebant Telonarii publicani, id est vectigalium redemptores & exactores, qualis erat Matthæus, qui publica senatûs populique Romani tributa & vectigalia à subditis pendenda, certo constituto pretio redemerant, illáque à præternavigantibus exigebant. Porrò publicanorum officium licet ex se justum sit, quia tamen illud sæpé obibant homines avaritiæ addicti, plus æquo extorquentes, apud Judæos Publicani erant infames & quasi publici peccatores habebantur. Mysticè to Sedentem in Telonio urget pulchrè S. Petrus Chrysolog. serm. 29. Sedebat utique, quia stare non poterat, pondere cupiditatis oppressus ex ipsa fraudis conscientia totus incurvus. Aurum natura grave, gravius fit avaritia, vehementius aggravat corda quàm corpora. Modum conversionis suæ ipsemet revelavit S. Matthæus D. Brigittæ oranti ad sepulchum ejus l. 1. Rev. c. 129. Voluntas mea talis erat eo tempore (telonii) quod neminem defraudare volui, sed desiderabam invenire viam, qua separarem me ab officio isto, & toto corde adhærerem DEo soli: Prædicante igitur amatore meo JEsu Christo, tunc inflamabatur sicut ignis, verbum vocationis suæ in corde meo, sic dulciter sapuerunt verba sua mihi, quod de divitiis & honoribus non plus cogitabam quàm de paleis, imo mihi magis flere placuit & gaudere, quod DEus meus tantillum & tantum peccatorem vocare voluit ad gratiam. Adhærens quoque Domino meo verba ejus ardentius cæpi infigere cordi meo, quæ nocte & die, quasi cibum suavissimum gustando, cogitabam.

Humilitatis studium.

Advertit insignem humilitatem & gratitudinem erga DEum P. Cornel D. Matthæi, nominat se Matthæus v. 9. *Matthæum nomine*, tum humilitatis studio, ut se publicanum & peccatorem, toti orbi confiteatur, tum grati-

Fuga jactantiæ. titudinis ergo, ut gratiam Christi prædicet. Tacuit autem nomen suum, dum de discumbente Christo, ac convivio excepto cum multis, ageret. v. 10. *Discumbente eo in domo* (non specificat cujus) *multi publicani & peccatores venientes, discumbebant cum JEsu.* Id liquet ex Luca c. 5. v. 29. ubi ait. *Et fecit ei convivium magnum Levi* (Ita vocabatur Matthæus, erat enim binomius, ùt & alii multi Judæorum) *in domo sua.*

Dum dixit Christus v. 13. non enim veni vocare justos sed peccatores. Græca addunt ad pænitentiam, sicque habet Lucas & Arabicus hìc. Alioquin etiam justos vocavit Christus uti Nathanaelem &c. Id aliter intelligunt S. Hilarius, S. Hieronymus, Beda &c. Scilicet q. d. non veni vocare justos, eos scilicet, qui superbè sed falsò, se justos existimant & jactant, quales vos estis O Scribæ & Pharisæi.



CAPUT

Caput septimum.

Christus resuscitat Jairi Filiam. Ad Piscinam Probaticam sanat ægrum, item manum aridam, vocat Apostolos 12. Centurionis puerum sanat. Resuscitat unicum Matris. Convertit mulierem peccatricem, scilicet, Magdalenam, Christus à Muliere de turba laudatur, à suis Nazaretanis persecutionem patitur.

177. *Christus resuscitat Jairi Filiam Matth. 9.* SAnatis ægrotis contulit se Christus ad resuscitandam Jairi Principis (Synagogæ) Filiam, de quo dicit S. Marcus. c. 5. v. 22. *Et venit quidam de Archisynagogis nomine Jairus.* Unde patet (P. Cornel.) quod plures etiam uni Synagogæ præessent. Adorabat is Archisynagogus Christum, ut habet S. Matth. c. 9. v. 18. Procidit ad pedes ejus. Dixit Matth. c. 9. v. 18. *Domine ecce Filia mea, modo defuncta est, sed veni impone manum tuam super eam & vivet.* Necdum erat defuncta tunc, cùm hoc ille dicebat, ut patet ex Luca & Marco, dixit tamen mortuam, juxta S. Chrysost. & Theophyl. id est morti proximam, solent enim miseri ærumnas suas augere, & exaggerare, ut faciliùs opem implorent. Addit S. Augustin. Quod conjicere poterat Pater filiam, quam agonizantem reliquerat, tempore itineris sui defunctam.

Matth. 9. v. 23. *Cùm venisset JEsus in Domum Principis, & vidisset Tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat : recedite : non est enim mortua puella sed dormit.* Tibicines, qui ut ait S. Ambros. in c. 8. Luc. v. 52. In funere conducti, triste modulantes carmen, & nænias, amicis & vicinis luctum & lachrymas ciebant. Mortua verè fuit puella, de qua tamen Christus dixit, dormit. Quia ut ait S. Hieronym. & Theoph. Deo & sibi, cui omnia vivunt, non erat mortua. Porro anima hujus puellæ defunctæ, uti & animæ aliorum, quos Christus & Sancti re-

resuscitarunt, non fuit judicata (P Cornel.) sed à Deo suspensum fuit ejus judicium. Matth. 9. v. 25. *Et cum ejecta esset turba, intravit* (cum Puellæ Parentibus ac Petro, Jacobo & Joanne, ait Marcus) *& tenuit manum ejus, & surrexit puella.* Tropologicè S. Greg. 18. Moral. c. 28. Ejicienda est, ait, de corde, sæcularium curarum multitudo, ut anima mortua resurgat.

Ad piscinam probaticam Sanatus. Joan. 5.

Sequitur miraculum Sanati à Christo ægri ad Piscinam Probaticam, 38. Annis decumbentis. De quo Joan. 5. v. 1. Erat tunc Dies Festus Judæorum. Quem S. Chrysost. Cyrill. Theophyl. &c. putant fuisse Pentecosten. S. Irenæus, Rupert. censent fuisse tunc Pascha. Vocabatur Piscina Probatica, quia in illa oves quotidie, mane & vespere, Deo sacrandæ, congregabantur & abluebantur. Ita S. Hieronym. Theophyl. Beda, Genebrardus in notis Chronolog. & ex eis P. Serrarius, censent Probaticam Piscinam esse locum illum, in quo Jeremias abscondit sacrum ignem Templi. de quo 2. Mach. 1. v. 20. & 2. Mach. 2. v. 7.

V. 4. *Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in Piscinam: & movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.* Probabile est, quod iste Angelus fuerit Raphael, qui dicitur medicina vel medicus Dei. Porrò motio hæc Angeli (P. Cornel. hìc) non imprimebat vim aliquam vel qualitatem physisicam ad sanandos morbos, sed purè ideò movebatur, ut significaretur hanc vim sanandi non provenire ab aquæ natura, sed à motione Angeli & à Jussu Dei. Tropologica causa fuit, ut significaretur Peccatorem, cùm à Deo convertitur & sanatur, prius solere in conscientia variis motibus, pudoris, spei &c. agitari. Hisce enim Deus eum, ad pœnitentiam & contritionem commovet, ut per eam sanetur. Uti docet Concil. Trid.

Peccator variis motibus agitatur.

Joan. 5. v. 5. *Erat autem quidam homo ibi* (ad piscinam) *triginta & octo annos habens in infirmitate.* Infirmum hunc fuisse Paralyticum, ait S. Chrysost. S. Ambros. &c. Magnus, ait S. Augustin. de Cælo descendit Medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus. v. 6. *Hunc cum vidisset JESUS jacentem & cognovisset.* (tum ex ipso ægroto, tum ex aliis, tum ex sua scientia Divina Animæ suæ à Deo infusa. P. Cornel.) Quia jam multum tempus (infirmitatis) haberet, dicit ei *vis sanus fieri?* Magnum, ait Cyrillus, misericordiæ Christi est argumentum, non expectare

Misericordia Dei prævenit preces.

re

re semper laborantium preces, sed sua misericordia prævenire.

v. 7. *Respondit illi languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam, dum venio enim ego, alius ante me descendit: dicit ei JEsus surge, tolle grabatum tuum & ambula &c.* Non operis imperium fuit, ait Augustinus, sed operatio sanitatis. Symbolicè idem S. Aug. Tra. 12. Surge inquit, id est, dilige Deum, qui sursum est; tolle grabatum. Hoc est, dilige proximum, infirmitates ejus portando. Cùm esses languidus, ait S. Augustin. portabat te proximus tuus, sanus factus es, porta proximum tuum. Porta ergo eum, cum quo Ambulas, ut ad eum pervenias, cum quo manere desideras. Dum jussit Christus tollere grabatum die Sabbati, vel dispensavit in illa lege. Jerem. 17. 21. *Nolite portare pondera in die Sabbati*, vel quia hoc opus, utpotè, pium, Divinum, non erat servile, adeóque prohibitum.

Proximi dilectio fert ejus onera.

Recidiva in peccata cavenda. Peccata morbum causant.

v. 14. *Postea invenit eum JEsus in Templo & dixit illi. Ecce sanus factus es, & jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Hinc patet Deum sæpè ægris morbum immittere ob eorum peccata, atque huic de facto, ob illa immisisse. Ita Chrysost. Cyrill. Theoph. ideo autem Chrysost. DEus ob animi peccatum Corpus flagellat, ut deterioris partis supplicio, melior ad quærendum remedium convertatur. Additur, ne deterius tibi aliquid contingat. Qui enim priori supplicio non est emendatus, ait Theophy. ad majora tormenta servatur tanquam insensatus & contemptor, sive in præsenti vita, sive in futura, sive in utráque, inquit Euthym. Pejor est morbo, recidiva morbi.

Manum aridam Christus Sanat. Matth. 2.

Altera die Sabbati, manum aridam hominis, Cæmentarium fuisse tradit S. Hieronym. sanavit Christus, ideóque invidia frementibus Pharisæis, ac violationem Sabbati prætendentibus, dixit Matth. 12. v. 11. *Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, etsi ceciderit hæc Sabbato in foveam, nonnè tenebit & levabit eam.* Unde colligere poterant, multo magis hominem in necessitate ægritudinis, vel alia, constitutum, esse juvandum. Superstitiosè observabant Sabbata, quibus similis fuit ille Judæus in Anglia. An. Chr. 1208. Qui in cloacam lapsus Sabbato ob diei religionem extrahi noluit, id videns Comes loci Christianus, nec sequenti die Cominico, eum extrahi permisit. Quare ille ibidem extinctus & suffocatus est. Dicebat enim: Sabbata sancta colo, de stercore

core

core ſurgere nolo. Cui viciſſim comes. Sabbata noſtra quidem (puta Dominicam) Salomon celebrabis ibidem. P. Cornel. hic ex Volaterano. Tropologice in Synagoga & congregatione Doctorum, manum dexteram habet aridam, qui eam ad Deum per Orationem, ad proximum per miſericordiam, ad ſe ipſum per bona opera non extendit. Ita S. Athanaſi: Beda. Euthym.

178. Secuta eſt deinceps Electio 12. Apoſtolorum. Matth. 10. v. 1. *Et vocatis 12. Diſcipulis* (Apoſtolis) *ſuis, dedit illis poteſtatem Spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem & infirmitatem.* P. Cornel. elegit 12. Apoſtolos id eſt Legatos ſuos Primarios, quos miſit cum plena poteſtate per totum orbem, ut Evangelium ſuum annuntiarent. Notandum, non eſſe contradictionem inter Evangeliſtas de virga, dum Matth. hoc cap. 10. v. 9. dicit. *Nolite poſſidere aurum neque virgam, Marcus verò* cap. 6. v. 8. *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via niſi virgam tantum*, Marcus enim loquitur de *Miſchan* Hebr. id eſt virga ſeu baculo & fulcimine, cui innitaris, hic enim eſt Symbolum viatorum pauperum, qui baculo innixi incedunt, ut fatigationem levent. Matthæus verò hic loquitur de *Matte* Hebr. id eſt virga defenſoria vel vindicatoria, quam Chriſtus Apoſtolis vetat. Virga enim tria ſignificat, primo Inſigne honoris & poteſtatis, quale eſt ſceptrum Regium, Faſces Conſulum, quo ſenſu David Pſ. 2. *Reges eos in virga ferrea*, 2do. *Matte*, id eſt virga ſeu baculus, quo alios ferias & percutias, ſicut Præceptor virgis flagellat Diſcipulos. 3tiò virga *Miſchan* id eſt fulcimen, baculus, cui incumbas. ita P. Cornel. à Lap. in Matth. c. 10. v. 9.

Vocatis 12. Apoſtolis Matth. 10.

Miſſio eorundem.

Alios quoque 72. Vocavit, ſed hos non Apoſtolos ſed Diſcipulos nuncupavit, licet & hi à veteribus, ſubinde Apoſtoli vocentur ac revera tales fuerint, licet cum minori poteſtate, illi autem duodecim. Lucæ 9. v. 1. Apoſtoli vocantur. Porro poteſtas Apoſtolorum, in Eccleſia fuit maxima, longéque major quàm Epiſcoporum. Apoſtoli enim immediatè à Chriſto miſſi ſunt tanquam Legati à Latere, cum abſoluta poteſtate per totum Orbem, ut ubíque poſſent. 1. Prædicare Evangelium, ac prædicationem miraculis firmare. 2. Ubique fundare Eccleſias, ſcribere Libros Canonicos. 3. Inſtruere & ordinare Sacerdotes & Epiſcopos, Ceremonias etiam Sacrificii Euchariſtiæ & Sacramentorum omnium. In hac trina poteſtate Apoſtoli erant æquales cum S. Petro, ei tamen

ſuberant, quaſi capiti & Superiori ſuo. Cauſa, cur Chriſtus 12. præcisè elegit Apoſtolos, non plures nec pauciores, eſt, ut ipſi reſponderent 12. Patriarchis, qui fuere Filii Jacob. Sicut enim hi Judæorum, ita illi omnium Chriſtianorum fuerunt Parentes. Ita S. Hieronym. Auguſt. Chryſoſt.

Petrus Apoſtolorum vocatur Primus, non ætate, nec vocatione, quia eo Senior erat Andreas teſte Epipha. hæreſ. 51. priusque vocatus, non dilectione, præ omnibus enim à Chriſto dilectus S. Joan Evang. Supereſt ergo ut ſit Primus excellentia & authoritate. Petrus ergo (P. Cornel.) quaſi Apoſtolorum Primus & Primas, poterat Apoſtolis præcipere, atque, ſi errarent, in fide & moribus corrigere. S. Cyprian. de unitate Eccleſiæ. Primatus, inquit, Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur. Duodecim Apoſtolis reſpondent, 12. gemmæ, fundamenta Cæleſtis Jeruſalem deſignantes. Apocal. 21. 19. Suo ordine poſitæ (P. Cornel.) Primus Jaſpis, notat Petrum obfirmitatem fidei, 2. Sapphirus, Andream, ob cæleſtem vitam & amorem. 3. Calcedonius ſive Carbunculus, zelo & amore ardentem Jacobum 4. Smaragdus Joannem virentem & virginem. 5. Sardonix, Philippum ob candorem animi. 6. Sardius rubeus, Bartholomæum, excoriatum. 7. Chryſolitus maıini coloris Matthæum pænitentem. 8. Beryllus politus Thomam à Chriſto in fide Reſurrectionis expolitum. 9. Topazius Jacobum minorem, aurea Sanctitate, radiantem. 10. Chryſopraſus Judam Thadæum, qui inſtar porri, acri ſapientia, inſectatur Hæreticos, *Praſos* enim ex Græco porrum ſignificat. 11. Hyacinthus, Simonem Chananæum ob mores ſuaviſſimos. 12. Amethyſnis, humilem minimúmque Matthiam. Virtutes ſingularum haram gemmarum vide infra. num. 269. Inter hos Apoſtolos non nominatus Paulus & Barnabas, quia hi Chriſto jam regnante in Cælis, poſt Aſcenſionem, vocati ſunt ad Apoſtolatum. Chriſtus inter Apoſtolos elegit, trinum par Fratrum, ſcilicet Petrum & Andream, Jacobum & Joannem, Jacobum minorem & Judam.

Apoſtoli 12. Gemmis Comparati.

Electionem Apoſtolorum ſecutus eſt Sermo Chriſti in monte de octo Beatitudinibus, omnem planè Evangelicam doctrinam continens. P. Salian. de quo Matth. 5.

Poſt Sermonem in monte ſanavit Chriſtus leproſum ac Centurionis puerum. De quo Matth 8. Porro, ùt advertit P.

Centurionis puer Sanatus Matth. 8.

Cornel. à Lap. hìc. Leoproſus erat Judæus, Centurio verò Ethnicus, ex Romanorum Legione dux 100. militum. Is dixerat Matth. 8. v. 8. *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo & Sanabitur puer meus.* P. Cornel. dixit hoc primum Centurio per amicos Chriſto, cùm Chriſtus jam ad Domum ejus accederet, ut ait Lucas c. 7. 6. deinde ipſe accurrens ad Chriſtum venientem, idem per ſe dixit, & proteſtatus eſt, ùt ait hìc Matthæus.

Illa verba hujus Centurionis, Matth. 8. v. 9. *Et ego homo ſum ſub poteſtate conſtitututus, habens ſub me milites.* Perpendens S. Bernard. Ep. 42. ait. Dicturus habens ſub me milites præmiſit homo ſum ſub poteſtate, præmiſſa ſiquidem eſt humilitas,

Obediat Superioribus ſub ſe habens Inferiores.

nè altitudo præcipitet. Non erubuit ſuper ſe poteſtatem, & ideo dignus, qui haberet, & ſub ſe milites, dedit prius honorem Præpoſitis, ut jam à ſubditis juſtè reciperet. De hoc Centurione dum dixit Chriſtus. v. 10. *Non inveni tantam fidem in Iſrael.* Intelligendum in Communi populo à tempore prædicationis meæ, nam major ſine dubio erat fides in B. Virgine &c. Ita P. Cornel. hìc.

175. Chriſtus reſuſcitat unicum Matris viduæ. Lucæ 7. 11.

Lucæ 7. v. 11. Ibat JEſus in Civitatem, quæ vocatur Naim. P. Cornel. hîc ſcilicet Pulchra, Decora, Delectabilis. Ita etiam in pulchris, in delectabilibus, ſæpè mors latet, pulchra delicata morti guſtui & deliciis. v. 12. *Cum autem appropinquaret portæ Civitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ.* Efferebatur. Judæi enim ſepulchra extra Civitates habebant, ſimiliter olim Chriſtiani vigente perſecutione, data tamen pace Eccleſiæ, cæmeteria in Urbe juxta Templa fuerê conſtituta & conſecrata, idque tum, ut mortis memoria Fidelibus objiceretur. Sic ſparni ex Lege Lycurgi (qui hac ratione Juventutem volebat ad mortem honorandam, non timendam aſſuefacere teſte Plutarcho, in Laconicis) in Urbe ſuos ſepeliebant. Tum ut Fideles ingreſſuri in Templum, pro Fidelibus defunctis ibidem ſepultis, orarent. v. 14. *Et acceſſit* (JEſus) *& tetigit Loculum. Hi autem, qui portabant, ſteterunt, & ait: Adoleſcens tibi dico Surge, & reſedit mortuus & cæpit loqui & dedit illum matri ſuæ.*

Cæmeteria cur in urbe.

Suſcitato Adoleſcente à morte Corporis, ſuſcitavit à morte animæ Peccatricem de qua Lucæ 7. v. 37. *Et ecce mulier, quæ erat in civitate Peccatrix, ut cognovit, quòd accubuiſſet JEſus in Domo Phariſæi* (Simonis) *attulit Alabaſtrum unguenti* v. 38. *Et ſtans retro ſecus pedes ejus, lachrymis cæpit rigare pedes ejus & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur, pe-*

Converſio Mulieris Peccatricis. Lucæ 7.

des

Quæ eſt Maria Magdalena.

des ejus, & unguento ungebat. Hanc mulierem exiſtimant aliqui diverſam fuiſſe à Maria Magdalena Sorore Marthæ, ſed eandem fuiſſe probat ſolidè P. Barradius Tom. 2. L. 8. c. 13. Ubi adducit textum Joan. 11. 2. *Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento & extersit pedes ejus capillis ſuis, cujus Frater Lazarus infirmabatur*, ex quo textu clarum eſſe videtur, fuiſſe eandem. Notandum quod hîc D. Joannes aſſignat differentiam Mariæ hujus, quæ fuit Soror Lazari ab aliis Mariis, ſi autem fuiſſet aliqua alia Maria, ut volunt contrarium ſentientes, quæ ſimiliter unxiſſet & exterſiſſet pedes Chriſti, non eſſet hæc differentia. Adducitque P. Barradius pro ſua ſententia S. Auguſt. L. 2. de Evang. c. 79. S. Gregor. Magn. L. 6. Epiſt. Ep. 22. & Hom. 33. & 35. in Evan. Rupertum. In Joan. cap. 12. & alios, Imo & Origenem, (quem ſibi favere putant diverſum ſentientes,) qui in celebri Homilia de Maria Magd. ait, à Phariſæo te defendebat, à Sorore tua diligenter excuſabat. Eandem ſententiam tuetur P. Salianus, P. Cornel. à Lap. in Lucæ c. 7. ubi ait ad v. 37. Probatque pluribus, eandem fuiſſe hanc peccatricem, cum Maria Magdalena Sorore Marthæ & Lazari, dicitque hunc communem Fidelium & Eccleſiæ eſſe ſenſum. Nam ipſa in Eccleſiaſtico officio omnia tribuit Magdalenæ, quæ hic narrat Lucas. Additque, liquere ex inſcriptione monumenti S. Magdalenæ, quod ei S. Maximum, unum è 70. Chriſti Diſcipulis, erexiſſe ferunt, in quo omnia jam dicta, uni, eidémque Magdalenæ huic tribuuntur. Dices. Magdalena hæc ſecuta JEſum à Galilæa, ut patet Matth. 27. 55. Ergo videtur fuiſſe ex Galilæa, ergo diverſa à Maria Sorore Marthæ, cùm hæc videtur eſſe Judæa, quia habitabat in Bethania, quæ fuit vicina Hieroſolymæ. Reſpondet P. Cornel. Illam fuiſſe Judæam ratione Proſapiæ, ſed videri habitaſſe in Galilæa, puta in Caſtello Magdalum dicto. Fortè quod ejus loci Domino nupſerat, aut quod in diviſionem hæreditatis Paternæ hoc ei caſtellum ſorte obtigerat, atque à Magdalo hoc dicta videtur Magdalena. Ita Janſen. Adrichom. & alii. Civitas, in qua fuiſſe dicitur hæc Peccatrix, veriſimilius, (P. Cornel. Tolet. &c.) videtur fuiſſe Naim. Nonnulli Recentiores, ut Magdalenam honeſtent, cenſent eam non fuiſſe impudicam ſed vanam, comptam, pompoſam, quæ fuit ſcandalum & illecebra luxuriæ, ideóque vocari Peccatricem. Verùm hi,

ait

ait P. Cornel. Quantum consulunt honori Magdalenæ, tantum detrahunt gratiæ Christi, & pænitentiæ Magdalenæ, quæ illam ex Peccatrice adeò sanctam effecit. Peccatrix enim dicitur Antonomasticè, quod & ipsa graviter peccare soleret, & alios ad secum peccandum allicere. Peccatrix ergo idem est (P. Cornel.) quod meretrix, non publicè omnibus Plebeiis exposita, sed quæ plures privatos nobiles haberet Amasios. Unde meretricem eam vocat S. Augustin. S. Ambros. S. Chrysost. citati à P. Cornelio.

Vitam emendare magna virtus.

Et certè non postrema Magdalenæ laus, quod vitam in melius commutarit. Verè S. Gregor. ait: Plerúmque gratior est Deo fervens post culpam vita, quàm securitate torpens innocentia. Etenim major Dei gratia, quo majora sunt peccata, quæ à Deo dimittuntur, quia hæc remissio datur magis indigno, ideóque major ei fit gratia, uti docet S. Thom. Quo circa Peccatores dum seriò pænitent, heroica patrant, uti videre est in S. Maria Ægyptiaca, S. Pelagia. &c.

Hinc pænitentiæ Symbolum est Margarita, sicut enim sol suis radiis ostream (quæ aqueus & fætidus est humor latens in concha) in pretiosam margaritam convertit, sic Christus illustratione gratiæ Magdalenam pænitentem effecit Margaritam.

Heroicus fuit Magdalenæ actus in domum Pharisæi venisse, hinc S. Augult. Hom. 23. Inter 50. Vidisti, ait, Mulierem famosam malæ utique famæ, quæ erat Peccatrix, non invitatam irruisse convivio, ubi suus Medicus recumbebat, irruens quasi importuna convivio, opportuna beneficio. Hoc prævidens Christus in Convivium venit. Unde S. Chrysost. accubuit, inquit, Christus non pocula saporata melle floribus odorata, sumpturus, sed Pænitentis lachrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus. Deus delinquentium lachrymas esurit, sitit lachrymas Peccatorum. Accessit, (ait S. August. Hom. 23. Inter. 50) non ad caput Domini sed ad pedès, & quæ diu malè ambulaverat, vestigia recta quærebat, prius fudit lachrymas cordis, & lavit Domini pedes obsequio confessionis, capillis suis tersit, osculabatur, unxit, tacita loquebatur, non sermonem promebat, sed devotionem ostendebat.

Notandum cum S. Chrysost. Hom. 11. in Matth. S. Magdalena prima fuit, de qua legimus, quod veniæ & gratiæ causa iverit ad Christum, alii enim sanitatis causa eum adierunt. Respiciens Pænitentem Magdalenam D. Gregor. Hom. 33. Act. Cogitanti mihi de Mariæ pænitentia, flere magis libet quàm aliquid dicere. Cujus enim vel saxeum pectus, illæ hujus Peccatricis lachrymæ, ad exemplum pænitendi non emolliant. Lachrymis lavabat pedes Christi, capillis tergebat, dat hujus causam Euthym. Instrumenta peccati faciunt Instrumenta virtutis. Et particularius S. Gregor. Hom. 33. Quod, inquit, sibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hos jam per pænitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultûs exhibuerat, sed jam capillis lachrymas tergebat. Ore superba dixerat, sed Domini osculans pedes, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo habuit in se oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum serviret Deo in pænitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa.

Multarum pænitens Magdalena facta virtutum speculum, in quo relucet eximia fides, admiranda religio, insignis sapientia, heroica pænitentia, de qua Petrarcha: námque famem, frigus, durum quóque saxa cubile, dulcia fecit Amor, spesque alto pectore fixa. Subditque præmium Angelicum. Hîc hominum non visa oculis, stipata catervis Angelicis septemque die subvecta per horas. Cælestes audire Choros, alterna canentes Carmina corporeo de carcere digna fuisti.

Misericordia Pænitentes decet.

Tropologicè S. Ambros. Lib. de Tobia. Misit oleum in pedes ejus, misericordiam & ipsa in pauperes conferendo. Isti sunt pedes Christi, in his innocentius ambulat Christus. Deceptus est Simon judicans Magdalenam ex præteritis Lucæ 7. v. 39. dicens, quæ & qualis est Mulier, non ex præsenti, quæ & qualis nunc esset Magdalena. Erat enim eadem sed altera, altera sed ipsa, ait Chrysolog. Ser. 74. & 75.

Judicium temerarium fugiendum ne erretur.

Tropologicè S. Gregor. Hom. 33. Unde necesse est, ut cum Peccatores quósque conspicimus, nosmetipsos prius in illorum calamitate defleamus, quia fortasse in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus, si lapsi non sumus, districtionem debemus vitiis, compassionem naturæ. Si enim feriendus est Peccator, nutriendus est proximus.

180. Peccatores leniter corrigendi.

Correxit leniter Simonem errantem Christus, Lucæ 7. v. 40. *Habeo tibi aliquid dicere &c.* nam & ipsum sanare cupiebat ne gratis apud eum comederet.

ret. ait S. Augustin. & ver. 47. *Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa* (id est omnia P. Cornel. hic) *quoniam dilexit multum.* Quæritur hic, quando Magdalenæ remissa peccata? alii censent remissa, cùm paulò post Christus illi dixit. Remittuntur tibi peccata. Alii censent hoc versu præsenti, remittuntur, remissa ei peccata. Verisimilius videntur (P. Cornel.) ante remissa illi fuisse peccata, cùm scilicet perfectum de peccatis dolorem concepit, ex cujus vi deinde hæc signa lotionis, osculationis &c. processêre, & in Græco habetur, remissa sunt. Itáque antequam illi Christus diceret, remittuntur ei peccata, jam vi contritionis perfectæ fuerunt remissa. Sed etsi in præsenti dixit Christus, remittuntur, potest id sustineri, unum enim peccatum potest sæpius remitti, & clavibus Ecclesiæ submitti. Potest quóque dici, quod Christus post remissionem peccatorum dicens remittuntur, non solùm culpam sed etiam pœnam remisit, plenariámque indulgentiam ac Primum Jubileum concessit.

Dilectio Dei peccata delet.

Illa voce, quoniam dilexit multum, observat P. Cornel. causam remissionis peccatorum significare. Charitas enim est mors criminum, vita virtutum, ait S. August. Hom. 23. Inter. 50. Ex hoc loco docent, Actum contritionis perfectæ, qui includit dilectionem Dei super omnia, natura quidem præcedere remissionem peccatorum & justificationem, sed eodem instanti temporis, tanquam ultimam ad eam dispositionem eandem inducere, sicut Calor ut 8. in ligno, quasi ultima dispositio, inducit in lignum formam ignis. Ita Conc. Triden. Sess. 14. c. 4.

Pax Conscientiæ ex vera pœnitentia.

Tandem dixit Magdalenæ Christus, Lucæ 7. v. 50. Vade in pace. P. Cornel. q. d. vade secura, læta, felix, quæ hactenus ob consuetudinem scelerum fuisti mœsta, infelix &c. Hic est fructus pœnitentiæ veræ, conscientiæ pax, gaudium, omnia mundi gaudia superans, juxta illud: *Justificati ex fide pacem habeamus ad Deum.* Rom. 5. 1.

Porrò Christus Magdalenæ perfectam pacem dedit. 1. Abolevit è mente ejus, omnes habitus vitiorum. 2. Perfectam castitatem, humilitatem, pœnitentiam indidit. 3. Plenum contemptum rerum mundanarum & desiderium cælestium. 4. Ardentissimum amorem Dei.

Quapropter Origenes in illa Insigni Hom. de Maria Magdal. ait: Sequamur hujus mulieris affectum, ut perveniamus ad effectum.

Elias

Elias Dominicanus, cùm in devotione ad S. Mar. Magdalenam tepesceret, apparuit illi Diva, enarravítque aliqua de vita sua. Quomodo illam voluerit devorare Draco Bubalo major, & ope Angeli ab illo defensa. Quomodo S. Michael Archangelus dæmones asperitatem vitæ minuendam illi persuadentes fugavit. Quomodo Angelus Crucem illi erexit, coloris crystallini radiis fulgentibus coruscam. In qua vidit cuncta mysteria Christi, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, his cibata ferculis nocte dieque flebat. Istam Historiam narravit moriturus Elias, horráque spatio elapso mortuus. Tilmannus L. 4. c. 2. Collat. Sacrarum.

Mulier de Turba Christum laudat & Beatissimam. Lucæ. 11.

Brevi post Mulieris Peccatricis conversionem, ab alia Muliere concionans Christus, simul cum sua Sanctissima Matre recipit encomium: Lucæ 11. v. 27. *Extollens vocem quædam Mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit & ubera, quæ suxisti.* P. Cornel. à Lap. hic. q. d. à Deo divinus Beatus es O JEsu, ut propter Te Beata quóque sit Mater, Beatam dicit Matrem non Patrem, quia sexui suo favens, similis Filii se matrem fieri exoptat. Adde, à Spiritu Sancto illam excitatam fuisse, ut in hæc verba, quæ Christum, ex Matre Virgine, sine Patre conceptum significant, etiamsi id ipsa nesciret, nec intelligeret, prorumperet. Suspicantur aliqui hanc Mulierem fuisse S. Martham, aut potius S. Marcellam Ancillam S. Marthæ. v. 28. *At ille (JESUS) dixit, quinimò Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* P. Cornel. hic. Quinimò. Græcè id est imò potius, non igitur negat Christus Matrem suam esse Beatam, ùt vult Calvinus, sed tantùm ait Beatiores esse, qui verbum Dei audiunt & custodiunt, id est opere adimplent. Ratio à priori est. Quia esse Matrem Dei est præcisè gratia gratis data & externa duntaxat, non gratum faciens. Sed custodire verbum Dei est gratia interna & gratum faciens. Audi S. Augustin. citatum à P. Cornel. Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quàm carne gestasset. Beatior ergo Maria percipiendo Fidem Christi, quam concipiendo Carnem Christi. Non caruit tamen Beatissima virgo & hac gratia, quæ Beatiores reddit, juxta Christi effatum, quæ omnia verba Filii in materno corde conservabat, illorúmque facta custos æterna. Continuavit deinde doctrinam suam Christus, in qua proposuit parabolam seminantis Zizaniæ, seminis crescentis, grani Sinapis, fermenti, item Thesauri

 abscon-

absconditi in agro, Margaritæ, Sagenæ, cúmque has parabolas enarrasset, venit in Patriam suam Nazareth, ubi perpauca edidit miracula (P. Salian.) propter ipsorum incredulitatem. Quia etiam ut narrat Lucas c. 4. v. 29. Et ejecerunt illum extra civitatem & duxerunt eum usque ad supercilium montis, ut præcipitarent eum, ipse autem transiens per medium eorum ibat. Maldonatus censet Christum hic fecisse se invisibilem. S. Ambros. & Beda putant Christum mutasse voluntatem Nazarenorum. Alii censent (P. Cornel.) Christum eorum oculos vel phantasiam divertisse vel eos stupefecisse ac continuisse pedes & manus eorum.

Ingratitudo Cognato cum.

Caput octavum.

S. Joannis Baptistæ Decollatio, in Herodem Herodiadem & Saltatricem pœna peccati. Samaritanæ Mulieris conversio.

181.
S. Joannis Decollatio. Marci. 6.

DUm Christus in Galilæa concionatur & Discipuli in vineam Domini missi fructus colligunt, Herodes Antipas, Infandicidæ Filius, Tetrarcha Galilææ, occidi jussit, Joannem, postea tamen ob communem celebrémque tot miraculorum ejus famam credidit Joannem in JEsu resurrexisse. ut ait S. Marcus. c. 6. v. 16. *Quo audito Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit.* Ita S. Chrysost. S. Augustin. & alii citati hîc à P. Cornel. à Lap. Vigebat enim tunc sententia Pythagoræ de animarum ex uno corpore in aliud transmigratione. Hunc Herodem vocat S. Marcus Regem, quia in sua Tetrarchia summus erat Princeps, qualis est Rex in Regno. Herodias præcipua motrix Decollationis S. Joannis, fuit Filia Arystobuli Fratris Herodis Antipæ, ipse igitur illam duxit, quæ erat sibi ex Fratre neptis. An vivo Marito Philippo Herodias nupserit Herodi, an verò illo mortuo, dissentiunt Interpretes. P. Cornel. à Lap sentit & probat nupsisse adhuc vivo Philippo, idcóque peccasse tripliciter, primò adulterio, secundò incestu, tertiò, raptu.

Marc. 6. v. 22. *Cúmque introisset filia ipsius Herodiadis* (ex Philippo priore Marito) *& Saltasset* (Saltatrices olim apud Judæos fuisse in conviviis ad luxum, patet ex Josepho) *& placuisset Herodi, simúlque Discumbentibus; Rex ait Puellæ: pete à me quod vis & dabo tibi. Quæ cùm exisset, dixit Matri suæ? quid petam: at illa dixit: Caput Joannis Baptistæ, cúmque introiisset statim cum festinatione ad Regem, petivit dicens: Volo, ut protinus des mihi in Disco caput Joannis Baptistæ, & contristatus est Rex propter jusjurandum & propter simul Discumbentes, noluit eam contristare, sed misso spiculatore* (id est Carnifice) *præcepit caput ejus afferri in Disco & decollavit eum in carcere.*

Notandum hìc. S. Joannem verè fuisse Martyrem, nam puella petiit caput ex instinctu Matris Herodiadis, quæ Joannem sui adulterii castigatorem è medio tollebat, fuit ergo causa moralis necis D. Joannis, Herodes illi assensit, ipséque illum occidere voluit, sed metu populi detinebatur. Denique multi probabiliter censent, hæc omnia ex collusione & ex composito esse facta, scilicet Herodem suggessisse Herodiadi, ut Filiam saltatricem in cœnam immitteret, illáque peteret caput Joannis, sic enim se honestam ex promisso suo occasionem vel excusationem habiturum sperabat. Hinc à Christo vocatur vulpes. Lucæ 13. 32. Causam sublimiorem mortis S. Joannis, ex parte Dei, dat S. Gregor. Nazian. Orat. 20. Ad inferos per Herodis furorem tranmissus est, ut illic quóque mox venturum prædiceret. Contristatus est Rex, id est, contristari se finxit, inquit S. Hilar. & S. Hieronym. citati à P. Cornel. Unde Glossa in Caput 14. Matth. Talis, ait, Herodis tristitia fuit, qualis Pænitentia Pharaonis. Et Interlinearis. Simulator tristitiam proferebat in facie, cùm lætaretur in mente. Prætendebat juramentum, licèt sciret, illud hoc in casu nil valere, tamen regale esse censebat, id coram Primoribus non retractare, juxta illud. Verbum Regis est Rex. Porrò illud juramentum erat illicitum, invalidum, impium. Nam ut ait S. Isidor. In malis promissis rescindenda fides, impia promissio est, quæ scelere adimpletur. Habet S. Joannes Laureas multas, scilicet, Doctoris, Virginis, Martyris, Prophetæ, Eremitæ, Apostoli, Præcursoris. Probabiliter in Decembri occisum S. Joannem censet P. Salian.

Artes Pseudopolitiè.

Ann. Chr. 32. Ac 29. Aug. Celebratur ab Ecclesia potius memoria Inventionis S. Capitis,

tis, de quo Capite Nicephorus L. 1. c. 19. Herodias Joannis reprehensionem etiam post capitis resectionem verita, conjungeréque id reliquo Corpori timens, apud se remotis arbitris, in abstrusiore Regiæ Loco, sepeliendum duxit.

S. Hieronym. in Ruffinum, ait de crudeli ausu Fulviæ in Ciceronem & Herodiadis in Joannem, quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam, discriminali acu confoderunt. Quocirca justa Dei ultio in omnes desævìit. Nam Herodes victus fuit ab Areta Rege Arabum cujus filiam repudiarat. (P. Cornel.) deinde in Exilium cum Herodiade pulsus Lugdunum, Tetrarchiâ & bonis omnibus spoliatus est à Cajo Caligula Imperatore idque agente & accusante eum Agrippa Fratre Herodiadis. uti narrat Joseph. L. 18. c. 10. Quomodo glacie caput præcisum fuit Saltatrici, narrat Niceph. L. 1. c. 20. Eundum ei quodam brumali tempore erat & fluvius trajiciendus, qui cum glacie constrictus coagulatúsque esset, pedes eum transibat, glacie autem rupta, ídque non sine Dei numine, demergitur illa statim capite tenus & inferioribus corporis partibus lasciviens, molliúsque se movens saltat, non in terra sed in undis, caput verò scelestum frigore & glacie concretum, deinde etiam vulneratum, à reliquo corpore non ferro, sed glaciei crustis resectum in glacie ipsa Saltationem lethalem exhibet. Dexter quoque in Chron. An. Chr. 34. Herodias quóque Saltans Super Sicorum Flumen Ilerdæ concretum, submersa, miserabiliter periit.

Lingua acu puncta. Pœna peccati Herodis Herodiadis & Saltatricis.

Dextera S. Joannis Die exaltationis S. Crucis deferebatur olim in solenni supplicatione, eam gestabat Antiochenus Patriarcha eaque benedicebat populo, hæc aperta cernebatur, si fertilitas agrorum futura esset, claudebatur, si sterilitas. P. D' Oultreman in Amore Increato.

S. Joannis Bapt. dextera liberalis.

Circa tempus Decollationis D. Joannis censetur Christus convertisse Samaritanam nomine Photinam, in Regione Samaria dicta ab Urbe Samaria (quæ postea vocata Sebaste, id est Augusta, ubi Corpora S. Joan. Bapt. Elisei, & aliorum Prophetarum sepulta fuêre) in civitate Samariæ, quæ dicitur Sichar ad Fontem Jacob, puteum scilicet. P. Cornel. à Lap. in Joan. c. 4. v. 6. Ubi dicitur de Christo. Sedebat sic supra fontem, id est sedebat in humo, prout casus ferebat, uti sedere solent viatores. 182.

Samaritanæ conversio Joan. 4.

v. 7. Dicit illi JESUS, da mihi bibere, prævenit Sermone Mulierem, ut colloquio occasionem & initium præberet. Porrò ille, qui bibere quærebat, fidem mulieris sitiebat. ait S. August. Dixit ulterius Christus v. 10. *Si scires donum Dei & quis est, qui dicit tibi, tu forsitan petiisses ab eo & dedisset tibi aquam vivam.* P. Cornel. à Lap. hìc. Aqua viva vocatur doctrina Christi Evangelica, ait Ammon. Item Spiritus S. ejusque gratia, quem Christus docens suis afflat & aspirat. Ita Cyrillus Theophilact. Dicitur aqua P. Cornel. quia instar aquæ Animam à peccato expurgat, imò novam munditiem animæ confert. 2. Quia S. Spiritus ejúsque gratia, æstum concupiscentiæ refrigerat, omnésque animæ passiones componit & æquat. Hinc aqua, dicitur æqua, ait Varro L. 4. Orig. c. 7. Aqua quasi æqua, quod superficies ejus æqualis sit. Hinc & æquor appellatum, quia æqualiter fusum est. Dicitur gratia S. Spiritus, Aqua viva. 1. Quia Spiritus S. vitam suam animæ Pœnitenti & Sanctæ communicat. 2. Quia Gratia S. Spiritus, ùt ait Theophyl. est forma, qua vivitur secundum Spiritum, adeóque gratia est quasi anima animæ. 3. Quia gratia Cælestis, quasi Fons donorum & virtutum, è Cælo à Spiritu S. scaturiens, eodem, id est, æquè altè, ac est origo Fontis, puta in Cælum, ad Deum per bona opera & merita, exilire nos facit, juxta illud v. 14. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Gratia Spiritûs S. Cur aqua dicitur.

S. Augustin. Tropologicè illud perpendens v. 13. *Qui bibet ex aqua hac, sitiet iterum*, aqua in puteo, ait, est voluptas sæculi in profunditate tenebrosa, quam hauriunt homines hydria cupiditatum, hæ enim faciunt hominem semper sitire, quia cupiditas est insatiabilis.

v. 18. *Quinque enim viros habuisti & nunc, quem habes, non est tuus vir: hoc verè dixisti.* Quinque viros scilicet legitimos habuisti, unum post alium. Ita S. Augustin. Beda, Euthym. Et alii passim, licet Chrysostom. in Ps. 13. putat illos fuisse illegitimos & adulteros, ac proinde hìc à Christo, hoc nomine taxati. Prior sensus videtur germanus P. Cornel.

Tunc Mulier, v. 19. *Domine, video, quia Propheta es tu.* Una, ait Rupertus, eademque Confessione, & de se confessa est, quod erat & de illo, quod eum esse intelligere poterat.

v. 27. *Continuò venerunt Discipuli ejus, & mirabantur, quia cum Muliere loquebatur.* Origen. S. Cyrillus S. Chrysost. &c. Opinantur Discipulos fuisse miratos humilitatem Christi, quod dignaretur cum Muliere alienigena & paupere loqui. S. Cyrian. ait P. Cornel. tract. de singularit.

Conversatio cum Mulieribus fit causa.

gularit. Cleric. & alii dicunt: insolitum fuisse Christo, seorsim loqui cum Muliere, idque hoc fine, ut castitatis & honestatis, omnibus Fidelibus, sed maximè Clericis Religiosis, daret exemplum.

Hæc Samaritana per alloquium & Gratiam Christi ex Peccatrice, facta est Pænitens & Sancta, imò Præco Christi. De illa S. Ambros. Serm. 30. Novo, inquit, admirationis genere, Mulier, quæ ad puteum Samariæ meretrix advenerat, à Christi Fonte casta regreditur, & quæ aquam petere venerat, pudicitiam reportavit. S. Chrysost. venerat hauriendæ aquæ gratia, & cùm verum Fontem invenisset, contempsit alterum, & superna veniente Gratiâ, Apostolico munere fungitur. Porrò Franc. Biuarius, quem citat P. Cornel. hîc, narrat Samaritanam hanc apud Carthaginem in Africa prædicasse Evangelium Christi, ideóque cum duobus Filiis ac quinque Sororibus, sub Nerone obiisse Illustre Martyrium.

Desipiunt terrena gustantibus Cælestia.

Ad prædicationem hujus Samaritanæ Samaritani venerunt ad JEsum, de quo v. 30. Ejúsque sanctitate & sapientia moti, eum Messiam esse crediderunt & conversi sunt. Judæi verò post triennalem Christi prædicationem, ac tot tantáque miracula, credere in eum noluerunt. Hinc Cyrillus. Durities Judæorum à Samaritana facilitate arguitur.



Caput

Caput nonum.

Multiplicatis panibus Christus pascit. Confessio Petri & Primatus. Transfiguratio Christi. Stater in ore piscis. Leprosi decem sanati. Mulier in adulterio deprehensa, absoluta. Cæcus à Nativitate illuminatus. Parabola Samaritani vulneratum suscipientis. Christus apud Martham hospitatur. Magdalena ad pedes ejus decumbit.

183. Dona Dei, gratè, suscipienda. Panes multiplicati.

A*Nnus Christi* 33. Hoc Anno quinque panibus beneficio Christi saturati 5000. homines. de quo Mar. c. 1.

Petrus imitatus Præceptorem, periclitatus est, ambulando super aquas, & Christo in naviculam ingresso cessavit ventus. Eodem anno 4000. hominum, septem panibus saturavit Christus, de quo Marci 5. Circa quod notat P.Cornel. à Lap. hîc, quòd voluerit Christus fragmenta colligi, tum in memoriam miraculi, tum ut nihil de donis Dei deperiret, tum ut doceret nos esse frugi, & frugaliter Dei donis uti. Ex hoc Christi jussu in Religionibus nonnullis statutum est, ut post mensam quisque micas suas in lancem colligat. Audi, quod narratur apud Sur. 28. Novembr. Micas ex panum sectione decidentes singuli diligenter colligebant & ante lectionis finem cum benedictione sumebant, finita lectione, nec illas nec cibum ullum quispiam capere ausus erat. Has autem micas, sacratiores existimabant propter miraculum, hoc autem miraculum sic se habuit, Monacho moribundo, qui micas pro consuetudine non comedebat, cùm benè valeret, sed sinebat à mensa cadere, dæmon sacculum micarum plenum ostentavit, sæpius terrens hominem, & signo S. Crucis se munire cogens, ex illo tempore magno studio micæ illæ colligebantur. Ibidem cap. 17. Narratur, micas in cujusdam Religiosi illas diligenter colligentis manu, in Margaritas

Minimorum cura.

fuisse

fuisse conversas, quæ cuidam Ecclesiæ pro ornamento intextæ sunt.

Confessio Petri & Primatus. Matth. 16.

In itinere circa Cæsaream Petrus edidit celebrem illam Confessionem, ob quam promisit illi Dominus, se illum facturum Petram Ecclesiæ suæ & claves Regni Cælorum traditurum.

v. 16. *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi.* S. Hieronym. Petrus, ait, ex Persona omnium Apostolorum profitetur: Tu es Christus Filius Dei vivi. Sic & Anselmus, S. Thomas, Glossa. &c. citati à P. Cornel. à Lap. hîc. Porrò S. Hilarius, S. Chrysostom. & alii censent, S. Petrum primo omnium confessum esse Christi Divinitatem. Negant alii dicentes, Nathanaelem id prius professum. Sanè Apostolos ante hanc Christi professionem, agnovisse Christum esse Deum, ex tot miraculis & verbis ipsiusmet Petri: Joan. 6. 65. *Credidimus & cognovimus, quia Tu es Christus Filius Dei.* Verùm Apostoli, (P. Cornel.) uti erant adhuc rudes, conceptum valdè tenuem & confusum hac de re in mente sibi formabant, credebantque Christum verè esse Filium Dei, præ aliis Prophetis, imò esse Deum, sed qua ratione id esset, ignorabant. Petrus autem id distinctè clarè illuminatus à Deo cognovit, & palam confessus & professus est. Dictus est Petrus, Simon Bar-Jona id est Filius Jona, qui vocabatur Joanna sive Joannes, per Crasin Jona, Jona verò significat Columbam.

Jona id est Columba Symbolum est Spiritus Sancti, S. Hieronym. Ex Confessione, ait, Petrus Sortitur vocabulum, quòd revelationem ex Spiritus S. habeat, cujus & Filius appellandus sit. v. 18. Dixit Christus. *Ego tibi dico, quia,* (quod) *tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* S. Augustin. Tract. 27. in Joan. & L. 1. retract. cap. 1. Super hanc Petram, hoc est, inquit, super me ipsum, quia Petra erat Christus 1. Cor. 10. 4. Quod avidè sequitur Calvinus L. 4. Institut. Verùm ipsum Petrum, dici hic Petram reliqui omnes Patres conspirant. P. Cornel. Et licet omnes Apostoli sunt Fundamentum Ecclesiæ, Petrus tamen est Fundamentum ipsorummet Apostolorum. Unde S. Hieronym. contra Jovin. Propterea inter 12. Unus eligitur, ut capite constituto Sophismatis tolleretur occasio. S. Cyprian. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra monstretur.

Non prævalituras portas Inferi adversus Petrum dixit Christus, quocirca S. Chrysost. Hom. 4. de verb. Isaiæ. Facilius, inquit,

quit, est solem extingui, quàm Ecclesiam obscurari. v. 19. Dixit Christus Petro. *Et tibi dabo Claves Regni Cælorum.* P. Cornel. hîc. Per claves hîc significatur summa potestas, tum Ordinis, tum Jurisdictionis, in totam Ecclesiam, Petro hîc à Christo promissa, hoc enim fine traduntur claves Regibus & Principibus, & ita claves explicat Christus in sequentibus dicens. Quodcúnque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cælis. S. Greg. l. 4. Ep. 32. Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto & omnium Apostolorum Principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est. S. Augustin. Serm. 28. De Sanctis. Solus Petrus inter Apostolos meruit audire, Tu es Petrus &c. Dignus certè, qui ædificandis in Domo Dei populis, Lapis esset ad Fundamentum, Columna ad sustentaculum, Clavis ad Regnum.

Tropologicè Claves notant industriam, dexteritatem & Sapientiam regendi. Sic ars artium est regimen animarum, ait S. Gregor.

Dissuadenti deinde Petro Passionem dixit Christus v. 23. *Vade post me Satana, scandalum es mihi*, S. Hilarius. To Vade post me, refert ad Petrum, To Satana, scandalum es mihi ad diabolum. Verùm cæteri omnes To Satana jungunt cum Vade post me, totúmque Petro dictũ arbitrantur. Ait ergo Christus vade post me, id est, P. Cornel. recede à me, hac in re non es mihi amicus sed Satan, id est adversarius. Adversarius tamen pro præsenti tempore, ait S. Hieronym. quo adversabatur Christo volenti pati & crucifigi, Petra verò constituitur non pro tempore præsenti sed futuro, scilicet, ut post mortem & Resurrectionem Christi fiat Petra & Caput Ecclesiæ.

Transfiguratio Christi. Matth. 17.

Eundem Petrum cum aliis 184.
duobus Discipulis præsentem esse in sua Transfiguratione voluit Christus, cujus Transfigurationis seriem & ordinem conciliando Evangelistas edisserit. P. Cornelius in Matth. c. 17. v. 8. 1mò. Christus oravit, interim Discipulis ex labore conscensi montis & prolixitate Orationis Christi, somno gravatis, ac dormientibus, Transfiguratus est Christus. 2do. Accesserunt Moyses & Elias loquentes cum Christo de excessu (morte Crucis) quem completurus erat in Jerusalem. 3tio. Apostoli è somno hoc fulgore & sermone excitati, viderunt gloriam Christi, cum eóque colloquentes Moysen & Eliam. 4to. Finito hoc Colloquio, cùm signum daretur abitûs S. Petrus hac voluptate quasi ebrius, dolens eos parare abitum, petiit fieri tria Tabernacula unum Christo, secundum Moysi, 3tium

Eliæ,

Eliæ, 5 Supervenit Nubes ſubducens Moyſen & Eliam, cum voce ad Chriſtum: Hic eſt Filius meus Dilectus &c. Quibus territi S. Petrus, Jacobus & Joannes ceciderunt in terram, ſed mox à Chriſto confortati, levantes oculos ſuos, ſolum viderunt JEſum. Interim Moyſes ad Limbum, Elias ad Locum ſuum, per Angelum uti adductus ita reductus eſt.

Circa hanc Transfigurationem notanda: Aſſumpſit ſecum Chriſtus, Petrum, Jacobum majorem, & Joannem. Quoniam, ùt ait S. Chryſoſt. aliis potiores erant. Non congruebat enim tantum myſterium, omnibus Apoſtolis ſtatim ab initio propalari. Ita S. Chryſoſt. Theophil.

Myſticè hi Tres notant triplicis ordinis eſſe eos, quos Deus præ cæteris ſua gloria dignatur. Petrus notat Charitate ferventes. Joannes virgo, notat Virgines, Jacobus primus ex Apoſtolis Martyr, notat Patientes & Martyres.

Mons, in quo facta Transfiguratio, fuit Tabor (non Libanus, ùt vult Franciſcus Lucas) præcipua Cæli temperie Saluberrimus, vineis, olivis, fructiferis arboribus, totus undique conſitus. Transfiguratio non ita facta, ut tribus illis Apoſtolis ita oſtenderet Chriſtus ſuam Gloriam, ſicut Sanctis in Cælo, hæc enim oculis corporeis per omnem potentiam fieri nequit. Ita paſſim Patres. Nec Chriſtus in Transfiguratione vultus ſui eſſentiam aut formam, imò nec figuram & colorem, ſed, ùt rectè ait Euthym. aſſumpſit ingentem ſplendorem, quaſi Divinum, ut fulgeret inſtar ſolis, qui ſplendor faciei Chriſti imò & manibus & toti corpori realiter adhæſit, uti docet diſertè S. Hieronym. Ep. 61. ad Pammachium. Hic ſplendor fuit dos claritatis uti & ceteræ dotes debitæ Corpori Chriſti & Animæ ejus utpote Beatæ & Deo unitæ, idque toto tempore vitæ, ſed tamen, ut pati poſſet Chriſtus & cum hominibus converſari, hæc claritas cæteræque dotes, toto reliquo vitæ ejus tempore repreſſæ fuerunt in beata Chriſti anima, nè ex ea per phyſicam vel potius moralem emanationem, in Corpus ſeſe diffunderet.

Corporis Glorioſi dotes in Chriſto.

Repreſſæ in vita mortali.

Cur Chriſtus transfigurari voluit, afferuntur Cauſæ. 1mo, ut ſuam Divinitatem probaret. 2. Ut præmuniret Apoſtolos, nè caderent animo, cùm ipſum viſuri eſſent Cruci affixum 3. Ut ſe hac forma Judicem venturum, cum Poteſtate Magna & Majeſtate indicaret. Ita S. Ephrem. Cyrill &c. Citati à P. Cornel. hìc. Tropologicè voluit Chriſtus hìc typum dare Transfigurationis animæ peccatis

catis obfuſcatæ in lucem Gratiæ, per quam Chriſto configuramur.

Agnovit Petrus Moyſen & Eliam, maximè ex inſpiratione Divina. Ita Tertulian. & alii. Transfigurationem Chriſti accidiſſe noctu opinatur Toletus. Veriſimiliter quoque alii putant Chriſtum transfiguratum mane in aurora, idque ſexta Auguſti, quando hoc feſtum celebrat Eccleſia. Æquè hìc ac in Baptiſmo Chriſti Symbolicè repræſentata fuit Sanctiſſima Trinitas. Nam Spiritus S. apparuit in nube, Pater in voce, Filius in divino ſplendore & gloria. Ita P. Cornel. hìc.

Stater in ore piſcis Matth. 17.

Matth. 17. v. 23. *Cùm veniſſent Capharnaum* (Chriſtus cum diſcipulis) *acceſſerunt, qui didrachma accipiebant.* P. Cornel. hìc, exactores exigebant iſtud didrachma, Romanis vel Herodi Antipæ pendendum. Didrachma erat dimidium ſicli, id eſt duo regales Hiſpanici ſive duo julii Italici. Ad hoc tributum pendendum etſi non teneretur Chriſtus, juxta illud, quod dixit Chriſtus v. 26. *Ergo liberi ſunt fili* q. d. Regum filii, cum ſua familia jure communi immunes ſunt à tributis. Ergo multò magis ego cum meis diſcipulis, ego inquam, qui Regis Regum ſcilicet DEi Unigenitus ſum filius. Ita S. Chryſoſt. S. Hieronym. & alii. v. 27. *Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & apperto ore ejus invenies ſtaterem* (ſcilicet ſiclum) *illum ſumens, da eis pro me & pro te.* P. Cornel. hìc quaſi diceret, ne exactores offendantur putentque nos Cæſarem Rom. quaſi gentilem aſpernari, ejus imperium abnuere & ita Judæos ad illi rebellandum concitare, uti fecit Judas Galilæus. Pro aliis Apoſtolis ſolutum tributum ex communibus loculis, ùt vult Abulenſis, aut ſimpliciter non ſolutum, vel exinde, quod non erant illi capita familiarum, ùt vult Lyranus, vel quia aliunde erant oriundi, ùt vult Lucas, vel excuſati, quòd eſſent inopes. Pro Petro tamen ſolvit Chriſtus, quia Petrus domum & familiam habebat Capharnai, ait Abulen. ùt patet Matth. c. 8. v. 5. Lucæ c. 4. v. 31. Tendebat Hieroſolymâ Chriſtus cum in itinere Luc. 17. v. 12. Occurerunt ei 10. viri leproſi, qui ſteterunt à longe, leproſi enim non poterant ingredi urbes & oppida, quare ante caſtellum occurrerunt. Ita Theophil. Tropologicè lepra eſt concupiſcentia, hæreſis, & peccatum quodlibet, uti oſtendit P. Cornel. à Lap. in Levit. c. 13. & 14. & Matth. 8 v. 2. His leproſis dixit Chriſtus Luc. 17. v. 14. Ite & oſtendite vos ſacerdotibus. P. Cornel. hìc, juſſit adire ſacerdotes, non ut ab illis ſanarentur, ſed ad honorem, & obſer-

Scandalum vitandum.

10. Leproſi ſanati. Lu 17.

 ſer-

ſervantiam ordinis Sacerdotalis. Item quia lex jubebat leproſos, ſi ſanarentur, oſtendere ſe ſacerdotibus, ut per eos reſtituerentur urbi & templo ac convictui hominum. Hi dum omnes ſanati, & unus tantùm gratitudinis ergo Chriſtum adiit, dixit Chriſtus. v. 17. Nonne 10. mundati ſunt & novem ubi ſunt. P. Cornel. hìc. Sic & hodie in aulis Principum, multi officia & beneficia captantes, ſeſe humiliant, at ubi obtinuerunt, ad ſuos quaſi cum præda avolant, nec amplius comparent. Quos proinde Alphonſus Aragonum Rex Vultures aulæ nuncupabat. teſte Panormit. Malitiam ingratitudinis graviter perſtringit S. Bernard. ſerm. 51. in Cant. Ingratitudo inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio. Et ſermone de 7. miſericor. Peremptoria res eſt ingratitudo, hoſtis gratiæ, inimica ſalutis.

Ingratitudo damnoſa.

185. Cùm Chriſtus veniſſet in templum, adducunt ſcribæ & Phariſæi ad illum Joan. 8. v. 3. Mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatuerunt eam in medio & dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio, in lege autem Moyſes mandavit nobis hujus modi lapidare. P. Cornel. à Lap. hìc. Hanc adulteræ hiſtoriam non habent nec legunt S. Cyril. S. Chryſoſt. aliique Græci interpretes, legunt tamen eam omnes Latini & Arabicus, ac legendam eſſe docet vulgata verſio, quam probavit Concil. Trid. ſeſſ. 4. unde patet illam eſſe Canonicam.

Mulierem deprehenſam in adulterio Chriſtus abſolvit. Joan. 8.

v. 6. *Hoc autem dicebant tentantes eum, ut poſſent accuſare eum. JEſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra.* P. Cornel. à Lap. cenſet, quòd vellent circumvenire Chriſtum, ſi diceret: lapidandam, illum apud populum traducerent, ſi non lapidandam, eum tanquam legi contrarium accuſarent. Potiùs verò putabant eum dicturum, non lapidandam. Obſervandā ſuæ manſuetudinis formam, nè populorum favores amitteret. Ait Rupertus. S. Auguſtin. Sed Dominus & in reſpondendo juſtitiam ſervavit, & à manſuetudine non receſſit.

Chriſtus ſcribebat in terra. 1. ut vultum averteret dorſumque obverteret, non tam infami adulteræ, quàm ipſis ſcribis eam accuſantibus. 2. Et potiùs ait P. Cornel. alludit Chriſtus ad illud Jerem. 17. v. 1. *Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungue adamantino.* Et ùt ait S. Auguſtin. S. Hieronym. & alii, magis propriè ad v. 13. *Omnes, qui te derelinquunt, confundentur, recedentes à te, in terra ſcribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.* q. d. vos O ſcribæ ad vivum pinxit Jeremias, vos adul-

adulteram accuſatis, ſed vos majora quàm illa perpetraſtis ſcelera. S. Ambroſ. Ep. 76. ad Stud. Scribebat in terra digito, quo ſcripſerat legem, peccatores in terra ſcribuntur, juſti in cœlo.

Quæres. Quidnā Chriſtus ſcribebat in terra. Reſpondet P. Cornel. à Lap. hìc. Hæc egit & ſcripſit Chriſtus in atrio templi, quod erat lapidibus ſtratum, quare in illis non poterat characteres literarum exprimere, ſed tantùm digito circumducto delineare. Videtur autē delineaſſe aliquid, quod ſcribis ruborem inijceret, aut eorum peccata argueret, nam hanc ſcripturam mox verbo explicans ſubdit. v. 7. *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.*

Imò S. Hieronym. l. 2. contra Pelag. ait, JEſum in terra ſcripſiſſe eorum, qui accuſabant & omnium peccata mortalium. S. Ambroſ. verò Ep. 56. quid ſcribebat, niſi illud propheticum Jerem. 22. v. 29. *Terra ſcribe hos viros abdicatos.* Quod de Jechonia ad literam ſcriptum eſt. Idem Ep. 79. cenſet, JEſum inter alia ſcripſiſſe: Teſtucam, quæ in oculo fratris tui eſt, vides, trabem verò, quæ in oculo tuo eſt, non vides. Alii cenſent ſcripſiſſe, Mane, Tecel, Phares.

Notandum, quod Chriſtus ſententiam ſuam non torqueret in Judices, ſed contra Scribas, qui privato zelo contendebant, ut Chriſtus judicium adulteræ ſibi uſurparet & juxta legem eam damnaret, quod ipſe meritò abnuit. Quare tacitè monet hìc Chriſtus judices, ut innocentem vitam agant, itaque digni ſint, qui nocentes damnent, ne eis populus occlamet, ſi hunc damnas, damna pariter te ipſum, S. Gregor. l. 4. moral. l. 13. dicit de iſtis Scribis, ad aliena quippe punienda peccata ibant, & ſua relinquebant, revocantur itaque intus ad conſcientiam, ut prius propria corrigant, & tunc alia reprehendant.

V. 8. Et iterum ſe inclinans, ſcribebat in terra. S. Hieronym. l. 2. contra Pelag. Dedit verecundiæ eorum clementiſſimus Judex ſpatium recedendi.

V. 9. *Audientes autem unus poſt unum exibant, incipientes à Senioribus.* Senes ergo primi exierunt, quod ipſi plura haberent crimina, qui diu vixerant, ait Ambroſ. Vel quia priores vim intellexerunt ſententiæ, quaſi prudentiores. v. 9. *Et remanſit ſolus JEſus,* (cum Apoſtolis & turba populi, in cujus medio ſtabat mulier) *& mulier in medio ſtans.* Relicti ſunt duo, ait S. Auguſtin. miſeria & miſericordia, nimirum abyſſus abyſſum invocat. v. 10. *Erigens autem ſe JEſus dixit: mulier, ubi ſunt, qui te accuſant? nemo te condemnavit? quæ dixit: nemo Domine, dixit autem JEſus, nec ego te condemno, vade, & jam amplius noli pecca-*

peccare. P. Cornel. Porrò Chriſtus hisce verbis abſolvit tum in foro fori coram populo, tum in foro poli, id eſt, in foro conſcientiæ, coram DEo, ùt patet, quod ſubdit. Vade & jam amplius noli peccare. Similiter condonans peccata Magdalenæ dixit: vade in pace. Luc. 7. Sed Chriſtus id apertè non dicit, ne Phariſæi habeant, quod carpant.

186.
Cæcum à nativitate Chriſtus illuminavit. Joan. 9.

Cùm exiſſet JEſus de templo, vìdit hominem cæcum à nativitate, luto illitis oculis ejus, eundem illuminavit, quem cæcum animoſè pro Chriſto diſputantem Phariſæi de templo ejecerunt. de quo Joan. 9. Circa hoc notanda. v. 1. *JEſus vidit hominem cæcum à nativitate.* S. Chryſoſt. ipſe, inquit, vidit cæcum, non cæcus ad eum acceſſit. Myſticè cæcus à nativitate eſt genus humanum, Adæ peccato originali occæcatum. ita S. Auguſtin. & Beda. Rurſum hìc cæcus notat Gentiles in ſua infidelitate natos & occæcatos, quos Chriſtus illuminavit, ait Beda.

V. 2. *Et interrogaverunt eum diſcipuli ejus, Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* P. Cornel. à Lap. hìc. Interrogatio hæc proceſſit ex rudis vulgi opinione, qua cenſet morbos eſſe pænas peccatorum, qua in re errat, etſi enim id ſæpe fiat, at non ſemper & ita Job. Tobias, innocentes licet, fuerunt morbis afflicti. v. 3. *Reſpondit JEſus neque hic peccavit neque parentes ejus.*

Non negat hic Chriſtus originali & aliis actualibus peccatis hunc cæcum & parentes ejus peccaſſe, ſed negat eum ob hæc peccata præ aliis, qui eadem vel majora commiſerant, cæcitate damnatum. Ita S. Auguſt. Chryſoſt. &c.

V. 6. *Exſpuit in terram* (Chriſtus) *& fecit lutum ex ſputo & linivit lutum ſuper oculos ejus.* Luto Chriſtus ſanavit, ut oſtenderet, ſe non naturaliter ſed ſupernaturaliter per id, quod plane erat morbo contrarium, ſanaſſe. Ita P. Cornel. Symbolica cauſa fuit, ait S. Chryſoſt. ut ſignificaret ſe eſſe eum, qui initio mundi hominem, quaſi figulus, è luteo formarat. Saliva ſua Chriſtus uſus eſt, ait Cyrillus, ut oſtenderet carnem ſuam quoque eſſe ſalutiferam, & vim medendi ſupernaturalem habere.

Caro Chriſti ſalutifera.

V. 7. *Et dixit ei* (Chriſtus) *vade, lava in natatoria* (piſcina, in qua natant piſces P. Cornel.) *Siloe.* Quod interpretatur miſſus. Siloe fons eſt ad radices montis, ad radicem Sion montis, qui non jugiter ſed in certis horis diebusque, inquit S. Hieronym. ebullit. Originem fontis hujus narrat Epiphan. l. de vita Prophetarum c. 7. Quomodo primum eruperit

pre-

precibus Iſaiæ, aqua hujus fontis uſi Judæi in obſidione, quoties eſſet neceſſe, cùm tamen, ſi accederent ad eum fontem externarum nationum homines, latex aufugiebat. Barthol. Saligniacus l. 10. Itinerarii Hieron. c. 1. Siloe, inquit, fons, cui piſcina natatoria Siloe, quæ & piſcina inferior nuncupatur, conjuncta eſt in occidentali latere vallis Joſaphat.

Illuminatus jam cæcus, inquirentibus Phariſæis reſpondit. v. 30. *Mirabile eſt, quia vos neſcitis, unde ſit & aperuit meos oculos. Scimus autem, quia peccatores DEus non audit.* Quæres: Quomodo hoc verum, quod peccatores DEus non audit. Reſpondetur apud P. Cornel à Lap. hìc. 1. DEus ordinariè peccatores non exaudit, peccatores, inquam, in peccato perſeverantes, aliquando tamen illos exaudit, ſed id rarum eſt. Ita Janſen. Id ita eſſe patet ex ſcript. Iſaiæ 59. 1. Aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat, ſed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & DEum veſtrum. 2. Et magis propriè ad rem propoſitam, Deus non exaudit peccatores, nimirum hac ratione & modo, ut ad declarandam illorum ſanctitatem, quæ nulla & ficta eſt, miracula faciat. Ita Theophilact. Euthym. &c. 3. S Auguſt. l. 3. de Bapt. contra Donatiſt. c. 20 reſpondet, cæcum hunc id dixiſſe generaliter, cùm adhuc eſſet catechumenus & necdum ſatis in fide inſtructus. Audi S. Auguſt. hæc adhuc inunctus loquitur, nam & peccatores DEus exaudit: alioqui fruſtra publicanus diceret. DEus propitius eſto mihi peccatori, ex qua confeſſione meruit juſtificationem, ſicut & cæcus ille illuminationem. Tandem profeſſus eſt fidem ille cæcus v. 38. Credo Domine. Et procidens adoravit eum. Quo circa vir ſanctus & Apoſtolicus evaſit, de quo Petrus de Natal. Epiſc. Eſquilinus in catal. Sanct. l. 5. c. 102. Cedonius Epiſcopus, inquit, vel Sidonius fuit, ille cæcus à nativitate. Qui ab aliquibus dicitur unus ex 72. Chriſti Diſcipulis, ſive autem ex numero illorum fuerit, ſive non, planum habetur ex Chronicis & Geſtis Diſcipulorum, quod Chriſti diſcipulus fuit, & poſt aſcenſionem Domini ab Apoſtolis Baptizatus, S. Maximo ſpecialiter adhæſit & cum eodem & Lazaro atque ſororibus, naviculæ impoſitus, à finibus Judæorum expulſus fuit.

Peccatores DEus quomodo audit.

Sub id tempus adiit Chriſtum quidam Legisperitus, quem docuit, allata parabolâ ejus, qui inciderat in latrones, miſericordiam erga proximos. de quo Joan. 10. 187.

Samaritanus vulneratum à latronibus Judæum ſanat. Luc. 10.

Notanda ex P. Cornel. à Lap. hìc. Hæc parabola ſumpta à re, quæ ſæpè tunc temporis contingebat, ideóque vera hiſtoria & res

ge-

geſta. Nam ùt notat S. Hieron. inter Jeruſalem & Jericho erat locus latroniis infeſtus, ideóque ex Hebraico dictus Rubens, quia multus in eo ſanguis fundebatur.

V. 31. *Accidit autem, ut ſacerdos quidam deſcenderet ea via: & viſo illo præterivit.* P. Cornel. q. d. Sacerdos horore plagarum vulnerati perculſus, non tantùm ad illum non acceſſit, ſed retrorſum abiit. Ita Titus, Theophilact. Notat hìc Chriſtus inhumanitatem ſacerdotum illius ævi, qui externas tantùm ceremonias, victimas & oblationes, quibus ipſi ditabantur curantes, internam charitatem peſumdabant. Ita P. Cornel. Profert Chriſtus exemplum Samaritani, ut oſtendat, non ſolos amicos ſed & inimicos (talis enim Judæis erat Samaritanus) eſſe proximos noſtros.

Tropologicè S. Greg. 2. Moral. c. 8. In vino ait morſus diſtrictionis, in oleo mollities pietatis. Miſcenda ergo lenitas cum acritate, ut vulnera animæ ſanentur.

Allegoricè. Homo eſt Adam lapſus in peccatum, vulneratus &c. Latrones ſunt dæmones, Samaritanus id eſt cuſtos eſt Chriſtus. Vinum eſt ſanguis Chriſti, quo vulnera noſtra abluuntur. Stabularius is, qui Eccleſiæ præeſt. Oleum eſt miſericordia Chriſti. Ita P. Cornel. cum aliis.

V. 36. *Quis eorum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? at ille dixit: qui fecit miſericordiam in eum, & ait illi JEſus: vade & tu fac ſimiliter.* Ut videlicet, inquit S. Aug. l. 5. de doctrin. Chr. Eum eſſe proximum intelligamus, cui vel exhibendum eſt officium miſericordiæ, ſi indiget, vel exhibendum eſſet, ſi indigeret. Nullum autem exceptum eſſe, cui miſericordiæ denegetur officium, quis non videat, quando ad inimicos usque porrectum eſt. Addit S. Auguſt. quid tam remotum, quàm DEus ab hominibus, cùm haberet in ſe DEus duo bona juſtitiam & immortalitatem, & nos dua mala iniquitatem & mortalitatem, factus eſt mortalis, & itá prope nos, non id, quod nos, id eſt peccator, ſuſcipiendo pænam & non culpam, culpam delevit & pænam. Cauſam à priori dat Iſidorus Peluſiota l. 4. Ep. 1. 23. Proximitas enim naturâ æſtimatur, non virtute, ſubſtantiâ non dignitate, compaſſione non loco.

Chriſtus apud Martham hoſpitatur; Magdalena ad ejus pedes excubat. Lucæ 10.

Subdit D. Lucas c. 10. Chriſtum in Judæa iter habentem hoſpitio acceptum à Martha ſorore Mariæ & Lazari. P. Cornel. à Lap. ad cap. Lucæ 10. v. 38. Laudatur in Martha virtus hoſpitalitatis, quod JEſum ſcribis & Pontificibus exoſum hoſpi-

ſpitio exceperit, ſed excipiendo hominem, recepit pariter DEum. Quocirca Chriſtus Marthæ morienti apparuit, eique præmium hoſpitalitatis rependit, atque eam ad cæleſte non hoſpitium ſed regnum invitavit, dicens: veni hoſpita mea dilectiſſima, quia ſicut tu me in domum tuam recepiſti, ſic ego te in cœlum meum recipiam. Ita habet ejus vita, quæ ex S. Antonino addit: Chriſtum ſua præſentia ſepulturam S. Marthæ honoraſſe.

V. 39. *Et huic* (Marthæ) *erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Reſpiciens Mariam D. Auguſt. ſerm. 27. de verb. Dom. Quantò hìc melius ad pedes ſedebat, tantò amplius capiebat, confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis. Et ſerm. 26. Maria cauſam ſuam maluit judici (Chriſto) committere, nec in reſpondendo voluit laborare. v. 41. *Reſpondens dixit illi Dominus, Martha Martha ſollicita es & turbaris erga plurima, porrò unum eſt neceſſarium.* Quæres. Quidnam eſt hoc unum idque neceſſarium. Reſpondent Lutherus cæterique ejusdem farinæ Novatores, hoc unum eſſe fidem, ſeu audire Evangelium, hoc enim tantùm dicitur hìc feciſſe Magdalena. Cenſent enim fidem ſolam eſſe neceſſariam ad ſalutem. Crede, inquiunt, te per merita Chriſti ſalvandum & ſalvaberis. Verùm hæc fides eſt temeraria, ait P. Cornel. à Lap. hìc, fallax & falſa, nam illam poſſunt habere blaſphemi, fures & latrones, præter fidem enim ad ſalutem neceſſaria eſt ſpes, charitas & opera bona, ùt patet Matth. 19. v. 17. 1. Cor. 13. idque patet in ipſa Magdalena, quæ ita verbum Domini audiebat, ut illa exequeretur per opera charitatis, humilitatis & pænitentiæ. Meliùs ergo Orthodoxi plures per unum intelligunt unum cibi genus. ita S. Baſil. Theoph. S. Gregor. S. Thomas &c. citati à P. Cornel. à Lap. 2. Sublimius & magis appoſitè. Unum neceſſarium, eſt unius DEi ac ſalutis æternæ cognitio ſtudium & amor, cui quaſi optimæ Patri & ſorti totam afflixit ſe Maria. Ita Beda, Euthym. &c. Hoc unum deſiderabat Pſaltes Pſ. 26. Unam petii à Domino &c. Quocirca S. Ægydius interrogatus, quæ eſſet via ad ſanctitatem & perfectionem, reſpondit: una uni una. Scilicet anima uni DEo uniatur. Tropologicè unum hoc adipiſceris per orationem, contemplationem, hæc enim nos Uni DEo jungit. Religioſi eſt unum ipſum ambire & ad ſacram Monadem cogi, ait S. Dionyſius. Quid ergo O infelix anima per multa vagaris. ait S. Auguſt. re-

Ad humiles gratia DEi defluit.

Defenſio noſtri DEo relinquenda.

Opera bona ad fidem neceſſaria.

Natura paucis contenſa

DEus omnia. requiem quæris & non invenis, ama unum, in quo sunt omnia & in eo læta, saturáque requiesces.

V. 42. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* P. Cornel. hic q. d. Tu O Martha bonam partem elegisti, sed Maria meliorem. Non tu malam sed illa meliorem. ait S. August. Ecce pars Marthæ non reprehenditur, ait Beda, sed Mariæ laudatur. Aliam rationem symbolicam dat S. August. serm. 27. Sed unde meliorem? quia tu circa multa, illa circa unum, præponitur unum multis, non enim à multis unum, sed multa ab uno. Et inferius multa sunt, quæ facta sunt, Unus est, qui fecit. Bona valde, quæ fecit. quanto melior ille, qui fecit. Porrò pars Mariæ, quam Christus optimam vocat, est relictis terrenis omnibus, Christo assidere, soli DEo rebusque divinis vacare. Ita P. Cornel. Hinc noster P. Suarez Tract. de orat. ment. Optimam, inquit, partem elegit Maria, quia oratio mentalis est quasi hujus vitæ beatitudo, ipsa enim est quasi inchoatio vitæ beatificæ.

Mentalis oratio inchoatio vitæ beatificæ.

Rectè hic sortem Christus vocat partem, quia pars bona perfectæ vitæ est sors Marthæ, sive vita activa, sed melior est pars, id est sors Mariæ, sive vita contemplativa. At verò vita mista, comprehendens simul actionem & contemplationem, non est pars sed totum, sive tota perfectio, atque hujus totius respectu Christus, unamquamque vocavit partem. Mistam ergo vitam egit Christus, pernoctans in oratione, ac per diem prædicans. Joannes Baptista & Apostoli. ita P. Cornel.

Vita mista perfectissima.

Activa vita est ait S. Greg. lib. 2. in Ezech. hom. 14. Panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere. Contemplativa verò vita est, charitatem quidem DEi & proximi tota mente retinere, sed ab exteriore actione quiescere. &c. Vita contemplativa facit hominem toto mundo altiorem, ut conversetur in cælis. Hæc proinde est charissima DEo sponsa, quæ pacatissimè in sola rerum divinarum meditatione conquiescit. Dicitque in pace in idipsum dormiam & requiescam. Causam dat S. Bernard. ser. 29. in Cant. Tranquillus DEus tranquillat omnia & quietum aspicere, quiescere est. Vita contemplativa acquiritur per vitam activam, puta per mortificationem, contemptum rerum omnium &c.

B. Virgo optimam partem elegit.

Appositè Ecclesia hoc Evangelium legit in Festo Assumptionis B. Mariæ. Quia illa fuit officiosissima DEo hospita. Quia ipsa utrumque officium Marthæ & Magdalenæ implevit. Audi S. Ildephon. serm. 5. de Assumpt. De ista dicitur; Optimam partem elegit, quia prima omnium fæminarum DEo virginitatem obtulit, & idcirco promeruit, ut DEi Filius ex ea corpus nostræ redemptionis susciperet.



Caput decimum.

Mulier inclinata erecta à Chriſto. Super deſolatione Hieroſolymæ lamentatur Chriſtus. Hydropicum ſanat. Parabola de nuptiis Filii Regis. De cæna magna De ove perdita. De drachma. De Filio prodigo. De villico iniquitatis. Hiſtoria Epulonis & Lazari.

188. Mulier inclinata erecta. Lucæ 13.

SUb id tempus Chriſtus mulierem inclinatam erexit, de qua Luc. 13. v. 11. Tropologicè mulier hæc gerit typum animæ, bonis terræ inhiantis. P. Cornel. hìc. Audi S. Greg. Hom. 31. Recta quippe ſtat anima, cùm ſuperna deſiderat & nequaquam flectitur ad ima. Deinde occaſione monitionis ſibi factæ de Herodis inſidiis, Chriſtus prædicit ſe occiſum iri Hieroſolymis, ſuper cujus deſolatione lamenatur. Lucæ 19. v. 41. videns civitatem flevit ſuper illam, dicebatque v. 42. *Quia ſi cognoviſſes & tu & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſondita ſunt ab oculis tuis.*

Super deſolatione Hieroſolymæ lamentatur Chriſtus. Lucæ 19.

Tropologicè S. Gregor. Hom. 39. Suam hic diem habet anima perverſa, quæ tranſitorio gaudet in tempore, Cui ea, quæ ad ſunt, ad pacem ſunt, quia dum rebus temporalibus lætatur, dum honoribus extollitur, dum in carnis voluptate reſolvitur, dum nulla pænæ venturæ formidine tenetur, pacem habet in die ſua, quæ grave damnationis ſcandalum, in die habebit aliena.

Dixit deinde Chriſtus de illa civitate Hieroſolymitana v. 44. *Ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* P. Cornel. à Lap. hìc id eſt funditus deſtruent te. Eſt Hyperbole, neque enim Romani fuerunt tam curioſi vel otioſi, ut nullum lapidem ſuper alium relinquerent. Hoc quoque ait S. Gregor. Hom. 29. Ipſa jam ejus civitatis transmigratio teſtatur, quia dum nunc in eo loco conſtructa eſt, ubi extra portam fuerat Dominus

nus crucifixus, prior illa Jeruſalem funditus eſt everſa. Mons enim Calvariæ, ait P. Cornel. modo ſitus eſt in medio novæ Jeruſalem. Hæc tanta ruina provenit inde urbi huic Regiæ, quod non cognoverit Chriſtum v. 44. *Eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Theophylact. Viſitationis tuæ, hoc eſt, mei adventûs, quando veni, ut inviſerem te & ſalvarem. Tropologicè hæc omnia, ait S. Gregor. Hom. 39. in morte contingunt animæ, quæ voluptatibus carnis ſervivit, tunc enim Dæmones undíque eam cingunt, tentant. Tunc omnis illa lapidum id eſt cogitationum conſtructio diſſipabitur, eò quòd non cognoverit tempus viſitationis ſuæ, quo eam Deus per Prædicatores, Confeſſarios &c. monuit, ut ſaluti ſuæ conſuleret.

Hieroſolymæ ruina typus ruinæ animæ.

Hydropicus Sanatus Luc. 14.

Sanavit deinde Chriſtus Hydropicum, de quo Luc. 14. Myſticè S. Gregor. 14. Moral. Sanatur, inquit, Hydropicus ante Phariſæum, per ægritudinem enim corporis illius, hujus cordis ægritudo exprimitur, laborabat enim hydrope avaritiæ & cupiditatis.

Hydropicus eſt dives avarus, qui, quò magìs abundat, eò magis ſitit, ait S. Auguſt. L. 2. Avaritia ergo & cupiditas quælibet eſt hydrops myſticus, ait P. Cornel. à Lap. hîc. 1. Quia fluxa eſt. 2. Quia ſitim accendit. 3. Hydrops inducit tumorem, opulentia divitem facit tumidum. &c.

Matth. 22. Proponitur à Chriſto celebris illa Parabola de invitatis ad nuptias & de non habente veſtem nuptialem. Similis eſt hæc Parabola illi Lucæ 14. v. 16. De invitatis ad Cænam magnam. Imò Maldonatus putat, illam eſſe eandem cum Priore. S. Gregor. S. Thomas &c. putant aliam eſſe vel eandem, ſed bis, alitérque, repetitam, pluráque in illis videntur eſſe diverſa. In priori Parabola Matth. 22. Homo Rex eſt Deus Pater, Filius Regis ſponſus, eſt Filius Dei Incarnatus, ſponſa Eccleſia, cum qua inchoatæ Nuptiæ in Incarnatione in Cælo conſumabuntur per Gloriam. Ita S. Hilarius S. Hierony. S. Gregor. & alii. citati à P. Cornel. à Lap. hîc. Altilia, quæ recenſentur in Parabola, non ſunt alites, ſed Tauri & alia Animalia, quæ ſaginantur, dicta Altilia ab alendo. Ita S. Grego. Ager & villa, in quem abière invitati, negligentes invitationem ſunt bona temporalia, quæ Judæos à bonis Cæleſtibus avocarunt, ideóque ipſi Dei ſervos Apoſtolos &c. imò ipſum Chriſtum occiderunt, quo circa Deus miſit Veſpaſianum & Titum, qui Judæos quaſi homicidas perdiderunt.

Nuptiæ Filii Regis. Matth. 22.

derunt. Exitus viarum idem ſunt, quod viæ. Per veſtem Nuptialem non fides, ùt volunt Hæretici, ſed charitas morúmque probitas & ſanctitas intelligitur. Ita S. Hieronym. Chryſoſt. & alii. Scopus Chriſti proprius & directus eſt hâc parabola ſignificare, reprobatis Judæis incredulis, vocandas eſſe ad Chriſtum Gentes. P. Cornel. Vox, *Amice*, ſignificat Deum hæc impiis dicturum, non ex odio condemnationis, ſed amicè ex zelo juſtitiæ. Per vincula manibus & pedibus impoſita, ſignificatur pæna damnatorum. Hinc S. Greg. Hom. 28. (ſcilicet in Evangelia) tunc ligat pæna, quos modo à bonis operibus ligavit culpa, qui ergo nunc ſpontè ligantur in vitio, tunc in ſupplicio ligantur invitè. De tenebris audi S. Grego. Interiores tenebræ ſunt cæcitas cordis, exteriores tenebræ æternæ damnationis nox.

Cæna magna, à qua ſe excuſant. Lucæ 14.

Similis vel eadem repetita Parabola Lucæ 14. In qua per cænam magnam, 1. Aliqui intelligunt verbi Incarnationem. 2. S. Cyrillus in Catena. Eucharistiam. 3. Genuine & ad Literam. Ait P. Corn. hîc Cæna hæc eſt Beatitudo & Gloria Cæleſtis. Cæna magna ait S. Greg. Hom. 36. Eſt Satietas dulcedinis æternæ. Nam, út ait Gloſſa, poſt prandium Cœna reſtat, poſt Cænam nullum Convivium. Magna Cæna eſt, quia in illa Deus epulum eſt. Unde Euthym. ſignificatur, ait ineffabilis Dei fruitio. De excuſantibus ſe, audi S. Greg. Hom. 36. In Evan. Deus, quod rogari debuerat, non rogatus dare vult, paratas delicias æternæ refectionis denuntiat, & tamen ſimul omnes excuſant. Et rurſum. *Dum dicit, rogo te, & tamen venire contemnit, humilitas ſonat in voce, ſuperbia in Actione.* Idem S. Grego. Hom. 36. in Evang. per 5. juga boum, 5. Senſus intelligit. Qui, (ſenſus) rectè juga vocati ſunt, quia in utróque ſexu geminantur, ait ibidem S. Doctor. Quid per Uxorem niſi voluptas carnis accipitur. Addit ibidem. Notat hîc P. Cornel. Quod Conjugium non reprehenditur (niſi quatenus animus illi nimis intentus avocatur à ſalute) ſed integritas ad majorem honorem vocatur. S. Auguſtin. de Verb. Dom. Secundum Lucam Ser. 33. In villa empta Dominatio notatur, ergo ſuperbia caſtigatur, quia inventa ſuperbia venire noluit.

Parabola Ovis perditæ. Matth. 18.

189. Cùm Publicanos & Peccatores reciperet Chriſtus, de more murmurabant Scribæ & Phariſæi, quare repreſſit eos Dominus tribus parabolis, de ove perdita, Drachma, & filio prodigo,

digo, perditis, quibus oſtenditur, quantam Deus curam Peccatorum habeat P. Salian.

Parabola ovis perditæ proponitur Matth. 18. & Lucæ 15. Per 99. Oves multi accipiunt Sanctos Angelos, per ovem centeſimam, totum Genus humanum. Ita S. Hilarius Theophil. & alii citati à P. Cornel. à Lap. in Matth. c. 18. v. 12. 2do. Per oves accipi poſſunt ſoli homines, (P. Cornel.) ſed ita, ut illis applicetur tota Parabola ſimul. q. d. Sicut Paſtor quærit ovem etiam unicam & gaudet inventâ ea, ita Chriſtus quæſivit genus humanum, eóque reducto gaviſus eſt. Simul tamen propriè & directè intendit ſignificare ſuum optimi Paſtoris zelum, ſcilicet quòd ſi 100. duntaxat eſſent homines, è quibus unus erraſſet, ipſe 99. relicturus eſſet, ut unicum quæreret. Ita Janſen. Maldonat. 3tio. Speciatim hæc Parabola applicanda eſt Puſillis, id eſt, pauperibus. Ita P. Cornel. Gaudium majus eſt habitu ſuper 99. Ovibus, nam ſi eligendum illi eſſet, mallet unam perdere quàm 99. Majus eſt tamen actu ſuper una inventa, quia hæc nova reductio novum ciet gaudium, tum quia pellit triſtitiam ex unius perditione conceptam. Ita P. Cornel.

Eandem Parabolam de ove tradit D. Lucas c. 15. ubi notat apud Cornel. S. Grego Nyſſ. in catena, clementiam Paſtoris. Cùm Paſtor inveniſſet ovem, non punivit, non duxit ad gregem urgendo, ſed ſuperponens humero & portans clementer annumeravit gregi.

Correptio mitis.

Quòd tantum ſit gaudium Deo & Angelis ſuper uno Pænitente, dat cauſam S. Gregor. Plerúmque gratior eſt Deo fervens poſt culpam vita, quàm ſecuritate torpens innocentia.

De Drachma perdita & inventa gaudium. Lucæ 15.

Alteram parabolam de Drachma perdita proponit S. Lucas, c. 15. Drachma valet Julium ſive Regalem Hiſpanicum P. Cornel. hìc, S. Gregor. Nyſſ. in caten. per 10. Drachmas intelligit 10. virtutes, quarum nullam oportet nobis deeſſe, ideóque ſunt decem inſtar Decalogi, Lucerna eſt verbum Divinum, vel pænitentiæ Lampas.

Parabola Filii prodigi. Lucæ. 15.

Item D. Lucas itidem c. 15. proponit parabolam de Filio Prodigo, qui fuit adoleſcentior, per quem, juxta P. Cornel. à Lap. in cap. 15. Lucæ. v. 12. Significantur Peccatores & Meretrices, adoleſcentia enim liberior, ſtultior, ad luxuriam pronior. Subſtantia, quam ſibi expoſcebat adoleſcentior, juxta S. Hieron. Auguſt. &c. citatos à P. Cornel. hìc eſt liberum arbitrium, quia per illud quiſque

libere vivit, ùt libet, ait S. Hieronym. Theophilact.

v. 13. *Adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in Regionem longinquam, & ibi diſſipavit Subſtantiam vivendo luxurioſè.* S. Auguſtin. L. 2. quæſt. Eva. q. 33. Regio longinqua eſt oblivio Dei. S. Hieronym. Epi. 146. Sciendum non locorum ſpatiis ſed affectu, nós eſſe cum Deo, aut ab eo diſcedere. Porrò quando egreditur Homo à Deo, ait Theophylact, & ſe à timore Dei elongat, omnia divina dona expendit, prodigit, & diſſipat.

In regione illa longinqua prodigus Filius. v. 14. Cæpit egere. Myſticè P. Cornel. Peccator laborat inopia omnium rerum naturalium & ſupernaturalium, quia nulla re, nullo ſenſu, nulla animi vi rectè uti novit, ac in augmentum gehennæ expendit, quod perinde eſt, ac ſi ea non haberet. Pulchrè quidam, ùt advertit D. Hieronym. Voluptatis inſatiabiles cupiditates deſcripſit: Quæritur in ludo ludus, deeſt hortus in horto. Hinc D. Petrus Chryſol. Serm. 2. *Ecce quid faciat cupiditas ad cenſum præceps, civem in Peregrinum, Filium in Mercenarium, locupletem in egenum, Liberum mutavit in Servum.*

Ad tantam egeſtatem venit opulentus adoleſcens, ut de illo dicatur Luc. 15. v. 16. *Cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* P. Cornel hìc. Siliquæ ſunt inanes fabarum piſorum aliorumque leguminum folliculi & involucra. Janſenius per ſiliquam hìc accipit ſiliquam Græcam, quæ eſt arbor fructum producens lignoſum, ſiliquâ inſtar fabæ obtectum. S. Petrus Chryſolog. Ser. 1. *Luxuriæ fames tortor apponitur, ut ibi ultrix pæna ſæviat, ubi pænalis reatus exarſerat. Quàm crudele miniſterium, néque convivit porcis, qui vivit porcis. Miſer qui porcorum deficiet & eſurit in ſaginam. Miſer qui Squalentis cibi cupit, nec impetrat qualitatem.*

Luxuriæ pæna.

S. Auguſt. S. Hieronym. S. Ambroſ. Per ſiliquas intelligunt Sæculares & inanes ſcientias. Plenius ait P. Cornel. per ſiliquas accipias, voluptates carnales, quæ hominis appetitum non ſatiant, ſed inflant.

v. 17. *In ſe autem reverſus filius prodigus* redit ad Patrem. Interlinearis benè, in ſe revertitur, quia à ſe receſſit. v. 18. Dicit: *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* S. Petr. Chryſol. Serm. 1. eſt penes Patrem dulcis conditio, libera ſervitus, abſoluta cuſtodia, timor lætus, blanda ultio, paupertas dives, ſecura poſſeſſio. Paulopoſt hoc petit, quia *qui penes extraneum, ſervam ſenſerat libertatem, penes Patrem,*

trem, credit ſibi futuram liberam ſervitutem. Pænitens dicebat Filius v. 18. *Peccavi in Cælum.* P. Cornel. hìc. id eſt peccavi graviſſimè, ita, ut peccata mea clament quaſi vindictam in Cælum, aut per Hebraiſmum in Cælum, id eſt in Deum, quem quaſi Cæli Regem per Cælum Hebræi ſignificant. S. Hieronym. Peccaverat in Cælum, qui Jeruſalem cæleſtem reliquerat.

Deus gratia prævenit.

v. 20. *Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum Pater ipſius.* Quia Deus hominum pænitentiam ſua miſericordia & benignitate ſolet antevertere, ait Titus & Nyſſenus. Confeſſionis meditatio placavit ei Patrem. Juſſit Pater propter iſtum Filium afferri v. 22. *Stolam Primam.* P. Cornel. id eſt, Priſtinam, quâ ante abitum uti ſolebat in domo Patris. Porrò Stola, annulus, calcei &c. Significant. 1. Gaudium Patris, id eſt, Dei & Angelorum de Peccatore converſo. 2. Peccatorem Pænitentem in eundem aut meliorem, quàm ante habuerat ſtatum à DEO reſtitui.

Per indignationem ſenioris Filii exprimitur, ait Euthym quod tantam demonſtrat (Deus) circa eos, qui reſipiſcunt, gratiam, ut ceteris invidiam movere poſſit. Sic quoque Theophyl. S. Chryſoſt. alioquin juſti non invident Peccatoribus pænitentibus gratiam. P. Cornel. cenſet, quòd indignatio hæc & murmur Senioris ſignificat murmur & invidiam Phariſæorum, qui ſe putabant juſtos & murmurabant, quòd Chriſtus Peccatores reciperet. Senior, ait S. Ambroſ. dicitur eò, quòd citò aliquis per invidiam conſeneſcat. Porrò invidia exedit & corrodit hominem.

Invidia in Juſtis non eſt.

Scopus Parabolæ, ait Theophyl. eſt propter Phariſæos obmurmurantes, quòd Peccatores ſuſciperet, docere, quod etiamſi juſti ſimus, non repellendi ſunt Peccatores, néque obmurmurandum recipiente illos Deo.

190\.

Parabola villici iniquitatis. Lucæ. 16. Avaritiam arguit.

Cùm Salvator æmulorum ſuperbiam & invidiam præcedenti parabola contudiſſet, altera parabola de villico iniquitatis, illorum avaritiam arguit. Lucæ 16.

Nomine villici intelligitur Æconomus, Magiſter vel Præfectus Domus, villæ vel villarum Adminiſtrator & Diſpenſator. Ita P. Cornel. à Lap. hìc. Moraliter S Chryſoſt. in Caten Erronea opinio eſt poſſideri à nobis ut Dominis res hujus vitæ & ut Bona propria, ſumus enim velut hoſpites & advenæ, quibus nunc diſcedendum eſt, & Diſpenſatores alienorum, quare nobis villici humilitas & modeſtia aſſumenda eſt.

eſt. Villicus ille dicitur diffamatus, id eſt, accuſatus, unde diabolus idem eſt quod accuſator, ait P. Cornel. Quia nos apud Deum accuſat, ſive verè, ſive falsò & per calumniam. Dicitur v. 6. *Accipe cautionem tuam: & ſede cito, ſcribe 50.* q. d. (P. Cornel.) Syngrapham obligatoriam, qua olim mihi tradita teſtaris te Hero meo debere 100. Cados olei, ecce tibi reddo, accipe ergo eam & lacera, ac pro ea ſcribe aliam, qua tantum fatearis te debere 50.

Dicitur v. 8. *Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet.* Dominus (P. Cornel.) id eſt Herus villici, non Chriſtus Dominus, ùt vult Eraſmus. Laudavit autem non factum utpotè injuſtum, ſed prudentiam vel ſolertiam, induſtriam, ingenium villici, ſicut cùm ingenioſum audimus facinus, damnamus ſcelus, laudamus ingenium.

Dicitur. v. 8. *Filii hujus ſæculi prudentiores Filiis lucis*, ſcilicet in temporalibus. Verè dixit vir Sapiens. ait P. Cornel. In rebus temporalibus ſumus Solones, in Spiritualibus Moriones, in terrenis Lynces, in Cœleſtibus Talpæ. S. Auguſtin. L. 11. de Gen. Prudentiores ſunt Filii ſæculi, ait, ad conſulendum ſibimet in poſterum, quamvis fraude non jure.

Dicitur v. 9. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis.* Id eſt, de opibus, ait P. Cornel. quæ dicuntur mammona iniquitatis. Quia ſæpe per iniquitates, uſuras, rapinas, acquiruntur. 2. Dicuntur iniquitatis ſive iniquæ id eſt infidæ & fallaces per Hebraiſmum. 3. Quia ſunt materia & illecebræ fraudum omniſque peccati. 4. Quia iniqui illas ſolas putant divitias, nec norunt Divinas & Cæleſtes. Ita S. Auguſt. Serm. 35. de verb. Dom. Porrò Chriſtus vocat opes, mammonam iniquitatis, id eſt Plutum, qui à gentilibus colebatur, quaſi Deus divitiarum. q. d. Aurum vobis eſt quaſi Idolum, ſed ſcitote illud Idolum eſſe iniquitatis, vanum, falſum, confringite hoc, & in pauperes erogate.

Pauperes Amici. Per amicos intelliguntur pauperes juxta P. Cornel. à Lap. hi enim, ſi ſancti ſunt & recepti in cælum, eodem ſuos Benefactores, ſuis precibus & meritorum communicatione recipient. Ita & S. Auguſt. L. 2. Quæſt. Ev. q. 38. Non propria poteſtate quaſi gratificando recipiunt, ſed promiſſione atque repromiſſione illius, qui eos conſilio præmonuit, ut ſibi amicos facerent, & qui ſe ipſum paſci, veſtiri, hoſpitio recipi, viſitari in unoquoque minimorum ſuorum, Liberatoris bonitate dignatus eſt.

191. Hiſtoria Epulonis & Lazari. Lucæ. 16. Diſputantem ſub parabola villici iniquitatis Chriſtum de facienda Eleemoſyna irridebant Phariſæi, quare addidit Chriſtus hiſtoriam de Divite & Epulone, ob inhumanitatem in Lazarum mendicum, inferni ſuppliciis addicto. Lucæ 16. Sed quæritur, an hæc ſit parabola, an vera hiſtoria? Reſpondet P. Cornel. in Lucæ c. 16. v. 19. Eſſe veram hiſtoriam. 1. Quia Chriſtus eam non vocat Parabolam, uti facere ſolet in parabolis, ſed narrat quaſi veram hiſtoriam. 2. Quia Mendicus hic nominatur Lazarus, dives verò Epulo vocatur Nincuſis, ùt habet Hebræorum traditio. ait Euthym. 3. Quia in honorem hujus Lazari quaſi Sancti & Leproſorum ac ulceroſorum Patroni plures vetuſtæ extant Eccleſiæ ac imprimis Romæ extra urbem & Portam Angelicam extat Eccleſia & Hoſpitale S. Lazari pro cura leproſorum. 4. Quia ita cenſent, Irenæus, S. Chryſoſt. S. Gregor. &c. citati à P. Cornelio hîc. Licet Juſtinus, Theophyl. Eucher. contrarium ſentiunt, dicuntque eſſe Parabolam. Porrò dives hic videtur fuiſſe Judæus, uti ex v. 24. & 31. Ubi Moyſem nominat & Abraham invocat, colligit Euthymius. v. 19. *Induebatur purpura & byſſo.* Purpura Regum & Principum veſtis. Byſſus genus Lini candidiſſimi & molliſſimi. Audi S. Gregor. Hom. 40. in Evang. Et ſunt nonnulli, qui cultum ſubtilium pretioſarúmque veſtium non putant eſſe peccatum, quodſi videlicet culpa non eſſet, nequaquam Sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives hic, qui torquebatur apud inferos, byſſo & purpura indutus fuiſſet. Nemo quippe veſtimenta pretioſa, niſi ad inanem gloriam quærit, videlicet, ut honorabilior cæteris eſſe videatur. Veſtium luxus culpabilis.

Et epulabatur quotidie ſplendidè. S. Greg. L. 1. Moral. c. 4. docet, convivia ferè ſine culpa celebrari non poſſe, penè enim ſemper epulas comitatur voluptas. Penè ſemper epulas loquacitas ſequitur, cúmque venter reficitur, lingua non refrænatur. v. 20. *Erat quidam mendicus nomine Lazarus* S. Cyrill. in caten. ait. Refert traditio Judæorum fuiſſe tùnc temporis Lazarum quemdam Hieroſolymis, extrema preſſum inopia & infirmitate. Mendicus ſubſtantiâ pauperrimus & virtute ditiſſimus. Lazarus hebraicè Laazar, id eſt ad adjuvandum, hoç eſt, ad adjutorium poſtulandum palam expoſitus. Hic ita jacebat, ut vide- Convivia fere culpa comitatur.

videret eum Dives, ait S. Chryſoſtom. ejuſque miſeriam obſervare poſſet & exiens & revertens.

V. 21. *Canes veniebant & lingebant ulcera ejus.* Nec verò ipſe valebat eos abigere, adeò erat fractis viribus, ait S. Chryſoſtom. Idem Hom. 1. de Lazaro, atroces Lazari afflictiones enumerat 1. Extrema paupertas. 2. Gravis ægritudo. 3. Ab omnibus fuit deſertus. 4. Jacebat ante fores divitis quotidie ſplendidè epulantis. 5. Crudelitas divitis. 6. Nullum habebat ærumnæ ſocium. 7. Quod diutius hæc per plures ſeptimanas pateretur. 8. Jacturam famæ tolerabat, multi enim cenſebant illum tanta pati ob ingentia ſcelera ſua.

V. 22. *Factum eſt autem, ut moreretur.* P. Cornel. hìc. Ex morbis & doloribus, ac rerum omnium inopia. *Et portaretur* (anima ſcilicet ejus) *ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Quæres: quid iſte ſinus Abrahæ? Reſpondet S. Auguſt. L. 4. de anima & ejus Orig. c. 16. Sinus Abrahæ eſt locus quietis, in quo poſt mortem recipiebantur & etiamnum recipiuntur Imitatores fidei & pietatis Abrahæ, qui ante Chriſtum limbus Patrum, poſt Chriſtum eſt Cælum, quod eſt Paradiſus Beatorum.

Sinus Abrahæ quid.

Calvinus L. 3. ſuarum Inſtit. c. 26. §. 6. loquens de animabus Beatorum, dicit, adhuc eas in ſinu Abrahæ hærere & cum gaudio expectare gloriæ promiſſæ fruitionem, & omnia nunc velut ſuſpenſa eſſe, quouſque Chriſtus appareat ut Redemptor. Si ita eſt, fruſtrabatur S. Paulus ſuo deſiderio ad Philip. c. 1. v. 3. Deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Si ita eſt, vana eſt promiſſio facta Latroni Lucæ 23. v. 43. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Et S. Stephanus alias fruſtra petiiſſet. Act. 7. v. 59. Domine JEſu ſuſcipe ſpiritum meum. Percunctari libet Chriſtus eſtnè in ſinu Abrahæ, an àd dexteram Patris, ſi eſt, uti de facto eſt ad dexteram Patris, non eſt in ſinu Abrahæ, aliàs eſſet circumſcriptivè in duobus locis diverſis. P. Baile. in Contr.

Paſſim Theologi docent, Limbum Patrum fuiſſe ſupra Purgatorium & infernum. Sepultus eſt in inferno id eſt in Purgatorio ait Jacobus Faber ſtapulenſis (cenſet ergo Epulonem ſalvatum eſſe) verùm hoc eſt paradoxum, ait P. Cornel. hìc, unde alii paſſim infernum damnatorum hic accipiunt, Dices. Nullum legitur peccatum mortale Divitis, epulari enim eſt peccatum veniale duntaxat ideóque purgatorio expiandum. Reſpondet P. Cornel. à Lap. Epulari per ſe eſt peccatum veniale, ſed ex adjunctis ſæpè eſt mortale, ſæpè conjungitur cum ebrietate, libidine, detractione, faſtu &c. Epulo ergo ob hæc peccata ſed maximè ob neglectum Lazari damnatus eſt. Lazaro enim in tam gravi neceſſitate ſub peccato mortali ſuccurrere tenebatur. S. Chryſoſt. Con. 2. de Lazaro. Non quia dives fuerat, torquetur, ſed quia miſertus non fuit. S. Baſil. Serm. 1. de Jejun. Time delicias, Epulo enim ille non ob injuſtitiam ſed ob mollem vitam ardet in inferno. Oſtendit Deus ſinum Abrahæ Epuloni, in eóque Lazarum. Juxa illud v. 23. *Elevans autem oculos ſuos vidit Abraham à longe & Lazarum in ſinu ejus.* S. Chryſoſt Con. 1. ait: ut non tantùm naturâ ſuppliciorum, ſed etiam comparatione honoris illius intolerabiliorem haberet cruciatum.

Divitiarum malus uſus damnoſus.

V. 24. *Et ipſe* (Epulo) *clamans dixit, Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Audi Chryſol. Serm. 124. Si te jam poſſidet totus ignis inferni, ſi te flamma gehennæ complectitur, quare ſolius linguæ æſtibus deſideras ſubveniri? Quia magis, inquit, lingua uritur & ardet, quæ inſultavit pauperi, quæ miſericordiam denegavit. Aptè S. Auguſt. Serm. 110 de Temp. Deſideravit guttam, à quo ille micam, & quantum dilexit opulentiam, non invenit miſericordiam, voluit ſubveniri fratribus ſuis ſemper vecors, ſerò miſericors, nihil, quod poſtulavit, accepit. Idem Serm. 227. Divitis Purpurati fuge Frater exemplum. Quæres. Quomodo anima Epulonis ſeparata à corpore dicitur habere linguam. Reſpondet P. Cornel. Chriſtum loqui parabolicè de Epulone, quaſi corpus & membra haberet, cùm tamen ſolâ animâ merſus ſit in infernum, voluit enim Chriſtus integra præmia & ſupplicia hominum, quæ poſt diem judicii habituri ſunt, ob oculos ponere.

Per quæ quis peccat.

Dicitur v. 25. *Recordare, quia recepiſti bona in vita tua & Lazarus ſimiliter mala.* S. Gregor. hìc Hom. 40. ad pænam ſuam ei & cognitio ſervatur & memoria. Cognoſcit enim Lazarum, quem deſpexit, fratrum quóque ſuorum meminit, quos reliquit. Idem S. Greg. Hom. 40. Mali in hâc vitâ bona recipiunt, omne enim ſuum gaudium felicitatem tranſitoriam putant. Ad dicta Abrahæ verba

ba exclamat S. Bernard. in Declamat: Expergiscimini ebrii & flete, terribilis enim Deus in Judiciis super Filios hominum, hæccine cruciatuum causa tota, quod in hoc sæculo bona recepit? ipsa planè.

Dicitur v. 26. Et *in his omnibus inter vos & nos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Chaos idem est quod Confusio, miscella. Ex Græco, hiatus, vorago. Hinc patet, ait P. Cornel. Sinum Abrahæ id est Limbum Patrum, longè distare ab inferno damnatorum, qui est in Centro Terræ. Fortè etiam diviti Epuloni, per visionem imaginariam ostensus fuit sinus Abrahæ, à Deo ad majorem cruciatum, id est Locus Beatorum in cælo, ad quem cum Christo ascensurus erat. Inter Cælum enim stellatum & Terram est spatium octoginta millionum milliarium, ùt docet Clavius; & Concava cæli stellati superficies à convexa ejusdem superficie distat totidem aliis milliaribus. Hæc verò convexa à cælo Empyreo longe amplius, inter infernum ergo & Cælum Empyreum chaos magnum, ùt adverrit P. Cornel. Mysticè S. Greg Hom. 4. Inter Divitem & Pauperem chaos est, quia post mortem nequeunt merita mutari, ut damnati transeant ad sortem Beatorum aut viceversa. Tropologicè S. Ambros. citatus à P. Cornel. hic. Lazarus pauper est vir Apostolicus, pauper in verbo, locuples in fide, micæ sunt dogmata fidei. Dives Epulo est Hæreticus, qui divitibus abundat sermonibus, linguam enim habet loquacem, sed mentem insipientem & aridam. Dices. Damnati sunt in extrema desperatione, odio Dei & hominum, quomodo ergo dives hic optat Fratres suos evadere pænas inferni, cùm dicit. v. 27. *Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in Domum Patris mei, habeo enim 5. Fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*

Respondet P. Cornel. hìc. Damnati nullum virtutis naturalis vel supernaturalis actum elicere volunt aut valent ex odio Dei omnisque boni, possunt tamen velle aliquod bonum naturale, natura enim eadem manet in damnatis. Respondet 2. & melius. Epulonem non tam Fratribus, quàm sibi voluisse consulere, malum enim Fratrum, æstimabat suum, nam damnatio Fratrum ejus damnationem & tormenta auxisset, utpote qui eis epulationis fuerat occasio & causa. Ita S. Greg. Lyran. & alii. Porrò dives iste

ait S. Ambros. *Serus Magister esse incipit, cùm nec jam discendi tempus habeat nec docendi.*

Caput undecimum.

Parabola de Publicano & Pharisæo. Parabola Patrisfamilias vocantis ad vineam operarios. Lazari resuscitatio. Matris Filiorum Zebedæi petitio. Cæci illuminati ad Jericho. Conversio Zachæi. Magdalena Christi pedes inungit in Convivio apud Simonem Leprosum.

192. Parabola de Pharisæo & Publicano Lucæ 18.

ANnus *Christi* 34tus. Hoc anno censetur Christus dixisse parabolam de superbiente Pharisæo & humiliante se Publicano, de quo Lucæ 18.

Dicitur Lucæ 18. v. 11. *Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus, gratias ago Tibi, quia non sum sicut ceteri hominum: Raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.* P. Cornel. hìc. Stans. Judæi partim genuflexi orabant, partim stantes, nec enim in Templo sedes erant ad sedendum, nisi soli Pontifici & Regi. Orabat. S. August. Serm. 36. de verb. Dom. Quid rogaverit Deum quære in verbis ejus, nihil invenies, ascendit orare, noluit Deum rogare, sed se laudare. Gratias ago. S. Aug. ibidem S. 36. Non reprehenditur, quòd Deo gratias agebat, sed quia nihil sibi addi cupiebat. Non sum sicut ceteri. S. August. diceret saltem, non sum sicut multi homines, quid est, sicut ceteri homines, nisi omnes homines præter ipsum. Velut hic Publicanus. S. August. Ecce ex vicino Publicano, major est Pharisæo tumoris occasio. S. Paul. Ep. 58. Quod justitia ædificabat, superbia destruebat. v. 13. *Et Publicanus à longè stans nolebat nec oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* S. Chrysost. Hom. de Dav. & Saul. Accepit probrum & abluit pro-

Superbia destruit bona.

Confessio salutaris.

brum, agnovit peccata & deposuit peccata, & criminum accusatio, facta est illi criminum remissio. A longè stans. S. August. Cordis conscientia eum removebat, pietas applicabat. Et alibi idem. Premebat conscientia, spes sublevabat. Percutiebat pectus. S. Aug. Serm 8. de Verb. Dom. secun. Matth. Tundere autem pectus, quid est, nisi arguere, quod latet in pectore, & evidenti pulsu occultum castigare peccatum. Isidorus Pelusiota in Caten. *Omnis qui propter peccata pectus percutit, Deum in tympano & Choro laudare dicitur.*

Tunsio pectoris proficua.

v. 14. *Dico vobis, descendit hic justificatus in Domum suam ab illo.* Alii legunt, P. Cornel. ad illum. scilicet collatus & comparatus. Jam plerique Codices legunt, quàm enim ille. Syrus, magis. Vel potius quàm ille. Eutymus interpretatur ab illo, id est, non ille. Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & omnis, qui se humiliat, exaltabitur. S. Chrysost. Humilitas Latronem ante Apostolos in Paradisum duxit. S. Bernard. *Magna & rara virtus profectò est, ut magna licèt operantem, magnum te nescias.*

Humilitas exaltat.

Parabola Patrisfamilias vocantis in vineam. Matth. 20.

Proposuit deinde Christus Parobolam operariorum conductorum ad colendam vineam, è quibus novissimi fiunt primi in mercede & præmio. Matth. 20.

Sensum hujus parabolæ duplicem adfert P. Cornel. à Lap. hìc. 1mus. Hac parabola significatur Gentiles credentes in Christum præferendos esse Judæis. 2dus. Quòd hac Parabola Christus significare voluerit tam primos, id est, primò vocatos, quàm novissimos, id est, ultimò vocatos ad fidem & gratiam, puta tam Judæos quam Christianos Deo servientes eandem vitam æternam accepturos, nec obfore cuipiam, quòd in fine mundi vel ætatis suæ sit vocatus aut venerit ad vineam Ecclesiæ, vel animæ suæ excolendam, imolum cæteris, qui diu antè vocati sunt aut venerunt, fore præferendum in gloria cælesti, si gratiæ majori sibi à Deo collatæ, majori labore, studio & fervore cooperetur. Ita explicat S. Hieronym. S. Chrysost. S August. S. Thomas, & alii citati à P. Corn. à Lap. hìc. Juxta hunc sensum, per diem, accipe mundi cursum, per horas, accipe diversas mundi ætates, ab Adamo ad Noe, à Noe ad Abrahamum &c. Undecima hora sit à Christo usque ad finem mundi. Ita S. Hilar. S. Greg. &c. Per murmur, cum Theophilacto, Salmerone, Suarez &c. Accipe admiratione Sanctorum,

ctorum, cùm scilicet illi, qui minores erunt in gloria, & tamen plus hìc laborârunt, utì fuêre Judæi, mirabuntur alios, qui hìc minus laboraverunt, & majori excelluerunt gratia & spiritu, sibi in gloria anteponi.

Notandum, quòd Denarius fuit nummus communis, qui multas sub se continebat nummorum species & formas; denarius enim alius erat æreus, alius argenteus &c. Denarius argenteus erat Julius Romanus, sive Regalis Hispan.

Tropologicè est anima cuique excolenda, moraliter hinc discendum nos vocatos, ut simus operarii in vinea, id est, Anima & Ecclesia Dei. S. Bernardus quotidie se interrogabat: Bernarde *dic quare hìc*? Porrò Cultores hujus vineæ non æstimantur tempore & antiquitate laboris, sed diligentia, fervore & spiritu. S. Chrysost. Sicut mercenarius totum diem circa domini opus impendit, unam autem horam circa suum cibum, sic & nos omne tempus vitæ nostræ debemus impendere circa Gloriam Dei, modicam autem partem circa usus nostros terrenos. Incepit Paterfamilias mercedem à novissimis v. 8. P. Cornel. qui minori tempore, sed majori fervore & spiritu laborârunt S Chrysost. Nimia misericordia ordinem non respicit.

193. Lazari Resuscitatio. Joan. 11.

Hoc Anno Christi accidisse censetur Historia resuscitationis Lazari, quæ describitur Joan. 11. ac post illam Concilium, in quo Caiphas Pontifex prophetavit, expedire, ut Christus pro populo moreretur, quare Christus eorum iras declinans, ad paucos dies secessit in *Ephren.*

Joan. 11. v. 1. dicitur: *Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania de Castello Mariæ & Marthæ.* P. Cornel. hìc, in quo scilicet ipsæ habitabant, ejúsque erant non tam dominæ, quàm honoratiores Incolæ ac Christi Discipulæ & Hospites. Ita Theophyl. Leont. & alii. Mysticè Bethania idem est. 1. Quod Domus afflictionis ùt vertit Syrus. 2. Quod Domus obedientiæ. 3. ùt ait Pagninus, idem quod Domus exauditionis Domini.

Dixerunt Sorores v. 3. *Domine, ecce quem amas infirmatur.* D. August. & ex eo Beda. Non dixerunt veni; amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Tropologicè Rabanus, & ex eo Glossa. Lazarus, inquit, est Peccator, qui à Domino amatur, ipse enim non venit vocare Justos sed Peccatores.

Dicitur v. 5. *Diligebat autem JEsus Martham & Sororem ejus Mariam & Lazarum.* Facit Joannes mentionem dilectionis, non tam ùt illam fuisse causam ægrotationis Lazari significet, ùt cen-

ſet Cyrillus. q. d. Ideo JEſus immiſit morbum Lazaro, quia illum & Sorores ejus diligebat. Sed ut ſignificaret, ait P. Cornel. JEſum accepto nuncio, planè menti & memoriæ infixiſſe morbum Lazari oportuno tempore ſanandi.

Dicit Chriſtus v. 11. *Lazarus amicus noſter dormit.* S. Auguſt. Domino dormiebat, qui eum, tantâ facilitate, excitavit de ſepulchro, quanta tu excitas dormientem ex lecto. ver. 16. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, eamus & nos, & moriamur cum eo.* Thomas non fuit Binonimus, ait P. Cornel. utì

Circa S. Thomam reſolutio.

vult Nonnus, ſed Thomas, idem eſt quod græcè didymos, latinè Gemellus. Voluit commori Thomas non Lazaro, ùt volunt nonnulli, ſed Chriſto, ùt ait P. Cornel. q. d. Si imus cum JEſu, nobis cum eo moriendum eſt, ob ſumma in eum Judæorum odia.

v. 17. *Venit itaque JESUS: & invenit eum, quatuor dies jam in monumento habentem.* P. Cornel. tropologicè. Quatriduanus eſt, Peccator habens habitum peccandi. 1mus enim dies eſt, quo quis conſenſu voluntatis peccat. 2dus. Quo quis peccatum opere conſummat. 3tius. Quo illum frequentat. 4tus. Quo hic habitus callum obducit.

Joan. 11.

Dicitur v. 33. *JEſus ergo, ùt vidit eam* (Mariam) *plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum.* Fremitus hic, id eſt, indignatio voce Chriſti expreſſa. 1. Erat in mortem & diabolum, cujus invidia mors intraverat in orbem terrarum, quæ tanti luctûs & ploratûs fuerat cauſa. Ita Cyrill. Auguſt. Beda. Turbavit ſeipſum. S. Auguſt. Quis eum poſſet, niſi ipſe turbare. P. Cornel. Turbavit ergo ſeipſum, induens affectum doloris, iræ & compaſſionis, eúmque oſtendens mutato vultu & voce præ dolore.

v. 38. *Erat autem ſpelunca & lapis ſuperpoſitus erat ei.* Tropologicè S. Auguſt. Serm. 44. de verbis Dom. ſecundùm Joan. Moles illa impoſita ſepulchro, ipſa eſt vis dura conſuetudinis, quâ premitur anima, nec reſurgeres, nec reſpirare permittitur. v. 39. *Ait JEſus: Tollite lapidem.* Tropologicè S. Bern. Tollatur lapis, ſed maneat pœnitentia, non jam premens & onerans, ſed vividam & robuſtam mentem roborans.

Conſuetudo gravat Peccatorem.

v. 43. *Voce magna clamavit* (JEſus) *Lazare veni foras.* 1. Ut oſtenderet vocem hanc habere vim magni & potentis imperii, quo à morte ſuſcitabat. Unde Cyrill. Deo dignum & Regium

gium imperium eſt: Lazare veni foras. Symbolicè, ut hac voce magna repræſentaret vocem tubalem Archangeli ſuſcitantis mortuos ad Judicium. Tropologicè, magna vox Chriſti ſignificat magnum impulſum gratiæ excitantis, quâ opus eſt, ut Peccator, è conſuetudine peccati, in qua ſepultus jacet, ad gratiam & novam vitam revocetur. Ita S. Auguſt.

v. 44. *Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis.* P. Cornel. duplex hic miraculum. 1. Mortui ſuſcitatio. 2. Quod mortuus ſuſcitatus, pedibus colligatus, directè ambularet. v. 45. *Dicit eis JESUS: ſolvite eum & ſinite abire.* Juſſit hoc Chriſtus, ut Judæi Lazarum contrectantes, manibus quaſi palparent miraculum. Ita Chryſoſt. Theophil. Symbolicè P. Cornel. Chriſtus Peccatores vinculis peccatorum ligatos, mittit ad Apoſtolos & Sacerdotes, ut ab iis ſolvantur & abſolvantur. Ita S. Aug. Beda &c.

Iſte Lazarus poſt Chriſti reſurrectionem cum Martha & Magdalena Sororibus, Marcella pediſſequa, & S. Celidonio, qui fuerat cæcus à nativitate, naviculæ ſine remo & duce, impoſiti ſunt & mari expoſiti, à Judæorum finibus expulſi, qui Deo duce Maſſiliam pervenerunt. Ubi Prædicante Magdalena & omni Provincia ad Deum converſa, ipſe Anno 14to à Clero Maſſilienſi & Populo Epiſcopus conſtitutus populum feliciter gubernavit, ùt tradit Petrus de natalibus Epiſc. Eſquil. L. Catal. Sanct. c. 72.

Magdalena in Galliis prædicat.

Appropinquante tempore præfinito à Patre, cruento Sacrificio, dedit ſe in viam Hieroſolymam versùs cum Diſcipulis Chriſtus, eísque ſecretò enuntiavit, quæ ſibi mala imminebant, quamvìs præ ſtupore non intelligentibus, quæ dicebantur, ait P. Salianus. Cùm Mater Filiorum Zebedæi acceſſit ad eum, poſtulans primas ſedes in Regno Chriſti pro Filiis ſuis, quos ille viceverſa docuit ſectari humilitatem exemplo Magiſtri ſui, inepta ambitione repudiata. Excuſat matrem S. Hieronym. poſtulat mater errore muliebri & pietatis affectu, neſciens quid peteret. Filios verò excuſat S. Chryſoſt. Non turbetur quiſquam ſi adeo imperfectos dicimus Apoſtolos fuiſſe: nondum enim myſterium crucis erat conſummatum, nondum gratia Spiritûs in corda ipſorum infuſa.

Matris Filiorum Zebedæi petitio, non ſuſcepta à Chriſto. Matth. 20.

Quæſivit ex illis Chriſtus, v. 22. *Poteſtis bibere Calicem, quem ego bibiturus ſum?* Paſſionem ſuam vocat hic calicem Chriſtus, quia Chriſtus tam liben-

 ter

ter & avidè Passionem subivit, ac si sitiens vini calicem epotásset. Ita Chrysost. Euthym. Theophyl. Dicunt ei: possumus. Videntur Joannes & Jacobus intellexisse significationem calicis, & tamen uti ambitiosè petierunt primatum, ita temerè respondent, se calicem hunc posse bibere, cùm revera id necdum possent, sed postea potuerint per gratiam Christi; ita S. Chrysost. Theophilact. Euthym.

Ambitio depressa in Filiis Zebedæi.

V. 23. *Ait illis: calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Est hoc oraculum Christi de Jacobi & Joannis passione. Jacobus enim primus Martyr pro Christo occubuit, Joannes propriè bibit, licet innoxiè, calicem veneni, sibi ab impiis propinati, uti nos docet Prochorus ejus discipulus, & ideo cum calice pingi solet. Sed & ad portam latinam in ferventi oleo patiebatur, erat particeps Passionis Christi stando sub Cruce. Non est meum dare vobis: Remigius, id est, superbis, quales vos estis, sed humilibus. P. Cornel. hic. Christus dicit, id potius esse Patris, tum quia Christus ut homo, semper se Patri subjicit, & omnia in illum resignat, ipsique accepta refert, tum ut honesto titulo à se repellat hosce ambitiosè primatum petentes. V. 24. *Et audientes 10. indignati sunt de duobus fratribus.* Indignati non tam vitio & ambitioni Joannis, quàm quod per eam metuerent eis postponi, ambiebant enim & ipsi primas in regno Christi. ita P. Cornel. hic.

194. Cæcus illuminatur ad Jericho. Matth. 20.

In ipso deinde itinere, propè Jericho, cæcum illuminavit Christus Matth. 20. v. 30. *Et ecce duo cæci.* Eadem est historia hæc cum ea, quam narrat Marcus. c. 10. v. 46. utraque enim contigit egrediente Christo ex Jericho. Dices: Marcus unum duntaxat nominat cæcum. Respondet S. Aug. l. 2. de consen. Evan. c. 65. duos licèt cæcos extitisse, sed unum fuisse in illa civitate famosissimum, idque ex hoc apparet, quòd nomen ejus Marcus commemoravit, scilicet, quod vocaretur Bartimæus. Porro hunc cæcum alium esse ab eo, de quo ait Lucas c. 18. v. 35. censent S. August. Jansen. & alii. Ex eo quod ille Lucæ in ingressu Jerichuntis, hic verò Matthæi & Marci in egressu curatus dicatur. Verum dicit P. Cornel. à Lap. in Matth. c. 20. Unum eundemque hunc cæcum fuisse, qui prius in ingressu urbis petierit illuminari a Christo, verùm cùm ob turbam non audiretur, & Christus se audire dissimularet, ut ejus fidem & spem acueret, postridie stitit se ad portam urbis, ibique à Christo egrediente, visum postulavit & impetravit. Ita S. Ambros.

bros. Dionys. Carth. Maldonat. & alii. Notanda. Jericho distat à Jerusalem 150. stadiis, qualia 8. constituunt unum milliare Italicum. Jericho ex Hebra. sonat vel lunam, quod formam haberet lunæ, vel odorem, cùm ibi duntaxat nasceretur Balsamum. S. Gregor. hom. 12. in Evan. Jericho luna interpretatur, luna autem in sacro Eloquio pro defectu carnis ponitur; quia dum menstruis momentis decrescit, defectum mortalitatis nostræ designat. &c. Mysticè Origen. Per Jericho intelligitur mundus, in quem Christus descendit. &c. Symbol. S. Gregor. hom. 2. in Evan. Cæcum est genus humanum, sed tamen per Redemptoris sui præsentiam illuminatur. Per turbam mysticè S. Gregor. hom. 2. in Evan. accipit desideriorum carnalium turbas, tumultúsque vitiorum, qui, priusquam JEsus ad cor nostrum veniat, tentationibus suis cogitationes nostras dissipant. Turbæ hæ, clamore orationis contentæ, superandæ.

V. 33. *Dicunt illi* (cæci) *Domine, ut aperiantur oculi nostri.* In hæc verba S. August. serm. 18. de verb. Dom. secundùm Matth. Tota igitur vita est sanare oculū cordis, unde videtur DEus. Mysticè S. Hieronym. unam periit à Domino, hanc requirit, ut videat voluptatem Domini, & inde videns visitet templum ejus. V. 34. *Et secuti sunt eum.* S. Chrysost. Hi cæci sicut ante dationem fuerunt perseverantes, ita & post donationem non fuerunt ingrati. P. Cornel. in Marc. c. 11. v. 46. Barthimæus, juxta Pagnini interpretationem, habet triplicem sensum. 1. idem est, quod filius cæcus. 2. idem quod filius honoris. 3. idem quod filius admirantis, aut frumentum admirabile.

Gratitudo constans.

Conversio Zachæi. Lucæ. 19.

In ipso deinde oppido Jericho Zachæum Christus convertit, Lucæ 19. P. Cornel. à Lap. hic, Zachæus, idem quod purus, limpidus, justus. V. 2. Fuit Princeps Publicanorum; plures enim sub se habebat Publicanos vectigalium, quæ Romani & Tiberius cæsar, invitis Judæis, imposuerat. Zachæus V. 3. *Quærebat videre JEsum.* S. Chrysost. hom. de Zachæo. Cupit nosse aspectu, quem intuitus fuerat sensu, videre facie, quem viderat mente. Staturâ pusillus erat. P. Cornel. sed animo celsus. Parvi enim teste Aristotele in Physiog. solent esse magnanimi; unde illud:

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

V. 4. *Ascendit* (Zachæus) *in arborem sycomorum ut videret eum*, P. Cornel. sycomorus græcè, id est, ficus fatua. Mysticè sycomorus est crux Christi, ejúsque doctrina, quæ Gentibus & terrenis hominibus visa est fatua, meráque stultitia. Sed Zachæo & fidelibus visa fuit

fuit ſapientia & virtus DEi. Tropologicè S. Gregor. l. 27. moral. Puſillus Zachæus ſycomorum ſubiit & Dominum vidit, quia, qui mundi ſtultitiam humiliter eligunt, ipſi DEi ſapientiam ſublimiter contemplantur. Quid enim in hoc mundo ſtultius, quam amiſſa non quærere, poſſeſſa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis injuriis injuriam reddere.

V. 5. *Suſpiciens JEſus, vidit illum & dixit ad eum: Zachæe, feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* S. Ambroſ. Eſto, vocem JEſus invitantis non audierat, viderat tamen affectum. Titus, Zachæus ſolam JEſu viſionem deſiderabat, ſed qui novit plus facere quam quærimus, dedit ei ſuper id, quod expectabat. S. Chryſoſt. hom. de Zachæo. Promittit Chriſtus ſe ad ejus domum venturum, cujus deſiderantis jam poſſederat animum. V. 8. *Stans autem Zachæus dicit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus.* P. Cornel. Alterum ergo dimidium reſervat non ſibi, ſed ut injuſtè fraudata aliis reſtituat. Unde ob hoc Zachæi efficax propoſitum Chriſtus quaſi præmium ſubjecit: Hodie ſalus domui huic facta eſt. Ita S. Ambroſ. Beda, Euthym. Beda, Ecce Camelus, depoſitâ ſarcinâ, per foramen acûs tranſit, id eſt, relicto divitiarum amore, benedictionem dominicæ ſuſceptionis accipit. *Reddo.* S. Ambroſ. alterum enim non ſat; nec habet gratiam liberalitas, ſi injuria perſeverat; quia non ſpolia, ſed dona quæruntur. Tropologicè S. Chryſoſt. hom. 78. in Matth. docet domum animæ ornandam eſſe Eleemoſyna & juſtitia, uti ornavit Zachæus, ſi Chriſtum in ea hoſpitio excipere velimus.

Reſtitutio ad ſalutem neceſſaria.

195. Porro Zachæus à Chriſto converſus, poſt ejus mortem & aſcenſionem aſſecla fuit S. Petri, & ab eo ordinatus fuit cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopus, ùt narrat S. Clemens l. 1. & 3. Recogn.

Appropinquabat Hieroſolymæ, ſimúlque Paſſioni ſuæ Chriſtus, venit Bethaniam feria 6. veſpere, ibíque toto die ſabbati permanſit, qui tum incidit in diem 19. Martii. Ita P. Salian. ubi ei cæna data eſt in domo Simonis leproſi, & Lazarus unus erat è diſcumbentibus, Martha miniſtrabat, Maria Chriſti pedes ungebat, cujus charitatem Chriſtus contra Judam obloquentem defendit. confluxerunt eò multi ut JEſum viderent & Lazarum nuper à mortuis excitatum, quem ideo Principes Sacerdotum invidiâ furentes è vivis tollere cogitârunt.

Chriſtum in Convivio Magdalena ungit. Matth. 26.

Matth. 26. 6. *Cùm autem JESUS eſſet in Bethania in domo Simonis leproſi.* Patres opinantur, ait P. Cornel. à Lap. hìc, leproſum dici, quòd talis fuerit, ſed à Chriſto curatus ſit à lepra. Alii putant, leproſi eſſe commune agnomen familiæ, ſic enim Romæ erat familia Claudorum, Cæcorum, Balborum.

V. 7. *Aceeſſit ad eum* (JEſum) *mulier habens alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis.* Alabaſtrum, vas erat ex alabaſtrite ſive onyche lapide, quem ad vaſa unguentaria cavari docet Plin. l. 36. c. 8. quod optimè unguenta incorrupta ſervet. S. Epiphan. putat fuiſſe vas vitreum, alabaſtrum dictum propter fragilitatem. Effudit ſuper caput. Dices, S. Joan. c. 12. v. 3. habet: *unxit pedes JEſu.* Reſpondet P. Cornel. Magdalenam unxiſſe pedes JEſu, deinde totum vas effudiſſe ſuper caput JEſu. Vas enim anguſti oris fregit, ùt habet Marcus. Myſticè Gloſſa, mulier hæc ungens caput & pedes, ſignificat Eccleſiæ fidem, quæ dum Chriſti Deitatem invocat & prædicat, caput ungit, dum verò humanitatem, pedes. Deinde, unguit pedes, qui in vita activa proximis ſervit, caput verò, qui per contemplationem DEo adhæret. ita Origen. Denique caput ungit, qui alta de Chriſto prædicat, pedes, qui infima veneratur: Ita Gloſſa ex Origine. v. 8. *Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt dicentes: ut quid perditio hæc?* Dices S. Joan. c. 12. ait: ſolum Judam murmurâſſe. Reſpondet S. Auguſt. l. 2. de conſen. Evan. c. 69. Judam fuiſſe incentorem hujus murmuris, qui alios Apoſtolos, ſpecie miſerationis pauperum, ad indignationem ex vero miſericordiæ affectu manantem excitavit, cùm ipſe fictus ex avaritia indignaretur, quod pretium hujus unguenti, non in loculos ſuos, ſed in Chriſti caput fuiſſet effuſum. v. 9. *ut quid perditio hæc? potuit enim iſtud venundari multò* (Marci 14. 5.) *plusquam trecentis denariis* (denariis, id eſt, Juliis) *& dari pauperibus.* Excuſat Chriſtus Magdalenam v. 12. *Mittens enim unguentum hoc ad ſepeliendum me fecit.* Poterat Chriſtus excuſare Magdalenam per excellentiam Perſonæ ſuæ divinæ, quæ ab ea ungebatur, ob quam melius erat & majoris meriti, illi impendere pretium hujus unguenti, quàm illo pauperes plurimos alere, ùt docet Theophilact. Quod etiamnum locum habet, ait P. Cornel. in ornatu templorum, altarium, veſtium ſacerdotalium &c. Hoc enim fit in honorem perſonæ Chriſti ad provocandam aliorum erga eum devotionem & reverentiam, cùm ſingularis aliqua pauperum neceſſitas non occurrit. v. 13. *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mun-*

Murmuris fautor unus præ pluribus.

Matth. 26.

mundo, dicetur & quòd hæc fecit in memoriam ejus. ſcilicet Magdalenæ, non Chriſti (P. Cornel.) ùt patet ex Græco, úbi in fæminino ponitur.

Joan. 12.

Circa eandem hiſtoriam ex D. Joan. c. 12. notanda v. 1. *JEſus ergo ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam.* Symbolicè Gloſſa ait: DEus ſex diebus omnia fecit. Sexta die hominem condidit, ſexta mundi ætate eundem redimere voluit. ſexta feria paſſus eſt. ſexta hora crucifixus. v. 3. *Maria ergo accepit libram unguenti nardi piſtici, pretioſi.* Myſticè S. Auguſtin. unguentum, quo Maria unxit JEſum, juſtitia fuit, ideo libra fuit. Quæres, quænam eſt nardus piſtica? Reſpondetur apud P. Cornel. Nardi piſtici, hoc eſt, púri, ſinceri non miſti, nec adulterati; nam facile nardum pſeudonardo ſive lavendula & aliis herbis adulterari docet Plin. l. 12. c. 12. ita Euthym. Theophylact. & alii. Alii communiſſimè nardi ſpicati; optima enim nardus ſpicata. Moraliter diſcendum bona opera, quibus quaſi unguentis pretióſis ungimus Chriſtum, debere eſſe ſpicata, id eſt, ſincera, ſolida. Hinc victimæ Abel placuerunt DEo, quia optimæ. v. 3. *Et domus repleta eſt odore.* Myſticè S. Auguſt. Mundus, ait, repletur bona fama pietatis & virtutis, qualem hìc exercuit Maria juxta illud Pauli: Chriſti bonus odor ſumus. v. 6. *Dixit autem hoc* (Judas) *non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.* S. Aug. miniſterio portabat, furto exportabat. Cupiebat enim Judas, ait P. Cornel. unguentum hoc venundari, ſibíque pretium dari. Cúmque ſciret Chriſtum, nolle tantum pecuniæ in loculis ſuis aſſervari, ſed velle illud in pauperes diſtribui, ille partem aliquam in pauperes diſtribuiſſet, reliqua ſibi ſuffuratus fuiſſet. Vide hìc, ut occaſio faciat furem, quámque periculoſum ſit viris ſanctis & religioſis tractare pecunias, præſertim toti communitati communes, facilè enim quid ex eis, conſulente concupiſcentia, in ſuos vel ſuorum uſus vertitur. Sed cur JEſus Judæ commiſit loculos, cùm ſciret eum fore furem? Reſpondet P. Cornel. hìc, quia Judas aptior erat ad res temporales procurandas, quàm cæteri Apoſtoli, furtum verò permiſit, quia inde nata eſt occaſio proditionis & Paſſionis ſuæ, quam ipſe ambiebat. Addit Chryſoſt Commiſit Dominus furi loculos, ut omnem ei præſcinderet proditionis occaſionem, ne videretur ob pecuniæ defectum eum prodere. Theophilactus verò: quidam dicunt Judam, ùt omnium minimum, pecuniæ adminiſtrationem ſuſcepiſſe. Denique S. Bern.

Bern. l. 4. de Conſideratione c. 6. docet: Chriſtum hìc Prælatos docere voluiſſe, ut rerum temporalium curam facilè cuivis confidant, ſpiritualium verò diſpenſationem ſibi reſervent, cujus contrarium nonnulli faciunt. v. 7. *Sinite illam ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud.* v. 9. *Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic eſt: & venerunt, non propter JEſum tantùm, ſed ut Lazarum viderent, quem ſuſcitavit à mortuis.* S. Auguſt. curioſitas eos adduxit, non charitas. v. 10. *Cogitaverunt autem Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent.* S. Auguſt. tract. 5. O ſtulta cogitatio & cæca ſævitia! Dominus Chriſtus, qui ſuſcitare potuit mortuum, non poſſet occiſum! *Si aliud vobis videtur mortuus, aliud occiſus. Ecce Dominus utrumque fecit & Lazarum mortuum, & ſeipſum ſuſcitavit occiſum.*

Curioſitas ſub prætextu charitatis.



Caput duodecimum.

Christus solenniter Hierosolymam ingreditur.

Ementes & vendentes ejicit è templo. à Juda venditur. Pascha celebrat. Eucharistiam constituit. Lavat discipulorum pedes. In pectore ejus Joannes recumbit. Præceptum novum dilectionis statuit.

196. Ingressus Christi Solennis Hierosolymam. Matth. 21.

DIe 20. Martii venit JEsus Hierosolymam insidens asinæ, cui cum ramis & canticis occurrit turba plurima, de quo Matth. 21. *Venit JEsus Bethphage.* Verisimile est, quod ait Jansen. Adrichen. Bethphage fuisse vicum Sacerdotum, in eóque agnos, capras & boves pro sacrificiis ali solitos; quare ex *Bethphage* solebant educere agnos Paschales, aliásque victimas offerendas. Itaque ex Bethphage Christus deduci voluit Hierosolymam, ut ostenderet se agnum, qui tollit peccata mundi, quem agni Paschales figurabant. Rursum triumphans voluit transire vallem Josaphat, ut innueret in eadem valle se in die judicii peracturum illud tremendum omnium omnino hominum judicium. Ingrediens Christus Hierosolymam, non vehitur equo phalerato &c. uti faciunt reges in suis ingressibus sed asinâ (P. Cornel.) ut ostendat suum regnum esse alterius ordinis scilicet spirituale, ideóque mite, humile, quanquàm in Judæa asini sunt nostris meliores & valentiores instar mulorum; unde Filii Principum asinis inequitabant, ùt pater Matth. 21. v. 7. *Adduxerunt Asinam & pullum & imposuerunt super eos vestimenta* (pallia sive extimas vestes) *sua, & eum desuper sedere fecerunt.* P. Cornel. hìc, multi cum Syro legunt: sedit super illum scilicet pullum. Quare censet P. Cornel. Christum tam asinæ, quàm pullo insedisse, non simul sed successivè. uti dixit Zachar. 99. Prius Asinâ usus est JEsus, ait Franc. Lucas; pullus fortè par non fuisset ferendo sessori in montis ascensu descensúque. Asina minus decuisset ingressum in urbem, itaque foris asina sequente pullo, pullo in civitatem sequente asinâ vectus est: præcipuè verò mysterii causa his duobus jumentis uti voluit, ut significaret non solis illis, quibus promissus fuerat, scilicet Judæis, sed toti se mundo, id est, duobus populis, quibus constat mundus, regnaturum, Judæis mosaicæ jugo assuetis, quos asina, & gentibus, sine Dei lege viventibus hactenus, quos pullus, figuraret.

Voluit Christus regalem hanc sibíque insolitam pompam & ingressum in Jerusalem adornare variis de causis. 1. ut daret regiæ suæ potentiæ indicium aliquod & specimen, ita S. Chrysost. & alii citati à P. Cornel 2. ut objiceret Pharisæis & scribis in hoc regali ingressu seipsum, quem agnoscere hoc facto possent & deberent esse Messiam, utpote à Zacharia hoc loco promissum & prædictum. 3. ut responderet typo agni paschalis; hic enim decimo die mensis primi solenni pompa inducebatur in urbem immolandus die 14. V. 8. *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via, alii autem cædebant ramos de arboribus.* (Palmarum olivarum, alíisque fructiferis, quibus mons Oliveti plenus est, ait S. Hieronym.) *& sternebant in via.* Dicebant versu 9. *Hosanna Filio David.* P. Cornel. hìc, Hosanna significat, salva quæso, vel salva nunc. Hosanna ergo est acclamatio & apprecatio salutis, id est, prosperitatis, illius enim est nota, perinde ac apud nos in victoria est: Jo triumphe; unde & ipsum nomen Hosanna, licèt sit hebræum, mansit tamen apud Græcos & Latinos. Acclamabat populus Hosanna, non sibi sed Christo Regi suo, illíque apprecabatur salutem, indirectè tamen & consequenter sibi quoque eandem flagitabat. Salus enim Regis est salus populi.

V. 10. *Cùm intrasset* (JEsus) *Hierosolymam, commota est universa civitas, dicens: quis est hic?* P. Cornel. hìc, Christus hìc se ùt regem gerens, certùm adiisset capitis periculum, nisi ipse vi suæ divinitatis, omnes tam Judæos quàm Romanos obstupefecisset, eósque quasi attonitos reddidisset, ut nemo in eum manus injicere auderet, ita nec de injiciendo cogitaret, ita Abulen. & alii.

Ad hanc lætitiam, ait P. Salian. prævisam civitatis ruinam paterno affectu deflevit Christus ingressus deinde templum, cæcos & claudos sanavit, & scribas indignantes de puerorum cantu repulit. Quibusdam Ethnicis Christum videre cupientibus, futuram suam mortem, & ex ea secuturum fructum prædixit.

Ementes & vendentes è templo Chriſtus ejicit.

Die 21. Martii Feria 2da Matth. 21. v. 12. *Intravit JEſus in templum DEi, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & menſas numulariorum & cathedras vendentium columbas evertit & dicit eis: ſcriptum eſt, domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Notandum ex P. Cornel. à Lap. hìc: per templum hìc intelligitur non ſanctum, nec Sanctum Sanctorum, ſed atrium templi. In illud enim intrabant Laici oraturi & ſpectaturi ſacrificia, quæ fiebant in atrio ſacerdotum; hoc autem atrium erat quaſi populi templum. Chriſtus enim non erat ſacerdos leviticus; quia non erat prognatus ex Levi & Aaron. Porrò eos ejecit Chriſtus de templo duabus de cauſis: prior eſt, quòd non deceret res illas vendi in templo. Poſterior erat avaritia & uſura ſacerdotum; hi enim per ſuos famulos oves, hædos &c. vendebant carò iis, qui illa offerre volebant in templo, præſertim peregrè venientibus & pauperibus, à quibus ob dilationem ſolutionis lucrum per uſuram extorquebant. Unde à Chriſto vocantur latrones, ita S. Chryſoſt. & alii. Deinde bis ejecit Chriſtus ementes de templo. 1. initio prædicationis ſuæ. Joan. 2. 14. 2. ſub finem ejusdem, quatuor diebus ante mortem. Ita S. Chryſoſt. S. Auguſt. &c. Nummularii, ex Græco Collibyſtæ commutabant duntaxat pecuniam, ùt veriſimilius cenſet Janſen. & alii. Tropologicè nummularii ſunt ſimoniaci, imò quivis peccatores, qui animam ſuam, quæ templum eſt DEi, ſuis luxuriis & ſceleribus profanant. Ita S. Hieronym. Orig. Mirum eſt uni homini pauperi, qualis erat Chriſtus, omnia ſacerdotum lucra in templo ſubvertenti, neminem eorum reſtitiſſe, unde S. Hieronymus cenſet hoc maximum fuiſſe Chriſti miraculum.

Simoniaci vendunt columbas.

Myſticè vendunt columbas, qui pecuniâ vendunt gratiam Spiritus S. puta Ordinationem, ſacerdotia & beneficia; columba enim eſt ſymbolum Spiritus S. ita Origen.

Tropologicè templum eſt domus DEi, non confabulationis non ſpeculationis, non compotationis &c. videant ergo, quàm à Chriſto flagellandi ſunt, qui illud garriendo, circumſpiciendo, laſciviendo profanant. Audi Bedam in cap. 2. Joan. Quid ergo fratres mei? quid putamus faceret Dominus, ſi rixis diſſidentes, ſi fabulis vacantes, ſi riſu diſſolutos, vel alio quolibet ſcelere reperiret irretitos, qui hoſtias, quæ ſibi immolarentur, ementes in templo vidit & eliminare feſtinavit.

Die 22. Martii Feria tertia venit JEſus in templum, ubi circumſteterunt eum ſcribæ & Seniores quærentes, quâ poteſtate id faceret, ejiceret ſcilicet mercatores è templo & ſibi permitteret acclamari: Hoſanna Filio David. Sed Dominus viciſſim altera interrogatione de Joannis Baptismate os illis obſtruxit, ac ſalutares doctrinas ſub aliquot parabolis dedit, nominatim de Antichriſto & ſignis imminentis Judicii.

197\. Judas Chriſtum vendit.

Die 23tia Martii feria 4ta. prænuntiavit Chriſtus ſe traditum fore Judæis, ut crucifigeretur. Hoc die Judas pactus cum Judæis pretio 30. argenteorum. Porrò per argenteum P. Salian. Pererius, & alii intelligunt ſiclum. P. Cornel. in Matth. c. 26. v. 15. veriſimilius putat intelligi duas drachmas Atticas, ſive duos Julios, aut duos Regales Hiſpanicos, adeóque argenteum fuiſſe dimidium ſicli, & duplum denarii, venditúmque Chriſtum 30. argenteis, id eſt 15. florenis Brabanticis.

Cæna Domini. Matth. 26.

Die 24ta. Martii feria 5ta. fuit ultima Cæna Domini. Hujus diei acta deſcribit P. Salianus in hunc modum: feria 5ta. quam Lucas vocat diem Azymorum (quia ad ejus veſperam incipiebat azymorum eſus) & ne ambiguum eſſet volens ſignificare lunam 14tam. addit, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. Miſit Dominus ad parandum Paſcha, & cùm agnum tanquam Paterfamilias ſacrificâſſet, eo mox aſſato diſcubuit & 12. Apoſtoli cum illo. Poſt eſum Agni lavit pedes Diſcipulorum, deinde inſtituit Euchariſtiam. Hanc celebritatem ſecuta cœna communis, in qua Dominus prædicit ſe ab uno eorum traditum iri Judæis. Ex quo colligitur buccellam intinctam à Juda embammati, non fuiſſe Euchariſtiam. Cùm autem JEſus ſe clarificatum iri eſſe diceret, Diſcipuli id de ejus morte intelligentes, de ſucceſſore & Primatu inter ſe agere cœperunt, ſed eam diſputationem Dominus propoſita ſua humilitate diſcuſſit ſecutus ſermo poſtremus Chriſti ad diſcipulos: prædictio Petro trinæ negationis, oratio ad Patrem, in qua Patri ſuos Chriſtus commendavit, quæ omnia cùm ad horam ferè decimam tenuiſſent, Hymno dicto in gratiarum actionem abivit in montem oliveti, & octo de ſuis in villa Gethſemani relictis, tres ſecum deduxit in montem, quibus orare juſſis, progreſſus ipſe ad orationem.

Circa acta hujus diei notanda ex P. Cornel. à Lap. in cap. 26. Matth. Matth. 26. v. 15. *ait illis* (Judas) *quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam.* S. Hieronym. infelix Judas damnum, quod ex effuſione unguenti

uenti se fecisse credebat, vult magistri pretio compensare, nec certam tamen postulat summam, ut saltem lucrosa videretur perditio, sed quasi vile tradens mancipium in potestate ementium posuit, quantum vellent dare. Alii tamen autumant licitatum fuisse Judam cum Principibus de pretio, quærebátque oportunitatem tradendi Christum, scilicet sine turba, quando populus non erat circa eum, ait Origenes.

V. 17. *Prima autem die azymorum accesserunt Discipuli ad JEsum dicentes: Ubi vis paremus tibi*
Pascha quid, & dies Azymorum. *comedere Pascha?* P. Cornel. hic per 7. dies comedi solebant panes azymi, hoc est, puri & non fermentati; quare hi dies vocabantur azymorum. Prima dies azymorum eadem erat cum festo Paschatis; Pascha autem celebrabatur die 14ta. mensis primi ad vesperam, puta in plenilunio mensis primi nisan dicti. Notat quoque P. Cornel. primum diem azymorum aliquando vocari diem 14tam. mensis nisan, aliquando verò diem 15tam. nam vespera illa, qua Judæi celebrabant Phase, cum quo incipiebant dies & esus azymorum, secundùm computum dierum naturalem pertinebat ad diem præcedentem, scilicet 14tum. secundùm verò computum sacrum, qui serviebat in festis, pertinebat ad diem sequentem, qui erat 15. nisan, in cujus mensis plenilunio, scilicet 14ta. quæ cadebat in æquinoctium vernum, vel illud proximè subsequebatur, Pascha celebrabatur.

V. 19. *Et fecerunt Discipuli* (Petrus & Joannes) *sicut constituit eis JESUS, & paraverunt Pascha*, id est, agnum Paschalem mactârunt, excoriârunt, cessârunt. Porro agnus assandus referebat ideam Christi crucifixi; nam ùt docet S. Justin. contra Tryphen. perfodiebatur corpus agni veru, pedes verò tam posteriores, qui pedum, quàm priores, qui manuum sunt loco, distendebantur, divaricabantùrque bacillis infixis in volas. Comedebatur agnus Paschalis à stantibus Judæis, ut significarent se paratos ad iter ac ex Ægypto proficisci in terram promissam, scilicet in Chanaan. Agnus Paschalis.

Quæres, an Judas proditor interfuerit celebrationi Paschæ & Eucharistiæ? negant S. Hilarius, Theophylact. & alii non pauci citati à P. Cornel. ad v. 20. verùm affirmant communiter alii PP. & DD. scilicet Origen. S. Chrysost. S. Ambros. & alii. docétque S. Chrysost. Hom. 1. & 2. de prodit. Jud. S. August. in Ps. 20. quód in Judam, post indignam communionem intravit satanas, cúmque ad proditionem Christi perficiendam impulit. Judas interfuit celebrationi Paschæ & Eucharistiæ.

V. 21. *Et Edentibus illis dixit:* (JESUS) *amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.* Matthæus id Christum dixisse narrat ante institutionem Eucharistiæ. Lucas verò c. 22. 21. post eam, sed S. Matth. censendus est dixisse, usus prolepsi & anticipatione, licèt Euthym. & S. Augustin. bis id à Christo dictum putent, scilicet ante & post Eucharistiam.

V. 22. *Et contristati valdè, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine?* Summè enim dolebant Christum Dominum, patrem, Magistrum eripi & mori. Et Judas hoc dixit v. 25. numquid ego sum: ne si solus taceret, se cæteris Apostolis silentio suo proderet, ait P. Cornel. Porro dixit id Judas ex fastu, & impudentia, ut scelus tegeret, & audaciâ bonam conscientiam mentiretur, ait S. Hieronym. Ait illi Christus: tu dixisti. unde S. Chrysost. extollit mansuetudinem Christi, qui ex justa ira non ait: tu sceleste, tu sacrilege, tu ingrate, sed leniter: *tu dixisti.* (quæ est modesta Judæorum responsio, qua confirmant id, quod rogatur) ita terminos nobis ac regulas tolerantiæ & oblivionis fixit injuriarum, ait S. Chrysost.

198. Cœna Triplex. V. 26. *Cœnantibus autem eis, accepit JESUS panem, & benedicit ac fregit, deditque discipulis suis & ait: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum.* Cœnantibus, id est, post cœnam, ùt habet Lucas & Paulus, Agni Pachalis scilicet. Ubi notat P. Cornel. triplicem fuisse Christi cœnam. 1mam sacram Agni Paschalis. 2dam communem aliorum ciborum post agnum, (dum enim plures erant personæ ad edendum agnum, justæ refectioni ille non sufficeret) 3tiam sacerrimam, imò Divinam, scilicet institutionem Eucharistiæ, Christus itaque ante Eucharistiam, cœnavit agnum, quia decebat, ut typus agni præiret veritatem Eucharistiæ. Licet Suarez censeat cœnam Eucharistiæ mediam inter cœnam agni & usualem; similiter censet Salianus, ùt supra n. 197. jam verò ob reverentiam tanti Sacramenti Apostolica traditio habet, ait S. August. Ep. 128. ut Eucharistia nonnisi à jejunis sumatur. Quare perperam & dolosè hæretici Eucharistiam vocant cœnam, esto primi Christiani aliquamdiu in cœna exemplo Christi Eucharistiam celebrarint, ùt colligitur ex Paulo 1. Cor. 11. 25. porrò in locum & memoriam secundæ cœnæ usualis & communis, quam Paulus Dominicam vocat, successit apud Christianos olim Agape, id est, epulum omnibus commune, in signum & Agape.

& fomentum charitatis, sed post sumptam Eucharistiam.

Notandum ex eo, quod Christus ait: *Accipite hoc est enim*, videri (P. Cornel.) Christum unum panem accepisse, cúmque inter consecrandum fregisse in 12. partes, simúlque singulis Apostolis unam distribuisse, quam quisque videtur manu accepisse; unde & diu in Ecclesia Christianis Eucharistia in manus data fuit; ùt patet & Tertul. Lib. de spectac. ex S. Aug. Serm. 244. postea tamen periculi & reverentiæ causa in os data est Eucharistia. Christus benedixit non panem, ùt volunt hæretici, sed panem & vinum, ùt expresse habet hìc Paulus, dicens: *Calix benedictionis cui benedicimus* 1. Cor. 10. Notandum, dum S. Lucas c. 22. v. 19. dicit: *Accepto pane gratias egit & fregit & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* His verbis: *hoc facite in meam commemorationem*, dedit Apostolis & ab eis ordinandis, potestatem consecrandi, & transsubstantiandi panem in corpus & vinum in Sanguinem suum; quare his verbis Christus Apostolos constituit & ordinavit sacerdotes, ùt docet Concil. Triden. Sess. 22. c. 1.

Sacerdotum institutio.

Matth. 26. v. 27. *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes.* Notandum, hoc præceptum bibendi, uti omni tempore intellexit Ecclesia, tantùm pertinebat ad Apostolos, qui soli tum præsentes erant, quia Christus eos tunc consecrabat sacerdotes, eósque jussit consecrare hoc Sacramentum sub utraque specie, & utramque speciem sumere, ut perfectum sacrificium conficerent. Id ergo non mandavit laicis, quibus, cùm non sacrificent, sed tantùm sumant Eucharistiam ùt Sacramentum, sufficit, ut illud sumant sub una specie, quia sub ea integrum sacrificii fructum effectúmque percipiunt. Præsertim quia in tanta multitudine laicorum communicantium facilè calix effunderetur, quod magnæ esset irreverentiæ. Simili modo præceptum Christi dicentis: hoc facite in meam commemorationem, quà parte consecrationem respicit, ad solos pertinet sacerdotes, ad laicos verò spectat solùm quoad panis consecrati sumptionem; præceptorum enim, cùm plura miscentur, varietas limitanda est & distribuenda juxta conditionem personarum, & mentem legislatoris, qui hic est Christus, cujus interpres est Ecclesia.

Calix pertinebat tantùm ad Apostolos.

Nota Matthæus & Marcus habent: *Hic est enim Sanguis meus novi testamenti*, Lucas verò & Paulus. 1. Cor. 11. 25. *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* sed idem utriusque phrasis est sensus. In forma consecrationis, quâ utimur in sacrificio, adduntur hæc verba: *Æterni testamenti, mysterium fidei*, quæ traditione esse accepta à S. Petro docet Leo ex Epist. ad Michaël. Imper. c. 9.

Eucharistia sacrificium.

Eucharistia non tantum est Sacramentum, sed & sacrificium, ídque unicum novæ legis, quod veteribus omnibus successit, illáque omnia eminenter in se continet, ideoque Christus dicitur sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, non Aaron; quia Aaron oves & hædos, Melchisedech verò panem & vinum obtulit. Eucharistia ergo 1. est holocaustum. 2. victima pro peccato. 3. victima pacifica. 4. Sacrificium farreum. l. 1. & seq. quod fusè probat P. Cornel. à lap. ad Matth. c. 26. v. 28.

V. 30. *Et Hymno dico* (id est decantato; hymnus enim canitur, ait S. August. initio Ps. 77.) *exierunt in montem oliveti.* Hymnum hunc Baronius & alii putant fuisse 7. Psalmos ex Halleluja conflatos, qui incipiunt à Psal. 112. *In exitu Israel de Ægypto*, & finiuntur Ps. 118. *Beati immaculati in via.*

199. V. 31. *Tunc dicit illis JEsus: omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte.* Scandalum id est offensam & ruinam in peccatum, pusillanimitatis, timiditatis &c. S. Augustinum secuti Jansen. Fran. Lucas. Emman. Sà, & alii censent Apostolos in Christi captivitate defecisse à fide. Huc accedit S. Ambros. Serm. 48. dicens: Petrum fidem perdisse, verum Petrum non amisisse fidem; sed tantum peccâsse contra fidei, professionem Theologi magni & multi jam docent, ait P. Cornel. ratio est; quia hoc tantùm dicunt Evangelistæ; cur ergo majus crimen fingamus Petro Apostolorum Principi. S. Cyrill. l. 11. in Joan. c. 41. asserit Petrum non ex timore, sed ex amore Christi eum negâsse, quia scilicet optabat videre Christum & cum eo manere, quod ei non licuisset, si ejus se discipulum confessus fuisset. S. Ambros. in Luc. 22. ait: Petrum non negâsse Deum sed hominem, q. d. nescio hominem, quia scio Deum, quare cùm idem Ambrosius ait: Petrum perdidisse fidem, intelligendum fidei professionem. Peccavit ergo Petrus mortaliter, ait P. Cornel. contra professionem fidei, negando se esse Christi Discipulum, ideóque charitatem amisit, sed non fidem. Ita Maldonatus, Toletus, Bellarm. citati à P. Cornel. hic.

Petrus negando fidem non perdidit.

Illa Christi verba, quæ dixit Discipulis Lucæ 22. v. 36. *Qui non habet* (gladium) *vendat tunicam suam, & emat gladium.* non sunt imperantis, sed prænuntiantis sibi & Apostolis acerrimam persecutionem, quæ tanta futura erat, ut cibus & gladius ad tutelam vitæ ipsorum comparanda esse viderentur homini rem reique difficultatem humanâ prudentiâ æstimanti, ita S. Chrysost. Theophyl. Maldon. citati à P. Cornel. in Lucæ c. 22. Pulchrè S. Ambros. *ô Domine! cur me jubes emere gladium, qui ferire prohibes, nisi fortè ut parata sit defensio, & videaris potuisse vindicare & noluisse.*

Vindictæ genus eximium potuisse vindicare & noluisse.

Joan. 13. v. 1. de Christo ait S. Joan. *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* P. Cornel. à Lap. hìc, in finem dilexit eos, scilicet in finem vitæ usque ad mortem, ita Cyrill. S. August. & Rupert. sive, semper, ùt explicat S. Chrysost. 2. in finem scilicet amoris & dilectionis, q. d. extremo amore & summe dilexit eos. Symbolicè S. Aug. & Beda per finem accipiunt Christum; Christus enim est finis legis. Rom. 10. 4. Dilexit ergo suos in finem id est propter se, aut suam gloriam illis communicando. Hæc cùm dixisset S. Joan. de Christo, lotionem pedum enarrat, quomodo Christus ipse Dominus, laverit Discipulorum pedes. Hæc lotio censetur præcessisse cœnam Eucharistiæ, cœnam scilicet tertiam, dum jam peracta fuerit cœna agni, & cœna communis; post hanc ergo cœnam communem, ante cœnam Eucharistiæ lavit Christus pedes, volebat enim hâc lotione ostendere, quanta puritate & humilitate accedendum sit ad Eucharistiam. Ita P. Cornel.

Lotio pedum Joan. 13.

Hanc lotionem respiciens D. August. Tract. 55. quid mirum ait, si misit aquam in pelvim, unde lavaret pedes Discipulorum, qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum. juxta S. August. Bedam, Ruper. incepit Christus lotionem à Petro. Tropologicè, P. Cornel. indicat hìc Christus, visitationem & reformationem à capite in iis, qui præsunt, inchoandam esse. Origines tamen, Leontius, Chrysost. Theophyl. opinantur Christum primò omnium lavisse pedes Judæ, ut illum emolliret, & à scelere proditionis revocaret, ùtque nobis daret exemplum amoris inimicorum.

V. 8. *Dicit ei Petrus: non lavabis mihi pedes in æternum.* Origenes accusat Petrum proterviæ, audaciæ & inobedientiæ, sed rectè excusat eum S. August. Tract. 56. quod hæc ejus

Petrus lotionem recusat, deinde permittit. Joan. 13.

vox

vox processerit à summa fide, reverentia, timore, humilitate & dilectione. Mutavit tamen Petrus propositum, dum agnovit voluntatem Domini. hinc S. Basil. in Regul. brevior. Resp. 66. Rescindendum est quidquid præter præceptum Domini antè statutum est. Hoc apertè demonstrat in Apostolo Petro, qui antè statuerat, non lavabis mihi pedes in æternum, ubi verò affirmativè audivit Dominum dixisse: nisi lavero te, non habebis partem mecum, confestim sententiam mutavit & dixit: Domine non tantum pedes sed & manus.

Joannes recumbit in sinu JEsu. Joan. 13.

V. 23. *Erat ergo recumbens unus ex Discipulis ejus in sinu JESU, quem diligebat JESUS.* P. Cornel. hìc, dicitur Joannes in sinu JEsu recubuisse, quia veteres non assidebant mensæ, sed recumbebant bini vel terni in singulis lectulis mensalibus, ita ut cubito dextro innixi non tam sederent, quàm jacerent ad mensam, quo fiebat, ut secundus ad sinistram primi proximè sequens in ejus sinu quasi jacere & recumbere videretur. *Quem diligebat JESUS*, non tantùm amore amicitiæ humanæ, velut ætate minimum, ùt vult Toletus, sed etiam amore charitatis ob virginitatem & puritatem, modestiam & mansuetudinem, morésque suaves & sanctos, quibus cæteros antecellebat. ita Cyril. Chrysost. Theophil. Euhym. & S. Hieronym. Hinc tamen non sequitur, ait P. Cornel. Joannem absolutè omnibus Apostolis fuisse sanctiorem; poterat enim Petrus illo esse in charitate ardentior, ideóque sanctior. Porrò quòd Joannes in sinu & supra pectus JEsu recubuit, non solùm fuit præsentis amoris indicium, sed etiam futuræ rei signum, quòd scilicet inde vocem sumeret, quam postea cunctis sæculis inauditam emitteret.

V. 27. *Et dixit ei* (Judæ) *JESUS, quod facis, fac citius*, id est, cito, ùt vertit Syrus, hìc tamen non præcipit Christus proditionem, sed permittit.

Dum Christus alloquitur Discipulos. v. 33. filioli: notanda teneritudo affectûs & amoris Christi ergo suos fideles & Apostolos; non enim ait filii, sed filioli. Materna ergo viscera erga eos, quasi infantes recens à se genitos ostendit. Rursus filioli, quia Apostoli adhuc parvuli adhuc erant in fide & amore Christi.

V. 34. dicit Christus: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* P. Cornel. cur novum? Varii varias dant causas. S August. novum inquit, quia per dilectionem fidelis exuit veterem hominem, & induit novum. P. Cornel. censet novum

Dilectio mandatum novum.

 vum

vum, ratione objecti novi & cauſæ diligendi. Chriſto enim, qui eſt caput Eccleſiæ, incarnatô, facta eſt ſingularis communicatio, & unio membrorum Eccleſiæ tum inter ſe, tum cum Chriſto capite ſuo jam homogeneo. Unio inquam tum per naturam humanam à Chriſto aſſumptam, tum per gratiam, quam ipſe in nos ceu caput in membra influit. tum maximè per Sacramentum Euchariſtiæ, hic recenter ab eo inſtitutum, quæ unio fundamentum eſt & radix magis ſingularis & arctioris amoris Chriſti & Chriſtianorum, majoriſque obligationis ad amandum ſe invicem, per hanc enim arctè uniti ſumus non tantùm Humanitati Chriſti ſed & Deitate totique S. Trinitati, & in ea ac per eam nobis invicem. Rectè advertit Toletus hoc Chriſti præceptum non omnibus hominibus, ſed ſolis Chriſtianis hic dari, hi enim ſe invicem diligere debent non tantùm quaſi proximos propter Deum, ſed quaſi fratres, & unius corporis Chriſti membra propter Chriſtum.

Dilectio proximi cum dilectione Dei conjunctio.

Amoris DEI & proximi pulchrum exemplum dat S. Dorotheus: Sicut lineæ à circumferentia circuli ad centrum ductæ, quo magis ad centrum accedunt, eò magis accedunt ad ſe, ſic quo quis magis accedit ad amorem Dei & Chriſti, eò magis accedit ad amorem proximi.



CAPUT

Caput decimum tertium.

Chriſtus orat in Horto. triſtatur. ſudat. ab Angelo confortatur. comprehenditur. Petrus aurem Malchi abſcindit. Apoſtoli fugiunt.

200. In horto Chriſtus orat. Matth. 26.

POſt ultimam cœnam hortum petiit Chriſtus orationis gratiâ erudiens nos, ait S. Chryſoſtom. quietem & tranquillitatem in oratione diligenter appetere. In horto orſus eſt Paſſionem, ut expiaret peccatum Adæ, ſcilicet comeſtionem panis vetiti in horto Paradiſi commiſſam. Ita P. Cornel. in cap. Matth. 26. v. 37.

Triſtatur.

Et aſſumpto Petro & duobus Filiis Zebedæi (Jacobo & Joanne) *cœpit contriſtari & mæſtus eſſe*, relictis in Gethſemani S. Apoſtolis. Hos tres aſſumpſit, quia his maximè confidebat, & hi tres paulò ante viderant gloriam ejus Transfigurationis in monte Tabor. Porro Chriſtus non tantùm quà comprehenſor, ſed etiam quà viator ſimul ſummè gaudebat & dolebat de Paſſione. Dolebat de ea ſecundùm partem animæ inferiorem, quatenùs Paſſio hæc erat noxia naturæ, gaudebat de ea ſecundùm partem ſuperiorem, quatenus ea erat à Deo volita & ordinata ad hominum ſalutem. Et triſtitia Chriſti non tantùm in appetitu ſenſitivo, ſed etiam in voluntate Chriſti fuit ſecundùm partem ejus inferiorem, quæ naturaliter reſpicit & amat bonum naturæ ſuæ. Triſtitiæ Chriſti cauſa fuit inter alias præcipua, prævisio omnium tormentorum, opprobriorum, peccata quoque omnia, omnium & ſingulorum hominum, qui ab Adam fuerunt, ſunt & erunt, affligebant Chriſtum. Triſtitia hæc in Chriſto non erat neceſſaria aut naturalis & involuntaria, ita ut rationis & voluntatis uſum præveniret, ùt in nobis fit, dum aliquid nobis moleſtum accidit, ſed fuit omninò libera & liberè à Chriſto aſſumpta, quod Theologi dicunt in Chriſto non fuiſſe paſſiones ſed propaſſiones. Triſtabatur inſuper Chriſtus, ut ſua triſtitia, pavore & angore, curaret noſtram acediam, pu-

ſilla-

fillanimitatem, metus, angores.

v. 39. *Progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me Calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut Tu.* P. Cornel. hic, procidit, scilicet prono & prostrato in terram corpore, faciem terræ affigens: ut hoc gestu 1. summam suam afflictionem ostenderet. 2. ut insigne humilitatis exemplum daret. 3. ut summam Patri reverentiam exhiberet.

Orans. Christus quà homo verè & propriè orabat Deum Patrem, imo seipsum quà Deus est. Locus orationis Christi illustratus à Christianis Ecclesiâ ibidem extructâ, teste S. Hieronym. Addit Beda Tract. de locis sanctis c. 6. Baron. An. 34. petram ipsam, in qua Christus orans flexit genua, quasi mollem ceram illis cessisse, ac in se genuum Christi vestigia excepisse, ipsúmque lapidem in Ecclesia asservari. Adjungit Baronius etiam in imo vallis Josaphat, quam torrens Cedron præterfluit, in lapidibus pedum Christi vestigia remansisse, hactenúsque servata esse.

Calix Christi. Matth. 26. Transeat à me Calix iste. P. Cornel. hic, id est, prætereat Calix instantis mihi Passionis mortis.

S. Catharina Senen. teste Ambros. Catharin. in vita Ital. L. 2. c. 28. & 29. duas alias afferebat expositiones, easque dicebat à Christo sibi revelatas. 1ma. quòd Christus sitiebat calicem Passionis avidissimè, ut amorem erga Patrem ostenderet, nósque redimeret, ideóque optabat accelerari & absolvere hoc opus. 2da. videbat Christus multos ingratos fore suæ Passioni, mansuros in peccatis ac damnandos; hinc erat illi summus dolor & hunc vocat calicem, q. d. transeat à me calix iste, amove à me hunc dolorem & numerum damnandorum, fac ut omnes salventur. S. Bern. Serm. 20. Super omnia reddit amabilem te mihi JEsu Bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. *Multum quippe laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit.*

Christi voluntas duplex. Verumtamen non sicut ego volo sed sicut Tu. hinc patet contra Monothelitas duas in Christo fuisse voluntates, unam humanam, alteram Divinam, hic enim humanam subdit Divinæ. imò humana Christi voluntas, licet in se una, virtute tamen & operatione fuit quasi duplex. P. Cornel. scilicet una naturalis qua fugiebat mortem, altera rationis & libera,

bera, quâ subdens se voluntati Dei mortem appetebat, ac juxta hanc dicebat: verumtamen &c. Moraliter S. Leo Serm. 7. de Pass. hæc vox (fiat voluntas tua) capitis, salus est totius corporis, hæc vox omnes Fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus & pro omnibus patiens, Patri diceret: Fiat voluntas tua.

Oratio in afflictione iteranda. Iteravit Christus orationem, ut doceret in afflictione subinde Deum nos non exaudire in prima oratione, ut sæpius & ferventiùs oremus. Ita P. Cornel.

Christi captivitas. Matth. 26. v. 47. *Turba multa*, quo ad capiendum Christum missa dicitur, fuit cohors militum Romanorum, quæ continebat mille milites, nam D. Joan. c. 18. 12. *Cohors & Tribunus.* Tribunus autem ex Græco, Præfectus mille militum. insuper cohorti sejunxerant satellites Principum sacerdotum.

Osculum Judæ. v. 48. Judas traditor dicebat: *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* S. Marcus addit: *Et ducite cautè.* Verebatur enim Judas, ne Christus se transformando, ait ex Origenes & S. Hieronym. occultaret & effugeret, itaque 30. argenteis, qui illi à Judæis necdum erant traditi, sed tantùm promissi, privaretur.

v. 49. *Et confestim ad JEsum accedens dixit: Ave Rabbi: & osculatus est eum.* Non respuit Christus osculum, ut docemur inimicos omnes, eósque, quos scimus desævituros in nos esse, diligere: osculum ejus Dominus non respuit, ait S. Hilarius. v. 50. *Dixitque illi JEsus: amice, ad quid venisti.* Mirum fuit hoc Christi mansuetudinis & patientiæ exemplum, quo Judam furem & proditorem tribus annis toleravit, nec Apostolatu aut procuratione privavit, quo facto docet nos injurias amore vincendas esse.

Prostravit Christus solo verbo: *Ego sum.* Judam cum omnibus satellitibus prostravit in terram, ait S. Chrysost. resupinos in dorsum, eósque, ùt innuit S. Leo Serm. 1. de Pass. privavit virtute sentiente & movente, ut se erigere non valerent. Tropologicè S. Greg. L. 13. Mor. c. 10. In faciem cadere est in hac vita suas unum quemque culpas agnoscere, easque pœnitendo deflere: retrò verò, quo non videtur, cadere, est de hac vita repentè decedere, & ad quæ supplicia ducatur, ignorare. 201. Pœnitentia lapsos Peccatores erigit.

v. 51. *Et ecce unus ex his, qui erant cum JEsu, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens* ser-

Petri ausus.

servum Principis Sacerdotum amputavit auriculam ejus. Unus, Petrus scilicet cæteris ferventior & animosior, ùt patet ex Joan. c. 18. ita S. Hieronym. Chrysost. Lucas addit, Petrum priùs petiisse à Christo licentiam, dicendo: Luc. 22. v. 49. *Domine si percutimus in gladio?* id est, si placet, gládio te defendemus, sed non expectato Christi responso, ob imminens Christo captivitatis periculum, ex ardore gladium strinxisse, ita P. Cornel. Gladium hunc fuisse cultrum, quo in mactatione vel comestione usi fuerunt Apostoli, censet Tolet. cui favent S. Chrysost. Theoph. Verũ gladium hunc ensem fuisse disertè asserit Fran. Lucas. favet S. Cyril. S. Aug. & alii. Et ita ostenditur hic gladius S. Petri Parisiis, habens speciem ensis. Dexteram auriculam amputavit, ùt habent Lucas & Joan. ut significaret, ait Origenes, Judæos in legendo & audiendo S. Scripturam perdidisse dextram aurem, id est, intelligentiam cælestium & retinuisse sinistram, ut sinistrè ad carnales sensus eam detorqueant. De sanato Malcho audi Paulum à Palatio: Theologicum dogma est, quem Dominus sanat, perfectè sanat. Si Christus Malchum & aure & mente sanavit, quod potuit esse majoris charitatis indicium, quod magis imperturbati animi argumentum. Maldonatus & alii colligunt, cæteros Apostolos videntes Petrum tam animosè depugnantem pro Christo, ipsos quoque pro eodem voluisse certare, sed prohibitos à Christo, cùm dixit Lucæ 22. *Sinite usque huc.* Noluit enim, ait Ambros. in cap. 22. Lucæ, persecutorum vulnere defendi, qui voluit suo vulnere omnes sanare. Unde Emblema: Ex vulnere salus. quod propriè Christo competit. 1. Petri 2. v. 20. *Cujus livore sanati estis*, ùt ait S. Petrus.

Auditio mala sinistra.

Fuga Apostolorum an culpabilis.

Fugam Apostolorum nonnulli putant, ab omni culpa immunem fuisse, vel saltem levi culpæ obnoxiam, cùm mente adhæserint Christo, exteriùs verò fugerint; quia Christo prodesse non poterant. Alii putant fuisse illicitam fugam illorum, cùm processerit ex diffidentia Christi, quòd videntes eum capi pristinam in eum fidem & spem amiserint desperantes se posse ab eo defendi. Potest tamen dici, quod illi non dubitabant Christum posse defendere, sed putabant nolle, sicut nec se voluit defendere, nec etiam illis constabat, an vellet illos secum pati.

Marc. 14. Quis adolescens fugit nudus.

Notandum circa acta in horto ex aliis Evangelistis. Marci 14. v. 51. *Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone*

super

super nudo: & tenuerunt eum. P. Cornel. hìc, sindon fuit genus vestis lineæ, quæ facilè corpori aptari poterat, dorso injici & eximi. Adolescentem istum S. Epiphan. S. Hieronym. censent fuisse Jacobum Fratrem Domini. Glossa, Beda, S. Chrysost. Baronius, opinantur fuisse S. Joannem. Cajetanus & alii, ait P. Cornel. conjectant hunc adolescentem fuisse filium vel servum villæ horto, in quo orans captus est Christus, adjacentis.

Apparitio Angeli in horto. Lucæ 22.

Lucæ 22. v. 43. *Apparuit autem illi Angelus de Cælo confortans eum.* P. Cornel. hìc, apparuit Christo iste Angelus in corpore visibiliter, ut sua specie & voce oculos aurésque Christi pavidas confortaret. Putat Jansen. Angelum hunc in singulis, puta, internis Christi orationibus apparuisse, ideóque ter eum confortâsse. Alii censent, in tertia & ultima Christi oratione duntaxat apparuisse. Quòd Angelus hic fuerit Gabriel, ait Gabr. Vasquez, alii tamen, ùt Fran. Lucas, putant Angelum hunc fuisse Michaëlem. *Confortans eum.* Præmissá Christi laude & adoratione debita, ait Titus, confortabat autem Christum exterius loquendo, & proponendo ei Patris voluntatem, & Gloriam. item fructum uberem tum Christo, tum hominibus, tum Angelis, ex Passione sua proventurum; nam non poterat Angelus interius in anima Christi operari, nec immutare immediatè interiores Christi potentias. Unde sicut exteriùs tantùm à diabolo tentari potuit Christus, sic ab Angelo exteriùs tantùm confortari, non tamen doceri vel illuminari. Ipse enim præ Angelis à primo instanti Conceptionis suæ plenús erat sapientia & scientia. Ita Scholastici cum D. Thoma 3. par. q. 12. art. 4.

Sudor Christi. Lucæ 22.

Lucæ 22. v. 44. *Et factus in agonia prolixiùs orabat, & factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* P. Cornel. hìc, orans Christus prolixiùs sudabat sanguinem, ideo confortavit eum Angelus, tunc enim videbatur egere confortatione.

Nota 1. Quidam Codices olim nil habuerunt de hoc Christi sudore sanguineo teste S. Hilario L. 10. de Trin. & S. Hieron. L. 2. contra Pelag. scilicet ne Christo animi infirmitatem & dolorem tribuerent. Sed jam communiter omnes Codices Græci, Latini, Syri, Arabici idipsum habent, quare verum est id esse legendum juxta defin. Conc. Trid. Sess. 4. 2do. Dicitur Christus sudâsse sanguinem non impropriè, uti explicat Euthym. & Theoph. sed verè & propriè; quare tò *sicut* non similitudinem, sed veritatem denotat. Ita S. Hieron. Hilar. August. & passim

alii citati à P. Cornel. hinc S. Athanaſ. L. 6. ad Theoph. qui eſt de Beatitudine Filii Dei, anathema dicit eis, qui Chriſtum negant ſudâſſe verum ſanguinem: porrò in vehementi angore naturaliter hominem poſſe ſudâre ſanguinem docet Ariſtoteles L. 3. de Hiſt. Animalium c. 19. unde Chietanus cenſet, Chriſtum ſudâſſe ſanguinem, eò quòd jam exſudâſſet humorem, qui ſolet verti in ſudorem. Porro vox ſicut guttæ ſignificat non purum fuiſſe ſanguinem ſed miſtum, quo ſcilicet ſudor cum ſanguine miſceretur, ita Suarez 3. par. qu. 46. art. 8. Diſp. 38. Sect. 2. Nota 3tiò. Hunc ſudorem ſanguineum manâſſe non tam ex triſtitia & angore, quàm ex actu fortitudinis & audaciæ. quocirca ex angore quidem, ſed magis ex actu fortitudinis heroice angori reſiſtentis naturaliter ſecutum fuit hoc ſanguinis in Chriſto profluvium, ita P. Cornel. hic. Nota 4to. cauſas finales & morales hujus ſudoris fuiſſe plures, inter quas fuerunt & hæ. 1. ut acerbitatem amoris erga nos oſtenderet. Sicut enim vehementia ignis facit, ut in diſtillatione aqua è roſis emanet, ſic vehementia amoris fecit, ut ex Corpore Chriſti ſanguis ſtillaret. 2. Chriſtus hunc ſanguinem ac ſeipſum cum ſanguine in holocauſtum & victimam obtulit. Vocalis eſt ſanguis Chriſti teſte Irenæo L. 5. c. 1. magisque loquitur & clamat, quàm ſanguis Abel. Hebr. 12. v. 24. Sanguis enim Abel clamat vindictam, ſanguis verò Chriſti miſericordiam.

Symbolica cauſa fuit, ut ſignificaret Chriſtus de toto corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, emanaturas paſſiones.



Caput

Caput decimum quartum.

Chriſti ductus ad Annam, Caipham, Chriſti alapa, ſilentium, facies conſputa, velata, Chriſtum Petrus negat, concilium contra Chriſtum, Judæ interitus, Pilatus Chriſtum condemnat, Chriſtus flagellatur, ſpinis coronatur, Crucem bajulat.

QUæ Chriſtus in horto paſſus antecedenti Capite narrata, quæ in urbe præſenti recenſebuntur. Horum ordo ex P. Saliani Annalibus
202. colligitur. Ad Annam imprimis ſocerum Pontificis ductus Chriſtus, deinde ad ipſum Pontificem Caipham, ibi percuſſus mortis reus proclamatus, à Petro negatus, hæc omnia in domo Caiphæ contigerè, cùm in domo Annæ nulla mora facta, ſed illi tantùm oſtenſus gratulationis cauſa captivus. Hæc ad horam tertiam vel quartam poſt medium noctis geſta. Ad Pilatum ductus circa horam primam diei. Interea Judas videns magiſtrum morti adjudicatum, quem fortaſſis crediderat, ſeſe, ùt alias, è manibus illorum erepturum, crudeli pœnitentia ductus, retulit argenteos, & dato de Magiſtri innocentia teſtimonio ad laqueum infelix potius, quàm ad Petri lachrymas confugit. Pilatus remiſit Dominum ad Herodem, Galileæ Terrarcham, qui tum erat Hieroſolymis, quo Herodes facto honorem ſibi exhibitum arbitratus reconciliatus eſt Pilato. Pilatus deinde ſtuduit Chriſtum liberare, juſſit Chriſtum flagellari, addita ex inſolentia militum coronatio. Tandem reſpectu ductus Pilatus condemnavit Chriſtum ad crucem, quam ille ùt Adrichomio placet, 3303. pedum ſpatio bajulavit.

Chriſtus ducitur ad Annam.

Matth. 26. v. 57. *At illi tenentes JEſum duxerunt ad Caipham Principem ſacerdotum, ubi ſcribæ & Seniores convenerant*, addit Joan. c. 18. 13. JEſum priùs ductum fuiſſe ad Annam, quod fecerunt, ait P. Cornel. à Lap. hìc, vel honoris cauſa, ut Seniorem Annam venerarentur, vel quòd Annas præ cæteris optaret & laboraret, ut Chriſtus caperetur. Unde S. Cyrill. & alii putant in domo Annæ perſolutum Judæ pretium.

Chriſtus ad Caipham ducitur. Matth. 26.

Alapam

Christus alapam accipit.

Adulatio multa audet.

Alapam accepisse censetur Christus in domo Caiphæ, quam videtur incussisse minister manu armata, ut adularetur Pontifici, quasi honoris ejus vindex, ait P. Cornel. S. Cyrillus, *Universam creaturam perhorruisse, si sensum hujus rei habuerit.*

Judicium dolosum.

V. 59. *Principes autem Sacerdotum & omne Concilium quærebant falsum testimonium contra JEsum, ut eum morti traderent.* S. Chrysostom. habitum judicii & figuram insidiis prætexunt, scilicet, ùt ait victor Antiochen. in cap. 14. mani. insidias suas tribunalis schemate palliantes.

V. 62. *Et surgens Princeps Sacerdotum ait illi: nihil respondes ad ea, quæ isti adversùm te testificantur? JEsus autem tacebat.* Cur tacebat Christus? respondet P. Cornel. quia accusatio nullum crimen morte dignum continebat. Tacebat, quòd sciret, ait S. Hieronym. quidquid tandem respondisset, torquendum ad calumniam. nam, ùt ait S. Chrysost. figura ibi duntaxat judicii erat, re autem ipsa latronum impetus.

Silentium Christi non excusantis se admirandum.

V. 63. *Et Princeps Sacerdotum ait illi: adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei.* V. 64. *Dicit illi JEsus: tu dixisti.* P. Cornel. Clarè se esse Christum respondit, tum ut reverentiam nomini Divino, per quod adjurabatur, ac simul pontificiæ authoritati, à qua adjurabatur, honorem & obedientiam aliàs debitam deferret. 2do. ut hoc responso omnem illorum tolleret excusationem. Ait Chrysost. ne scilicet ipsi apud homines & apud Deum in die Judicii se excusare possent, cur in Christum non credidissent, eique dicere, interrogavimus JEsum juridice in concilio, num ille esset Christus, ipse verò tacuit vel ambiguè respondit, quare non obligabamur eum ùt Christum recipere. V. 65. *Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: blasphemavit.* P. Cornel. lacerabant Judæi vestem à mento usque ad cingulum in signum doloris & indignitatis. Porrò illicitè hìc Caiphas vestem scidit, Pontifici enim id vetitum erat juxta illud Levit. 21. 10. *Caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet.* S. Leo Serm. 6. de Passion. inquit, quòd fecit hoc ad exaggerandàm auditi sermonis invidiam, nesciens autem quid hæc significet insania, sacerdotali se honore privavit. V. 67. *Tunc exspuerunt in faciem ejus & colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt dicentes: prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit.* P. Cornel. colaphus est verber, quod pugno seu manu contracta infligitur, alapa, quod manu explicata, in maxillam impingitur. Titus Bostren.

Excusatio inscientibus difficilis.

Conspuitur Christus, colaphis ceditur. Matth. 26.

Velatur Christi facies.

stren. in Lucæ cap. 22. in faciem illam, quam fluctus maris reveriti sunt, quam sol in cruce videns, radios occuluit, spuebant, cedebant. &c. Addit S. Lucas c. 22. v. 64. *Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus.* Tropologicè P. Cornel. in Matth. c. 26. v. 68. Significabat Christus se luere peccatum Adæ, Adam enim & Eva primò peccârunt oculis & ore, aspiciendo & comedendo pomum vetitum. Christus ergo, ut hoc expiaret, passus est velari sibi os & oculos. nam, ùt ait S. August. Christus passus est omnibus membris, quibus peccavit & peccat homo, ut omnia expiaret. Hisce probris Christum afficiendum prædixit Sibylla Delphica, cujus carmina extant L. 1. Sibyllin. oraculorum.

Tunc impius illi
Impinget colaphos, virosaque sputa scelestis
Israel labiis, neque non & fellis amari
Apponent escam, potúmque immitis aceti. & L. 8.

Contundent alapis palmæ, prô crimina, Divum.
Felle fames ejus, sitis illudetur aceto.
Scindetur Templi velū, mediúmque diei,
Nox tenebrosa tribus premet admirabilis horis.

Et Sibylla Erithrea apud Lactan. L. 4. c. 18. Dabit in verbera innocens dorsum. Nota, postquàm Caiphas cum Concilio noctu Christum reum mortis proclamavit, illi quasi blasphemo & damnato insultârunt per totam reliquam noctem teste S. August. L. 3. de Consen. Evang.

V. 69. *Petrus verò sedebat foris* 203.
in atrio & accessit ad eum una ancilla dicens: & tu cum JEsu Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus dicens: nescio quid dicis. S. Ambros. in cap. 22. Lucæ ubi verò negavit JEsum Petrus in prætorio Judæorum in societate impiorum. Beda in Marc. c. 14. quàm nociva impiorum colloquia: Petrus ipse inter ministros Pontificum, vel hominem se nosse negavit, quem inter Condiscipulos Dei Filium fuerat confessus. Quæres unde novit ancilla Petrum? Respondet P. Cornel. Observavit Petrum, viditque eum non esse è ministris, sed peregrinum, pavidum, vultúque mœsto, Ancilla ostiaria. Victor Antioch. in c. 14. Marci subitâ illâ consternatione, animique perturbatione obcæcatus, dominicæ illius comminationis penitùs oblitus fuerat. S. Ambros. in Joan. c. 18. Ecce columna firmissima ad unius auræ impulsum contremuit, ubi est illa promittentis audacia? Sed quid mirum! si Deus vera prædixit, homo autem falsa præsumpsit. Quæres quoties Petrus negavit Christum? Respon-

Petrus Christum negat. Matth. 26.

Conversatio cum malis quàm damnosa.

spondet Dionys. Carthus. sexies. Cajetanus, septies. Verùm Communis, S Cyrill. in Joan. c. 18. S. Ambros. in Lucæ c. 22. S. Hieronym. & aliorum sententia, Petrum ter duntaxat negâsse. Idque expressè prædixit Christus v. 34. *Ter me negabis.* Nec in domo Annæ negavit; hæc enim omnia in Domo Caiphæ contigerê. Quod Petrus ore solum negavit & peccavit graviter, interiùs tamen fidem servavit, censent S. Chrysost: S August. de quo vide superiùs præcedenti Cap. dicta. Permissus est Petrus labi, ut disceret lapsis compati & omnium peccatorum misereri, atque ut suo exemplo omnibus peccatoribus verum pœnitentiæ daret exemplum. ita S. Chrysost. hìc, S. Leo serm. 9. de Pass. S. Gregor. & alii.

V. 71. *Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla & ait his, qui erant ibi: & hic erat cum JEsu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento.* S. Gregor. Peccatum quod pœnitentiâ non deletur, mox suo pondere ad aliud trahit. P. Cornel. hìc, Petrus negationi addidit juramentum, id est, perjurium. v. 74. *Et continuò gallus cantavit.* Addit Lucas c. 22. v. 61. *Et conversus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat: quia priusquàm cantet Gallus, ter me negabis.* Respectus, quo

Unum peccatum aliud gravius trahit.

Christus Petrum respexit, ait S. Ambros. fuit causa, ut Petrus, qui priorem galli cantum non adverterat, hunc posteriorem advertit. Respexit ergo & respiciendo erexit Christus Petrum, ait S. Leo. Porrò respexit Christus Petrum tum oculis mentis obijciendo illi fæditatem peccati ac stimulando ad pœnitentiam. ita August. Beda, Ambros. tum oculis corporis, ita P. Cornel. in Matth. c. 26. v. 74.

Respectus Christi in Petrum salutaris.

Symbolicè gallus à DEo cuique datus, est sua conscientia, quæ, quoties quis peccat, ei acclamat dicitque: cur tantum scelus committis? cur DEum offendis? hic clamor conscientiam remordet & excitat ad pœnitentiam, quem qui audit & exaudit, verè cum Petro compungitur. ita Laurent. Just. l. de Chr. agon. c. 9.

Conscientia gallus.

Notat S. Clemens S. Petri discipulus & Successor, adeo pœnituisse Petrum, ut per totam deinceps vitam, singulis noctibus audiens galli cantum in genua procideret, amarásque funderet lachrymas, & peccati licèt remissi iterum veniam à DEo flagitaret. Hinc enim oculi ejus ex assiduo ploratu apparebant quasi sanguine aspersi, teste Nicephoro. l. 2. c. 37. denique lapsum hunc compensavit Petrus, austerè usque ad mortem vivens, lupinos (pisa sunt amara) comedens, teste Gregor.

Nazian. orat. de amore paupor. Lege l. 4. Revel. c. 5. S. Brigitæ. Ubi S. Petrus apparens S. Brigitæ narrat: sui lapsus causam fuisse oblivionem sui propositi, & promissionis Christo factæ.

Oblivio propositorum damnosa.

Matth. 27. v. 1. *Manè autem facto consilium inierunt omnes Principes sacerdotum, & seniores populi adversùs JEsum, ut eum morti traderent. Manè.* Cerne, ait S. Hieron. solicitudinem sacerdotum in malum, juxta illud Ps. 13. v. 3. veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. P. Cornel. hìc, itaque Caiphas, qui noctu cum paucis Christum examinârat & damnârat, manè convocavit magnum plenúmque concilium, quod Sanedrin vocatur, & 70. viris sive senatoribus constabat, ut ab eo toto Christus damnaretur, ac damnatus Pilato traderetur, ne Pilatus eum utpote à toto concilio prædamnatum absolvere posset. Præclarè S. Leo serm. 30. de Pass. Hoc manè vobis templa & altaria diruit, legem & Prophetas ademit, regnum & sacerdotium sustulit, in luctum æternum omnia festa convertit. v. 2. *Et vinctum adduxerunt ad eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.* Nam, ùt ait S. Hieronym. Judæi habebant hunc morem, ut quem adjudicâssent morti, ligatum Judici traderent. Hic est Samson vinctus à Dalila, Christus à Synagoga. Cur Judæi non occi-

Sanedrin Caiphas convocat ad damnandum Christum. Matth. 27.

derunt ipsi Christum, hanc causam assignat P. Cornel. quòd Romani Judæis devictis subactísque, jus necis & potestatem occidendi ademerint sibíque vendicârint. Unde Joseph. lib. 20. Antiq. c. 8. scribit: Ananum Pontificem, eò quòd cum concilio Jacobum fratrem Domini aliósque nonnullos sine consensu Præsidis Romani occidisset, Pontificatu fuisse privatum. Notandum, quòd Judæi Christum ùt blasphemum damnârunt; blasphemi autem pœna ex lege Levit. 24. 16. erat lapidatio, non crux: ut ergo Christum crucifigant, tradunt eum Pilato, ut is ex lege Romana, quæ rebelles & seditiosos cruci addicit, Christum, quasi Cæsari rebellem, crucifigat.

V. 4. Dicebat Judas: *Peccavi tradens sanguinem justum. At illi dixerunt, quid ad nos, tu videris. Et projectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo sè suspendit.* P. Cornel. hìc, Judas vendens Christum Judæis non cogitabat, quòd Christus ab eis occideretur sed caperetur duntaxat, & captus vel eis satisfaceret, vel virtute sua è manibus eorum elaberetur, sed dum vidit damnatum ad mortem, culpam agnovit. Pœnitentia tamen illius non fuit vera, cùm spe veniæ caruerit, sed coacta desperabunda.

Judæ pœnitetnia vana.

S. Chrysost. audite ista, audi-

Avaritia Judam perdidit.

te, inquam, avari, verſate animo, quod ille paſſus fuit, nam & pecuniam amiſit & ſcelus admiſit, & animam perdidit, quod atrox avaritiæ tyrannis facere ſolet. Symbolicè Beda, Dignam ſibi pœnam invenit, ut guttur, per quod vox proditionis exierat, laquei nodus necaret, & qui hominum angelorúmque Dominum morti tradiderat, cœli terræque peroſus, aëris in medio periret, & viſcera, quæ dolum proditionis conceperant, rupta caderent.

Chriſtus tacens ſe non defendit.

V. 12. *Et cùm accuſaretur* (Chriſtus) *à Principibus Sacerdotum & ſenioribus, nihil reſpondit.* S. Ambroſ. in cap. 23. Lucæ. Benè tacet, qui defenſione non indiget: Ambiant defendi, qui timent vinci. Quid timeret, qui non ambiret ſalutem, ſolus omnium ſuam prodit, ut acquirat omnium. S. Athanaſ. ſerm. de paſſ. & cruce. Magnum id certè & mirificum in Servatore, qui tacendo & non reſpondendo, tam efficax erat in perſuadendo, ut Judex ultrò factiones conſpirationéſque adverſus eum initas & agnoſceret, & confiteretur.

Pilatus an vere voluit dimittere Chriſtum.

Quæres an verè Pilatus voluerit dimittere Chriſtum? Negat Rupertus, putátque Pilatum inſtar vulpis ſimulâſſe, ſe velle liberare JEſum, ſed ſecretò colluſiſſe cum Judæis, ut eum perderet. Quia, inquit, poſuit ipſe JEſum in Judæorum invidentium arbitrio. Verùm longè meliùs S. Auguſtin. cæterique omnes cenſent, Pilatum ſincerè & feriò voluiſſe dimittere JEſum, videtúrque id ſenſiſſe S. Petrus Act. 3. v. 13. *JEſum negaſtis ante faciem Pilati, judicante illo, dimitti.*

V. 19. *Sedente autem illo* (Pila- 204.
to) *pro tribunali, miſit ad eum uxor ejus, dicens: nihil tibi & juſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum* (id eſt in ſomnis) *propter eum.* Somnia hæc illi immiſſa fuiſſe à dæmone, Chriſti necem impedire volente cenſent S. Cypr. S. Bern. & alii. Origen. S. Hilar. Hieronym. Chryſoſt. Auguſtin. cenſent immiſſa à DEo per angelum ſanctum. Idque 1. ut Chriſtus ab utroque ſexu innocentiæ ſuæ ferret teſtimonium. 2. Quia hæc mulier videtur fuiſſe honeſta & pia, ſalvatámque opinantur Orig. Chryſoſt. Theophyl. Lucius Dexter vocat hanc uxorem Pilati Claudiam proculam.

Pilati uxor vult Chriſtum liberari. Matth. 27.

Deinde Pilatum etiam ad fidem converſum per uxorem, innuit S. Aug. ſerm. 3. de Ep. Magi ab Oriente, Pilatus ab Occidente venerat, unde illi orienti, id eſt, naſcenti, ille autem occidenti, hoc eſt morienti, atteſtabatur Regi Judæorum, ut cum Abraham, Iſaac & Jacob recumberent in regno cælorum. Verùm hæc valde ambigua Symbolica, ait P. Cornel. Joſephus enim lib. 18. antiq. c. 5. ſcribit, Pilatum poſt aliquot annos à Vitellio Syriæ Præſide Romam miſſum ad cæſarem, ut coram illo ad crimina ſibi à Judæis objecta reſponderet, quod cùm facere non poſſet, omni honore privatus, Viennam in Gallias relegatus, ſua ſe transverberans manu, compendium malorum mortis celeritate quæſivit. Ita Ado ejúſque Viennæ Epiſc. ex Paulo Oroſio. Idem habet Euſebius, Baronius, & alii paſſim. quòd ergo S. Aug. & Tertul. vocant Pilatum Chriſtianum, intelligendum ait P. Cornel. fuiſſe Chriſti fautorem & defenſorem.

Pilatus ſalvatùs ne.

V. 24. *Lavit manus* (Pilatus) *coram populo dicens: innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus.* Judaico, ait Origenes, uſus eſt more, volens eos de Chriſti innocentia non ſolùm verbis, ſed etiam ipſo facto placare. S. Aug. ſerm. 118. Laverit licèt manus Pilatus, tamen ſua facta non diluit, quamvis abſtergere ſe putaverit juſti ſanguinem, eodem tamen ſanguine mens ejus tenetur infecta, ipſe enim occidit Chriſtum qui eum tradidit occidendum.

Pœna talionis.

V. 25. *Reſpondens univerſus populus dicens: ſanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Factum id; nam dum Titus obſideret Hieroſolymam, cùm ob famem turmatim egrederentur ex urbe Judæi, ipſe quotidie 500. & plures crucifigi juſſit, ut tandem locus crucibus deeſſet & corporibus cruces, ait Joſeph. l. 6. Bel. c. 12.

Flagellatio Chriſti. Matth. 27.

V. 26. *Tunc dimiſit illis Barabam, JEſum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.* S. Hieronym. S. Paulin. & alii teſtantur Chriſtum, ut flagellaretur, adſtrictum fuiſſe columnæ, quam Beda vocat, marmoream, quæ deinde Romam translata in templo S. Praxedis viſitur. eſt ea humilis, altitudine trium palmorum, ne, ſi altior foret, flagellatores impediviſſet, ut Chriſtum utrinque flagellare poſſent. S. Hieronym. in Ep. Paulæ. Oſtendebatur ei columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus. inde patet, aliam hanc fuiſſe columnam à priori, vúltque Boſius columnam S. Praxedis, non eſſe partem, ſed integram. S. Hieronymum verò loqui de alia columna, ad quam priùs flagellatus fuerit Chriſtus; bis enim eum flagellatum indicat S. Chryſoſt. B. Magdalena de Pazzis ſanctim. Florentina, ſanctitate & revelationibus celebris in extaſi, cognovit Chriſtum à 30. paribus hominum fuiſſe flagellatum. In vita illius Par. 6. nonnulli tradunt inflicta fuiſſe hâc flagellatione 5000. verberum. Nam S. Brigittæ revelatum dicitur, Chriſto tota paſſio-

ne inflicta fuiſſe vulnera 5475 verùm numerus hic flagellorum incertus & varius à variis aſſignatur, ait P. Cornel. hic. Addit Paulus à Palatio traditum à graviſſimis authoribus, Chriſtum flagellatum fuiſſe 1. virgis ſpineis. 2. hordis cum ſtimulis ferreis. 3. catenis aduncis. S. Brigitta tradit B. Virginem interfuiſſe flagellationi Chriſti. S. Thomas p. 3. q. 46. ar. 5 quòd per omnia paſſus fuerit Chriſtus oſtendit: Paſſus eſt Chriſtus in ſuis amicis eum deſerentibus, in fama, per blaſphemias contra eum prolatas, in honore & gloria, per irriſiones & contumelias ei illatas, in rebus per hoc, quod etiam ſuis veſtibus ſpoliatus eſt, in anima, per triſtitiam & tædium & timorem, in corpore per vulnera & flagella, Unde illud de Chriſto patiente:

Cernis, ùt in toto corpore ſculptus amor.

Condemnationis Chriſti ſententia.

Sententia à Pilato in Chriſtum lata ex Vetuſtii Annalibus accepta, utì refert Andrichomius in deſcript. Jeruſal. pag. 163. fuit hæc: JEſum Nazarenum ſubverſorem gentis, contemptorem Cæſaris, & falſum Meſſiam, ut Majorum ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt, ducite ad communis ſupplicii locum, & cum ludibrio Regiæ Majeſtatis, in medio duorum latronum crucifigite: lictor expedi cruces. Cæterùm ùt refert P. Cornel. in Matth. c. 27. v. 25. quòd Pilatus rationem ſuæ gubernationis de more, Cæſari Tiberio reddens, inter alia ſcribit, ſe JEſum crucifixiſſe ob importunitatem Judæorum, cæteroqui eum fuiſſe virum ſanctum & divinum, de quo Paulus Oroſius. Audi Euſeb. in Chronic. An. Chriſt. 38. Pilato de Chriſtianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum, ut inter cætera ſacra reciperetur; verùm, cùm ex conſulto Patrum Chriſtianos eliminari urbe placuiſſet, Tiberius per edictum accuſatoribus Chriſtianorum comminatus eſt mortem.

Pilati litteræ ad Tiberium.

Chriſti purpura.

V. 28. *Et exuentes eum,* (milites) *chlamydem coccineam circumdederunt ei*, luſum ſibi Chriſtum facientes, ait Origenes. Dices: Marcus & Joannes hanc chlamydem vocant purpuram. Reſpondet S. Ambroſ. in Lucæ c. 23. fuiſſe has veſtes diverſas, ac utraque veſtitum fuiſſe Chriſtum (ait P. Cornel.) S. Athanaſ. ſer. de cruce. S. Auguſt. Toletus & alii cenſent fuiſſe eandem, quia color coccineus ſimillimus eſt purpureo, unde ſubinde purpureus vocatur. Cohors, quæ ad Chriſtum congregata dicitur v. 27. erat decima pars legionis continens milites 1250. vel ùt alii 500. duntaxat.

205. Chriſti coronatio ſpinis. Matth. 27.

V. 29. *Et plectentes coronam de ſpinis* (milites) *poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum illudebant ei dicentes: ave Rex Judæorum.* Spinas cujus coronæ fuiſſe ex junco marino, cujus acumina ſunt quaſi ſpinæ longiſſimæ & acutiſſimæ, cenſent Toletus, Pererius, & alii. Ex rhamno illas fuiſſe contendit Bellonius. Cum corona ſpinea fuiſſe Chriſtum crucifixum, indicant omnes ejus picturæ, idem diſertè docent Origen. Tertul. Revelavit B. Virgo acerbitatem hujus coronæ S. Brigittæ l. 1. Rev. c. 10. Quo facto aptaverunt coronam de ſpinis capiti ejus, quæ tam vehementer reverendum caput Filii mei pungit, ut ex ſanguine fluente replerentur oculi ejus, obſtruerentur aures & barba tota decurrente ſanguine deturparetur. Cauſa literalis hujus ſpineæ coronæ fuit, ut milites Chriſtum, quaſi falſum Regem Judæorum, illuderent & cruciarent. S. Bernard. de paſſ. tract. de hac corona: mille puncturis ſpecioſum ejus caput divulneravit.

Coronæ Sacerdotum.

Tropologicè ſpinæ hæ nos docent carnem pungere & domare jejuniis, ciliciis, diſciplinis. Non enim decet ſub capite ſpinis coronato membra eſſe delicata, ait S. Bernard. Hanc ſpineam Chriſti coronam, velut humilitatis, mundique contemptûs inſigne repræſentant Sacerdotes, & Monachi tonſurâ ſua, quam inſtar coronæ geſtant in capite. ita Beda l. 5.

Hiſt. Angl. Germanus Patriarcha Conſtantinop. in Theoria. Arundo, ait S. Ambroſ. in cap. 22. Lucæ comprehenditur manu Chriſti, ut humana fragilitas, jam non ſicut arundo moveatur à vento, ſed operibus Chriſti corroborata firmetur. Juſta DEi vindicta factum eſt, ut paulò pòſt ſimili prorſus illuſione, qua Chriſtus per ludibrium Rex Judæorum coronatus eſt, Agrippa Rex Judæorum licèt abſens, Alexandriæ illuderetur. Nam cuipiam inſano Narrabas dicto, capiti impoſitum à pueris papyrazeum diadema, pro paludamento ſtorea indutus, pro ſceptro fruſtum arundinis datum &c. Ecce Narrabas hìc ſuſtinens perſonam Agrippæ repræſentabat Barrabam, ait P. Cornel. in cap. 27. Matth. quem Judæi prætulerunt Chriſto.

Arundo.

Chriſti iter ad montem Calvariæ. Matth. 27.

V. 31. *Et duxerunt eum ut crucifigerent.* Fatigatus Chriſtus crebris longíſque itineribus; nam abſolvit paſſus minores ſive greſſus (minor paſſus continet pedes duos cum dimidio, major ſive geometricus eſt duplus, mille paſſus majores faciunt milliare Italicum) à cœnaculo in montem Oliveti 1500. inde ad domum Annæ totidem ferè paſſus, inde ad domum Caiphæ 333. inde ad domum Pilati 1000. inde ad domum Herodis 350. inde reductus ad Pi-

latum, à Pilato ad montem Calvariæ gressus 1321. Adrichom. in Descript. Jerus.

Crucis bajulatio. V. 32. *Invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* Traditio est, ait Pererius, Simonem hunc postea ad fidem Christi cum filiis esse conversum, unde Marcus addit eum fuisse patrem Alexandri & Ruffi, qui videntur fuisse celebres Christi discipuli. Christus primò portavit crucem suam longam, (ùt ferunt) 15. pedes, latam octo. Ita P. Cornel. hìc. Christum portâsse suam crucem disertè ait Joan. c. 19. 17. *& bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum*, ita Euthym. S. Athanas. non videtur tamen Christus ita portâsse crucem cum Simone utì pingitur, ut Christus priorem crucis partem, Simon posteriorem portaret, sed primò Christus totam bajulavit, postea, cùm Christus fuit defatigatus magnoperè, Simon totam itidem portavit præeunte Christo. Ita S. August. Ambros. Athanas. & alii. Hìc ordine historiæ intexenda, quæ supplet Lucas c. 23. v. 31. scilicet Christum mulieribus piis se sequentibus & lamentantibus dixisse, ut flerent non super se, sed super filios suos. Inter has fæminas una fuit Berenice sive Verenice, vulgò Veronica, ait P. Cornel. in Matth. c. 27. v. 32. quæ sudarium Christo exhibens, ut faciem sudore & sanguine madentem abstergeret, ab eo illud recepit, cum impressa in eo ejusdem Christi effigie, ùt habet Christiana traditio. Sudarium hoc Romam translatum in Basilica S. Petri asservatur, & quotannis in Parasceve populo religiosè ostenditur, de eo, ejúsque miraculis extat liber vetustus in archivo Biblioth. Vaticanæ. Veronica.



Caput

Caput decimum quintum.

Calvaria quid? crucifixio Christi. B. Virginis dolores sub cruce. tenebræ in morte Christi. latronis conversio. septem Christi verba in cruce. terræ motus magnus. scissæ petræ. tenebræ horribles. Christi latus lanceâ apertum.

Hoc capite gesta in monte Calvariæ narrabuntur, ubi consummatum morte Salvatoris opus nostræ salutis.

206. Calvaria quid? Matth. 27. Matth. 27. 33. *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.* Quæres unde dictus hic locus calvaria. Responsio Communis, Origen. Tertul. S. Athanas. S. August. & aliorum, quos citat P. Cornel. à lap. hìc (excepto S. Hieronymo) dictum esse ex eo, quòd traditio sit, in Golgotha sepultum esse Adamum, quem Christus ibidem sanguine suo è cruce manante redemerit. Huc facit, quod scribit Jacobus Orrohaita, magister S. Ephrem. scilicet Noe, ossa Adami religiosè in arcam suscepisse, ac post diluvium illa inter filios distribuisse, ipsíque Sem, quem anteferebat cæteris, Adami Calvariam dedisse, & cum ea Judæam.

Aliam causam magis literalem dat S. Hieron. Beda, & alii, scilicet calvariam dici hunc montem, eò quòd illo Rei capite plectebantur, unde ibi multa erant crania, & licèt Judæis non erat moris plectere capite Reos, post subactam tamen Judæam à Romanis certum est reos in ea capite fuisse plexos. Notat ex S. Hieronym. S. August. Ser. 71. de temp. & alii, in hoc monte Abraham à Deo jussum immolare filium suum. Mons enim Moria, in quo id contigit, vicinus est monti calvariæ, adeóque uterque, unus idémque videtur, mons, in duo juga, sive duos colles scilicet Moriam & Calvariam dissectus.

V. 34. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustas-*

stasset : noluit bibere. P. Cornel. hic, interim dum apparatur crux Christo nonnihil quiescenti, propinatum est hoc vinum, quod de more Reis, tum ad levandam acerbam sitim, tum ad confortationem, ut robur ad ferenda tormenta haberent, dari solebat. Notandum: hanc Christi potionem aliam fuisse ab ea, quæ Christo jam crucifixo porrecta, clamanti, sitio. Vinum hoc cum felle Marcus vocat, vinum myrrhatum, quia scilicet (P. Cornel.) vino huic imposita fuit myrrha cum felle, vel certè myrrha sola sine felle, ut myrrha ipsa fel dicatur ob amaritudinem. Ita passim omnes Patres dempto Baronio, qui censet vinum myrrhatum fuisse aromaticum, sapore & odore suavissimum.

Crucifixio Christi.

v. 35. *Postquàm autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes.* S. Hilarius l. 10. de Trin. ait Christum cruci clavis affixum & funibus alligatũ fuisse. Funes ostenduntur Romæ in Templo S. crucis. addunt S. Irenæus, Justin. & alii, in cruce fuisse suppedaneum, verùm in cruce delicatior hæc fabrica videtur. Ait Lipsius de cruce, nec Christus in cruce stetit, sed pependit. S. Brigita l. 1. Revel. c. 10. asserit unum pedem alteri suppositum cruci fuisse affixum duobus clavis, idque sibi revelâsse B. virginem. Nonnulli censent Christum crucifixum clavis, non per volam manus, sed per carpum adactis, carpus vocatur brachii extremitas, ubi est pulsus, & ubi brachium jungitur manui. Adactis inquam per carpum non directè sed transversim, ita ut per carpum adigerentur in manum & clavi extremitas in extremam manus superficiem desineret, illámque cruci affigeret. Nudus Christus crucifixus, more Romano. imò multi Doctores cum S.Ambros. &S.Bonaventura docent, ne verenda quidem habuisse recta & velata; licèt id putet Abulen. Dionys. Carthus. & Barrad. quod id inhonestum sit coram viris & fæminis. Sed (ait P. Cornel. magis indecora passus est Christus, ita Gretserus & Suarez. hinc Christi exemplum sequi volens S. Franciscus in morte, nudum se in terra prostravit. passim censent Christum in cruce humi strata fuisse crucifixum, ita Ansel. Lauren. Justin. & alii. In cruce erecta fuisse crucifixum docet S. Bonaven. Lipsius & alii citati à P. Cornelio.

Quare Christus potius crucifixus.

Quæres cur Christus sit crucifixus potius quàm lapidatus vel capite plexus? respondet P. Cornel. causa literalis, quòd Ju-

Judæi ex odio voluerunt eum morte, summè infami, plectere.

Causæ morales. 1. ut sicut Adam & Eva peccârunt extendendo manus ad lignum veritum, sic Christus peccatum hoc lueret extendendo manus ad lignum crucis, ita S. Augustin. &c. &c. 2. Ut pendens in aëre inter cælum & terram cælites terrenis reconciliaret, ita S. Ambros. hinc S. Hieronym. hìc docet: Christum in cruce per 4. ejus cornua, quasi amplecti totum mundum, ejúsque 4. plagas. 3. S. Anselm. in Ep. ad Philip. c. 2. tam pessimam mortem Salvator elegit, ut omnem mortem occideret. 4. S. Athanas. de Incar. ver. Dominus venit ut diabolum præcipitaret, aëremque purificaret, & viam ad cælum nobis inveniret.

Crux composita dicitur fuisse ex lignis hoc carmine expressis:

Ligna crucis, Palma, cedrus, cupressus, oliva:

Quod citat Glossa in Clement. de summa Trin. 1. Et

Corpus tenet alta cupressus.

Et *Pars est oliva suprema.*

Crucifixum Christum S. Franc. Salesius alloquitur his versibus:

Aut Amor, aut furor est, qui te bone Christe, peremit:
Et amor & furor est, hic meus, ille tuus.

Crucificus Christus die 25ta Martii, qua & conceptus olim fuit. unde Ecclesia die 25ta Martii recolit memoriam S. Disinæ latronis. Crucifixus in æquinoctio verno, natus verò in solstitio hyberno, crucifixus in meridie. S. Joan. enim ait c. 19. 14. *Erat hora quasi sexta scilicet ab ortu solis.*

Dices: Marcus c. 15. 25. ait: *Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum.* Respondet P. Cornel. erat hora tertia non incipiens sed finiens; finis autem horæ tertiæ erat initium sextæ; hæ enim horæ olim apud Judæos & Romanos, ternas horas continebant.

Eadem die creatum esse Adam, scilicet in æquinoctio verno & eadem hora comedisse pomum vetitum, qua Christus in cruce moriens culpam expiavit, multi censent, inter quos Tertulian.

Ita fuit Christus crucifixus, ut facie ab Hierosolymis aversa (quasi, qui ejus hostis indignus esset eam intueri, sed revera, quasi impios Judæos reprobaturus & gentes electurus,) Occidentem puta Italiam & Romam spectaret. inde Christiani, ex Apostolorum institutione, orant ad Orientem, quasi Christus crucifixi faciem intuentes. Hinc & templa eorum respiciunt Orientem, in quibus imago Christi crucifixi Occidentem respicit.

Chriſtus orat pro crucifixoribus.

Intexendum hìc ex Luca c. 23. 34. JEſum illicò, ùt fuit crucifixus, orâſſe Patrem pro Judæis, & militibus eum crucifigentibus, dicendo: Lucæ 23. v. 34. *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt* Hoc primum eſt verbum inter 7. memorabilia: non enim ſciunt quid faciunt. P. Cornel. in cap. 27. Matth. quia neſciunt me eſſe Chriſtum filium DEI. Ita de impietate & malitia Judæorum ſuavitas pietáſque Chriſti triumphat, ait S. Cyprian.

Chriſti tunica inconſutilis.

207. Habuit Chriſtus tunicam inconſutilem, hoc eſt totam textilem ſine ſutura, quam Euthym cenſet à matre B. Virgine, Chriſto puero factam textámque fuiſſe, unde conſequens eſſe videtur, hanc tunicam cum Chriſto creſcere. Hæc tunica inconſutilis Treviris aſſervatur & viſitur.

Symbolicè S. Athanaſ. de cruce: velum quidem ſciſſum eſt, tunica verò Servatoris ne à militibus ſciſſa eſt, ſed manſit integra; manet enim Evangelium ſemper integrum, cùm interim diſſipentur umbræ.

Titulus crucis.

Titulum crucis Chriſti nemo Evangeliſtarum integrè plenéque exprimit, ſed ex omnibus inter ſe collatis, ait P. Cornel. in Matth. c. 27. colligitur, fuiſſe hunc.

JESUS nazarenus Rex Judæorum.

Noluit volentibus Judæis, hunc titulum mutari Pilatus reſpondens Joan. 19. v. 22. *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Quare hìc titulus fuit Chriſto ſummi honoris elogium; oſtendit enim ejus non tantùm innocentiam, ſed & dignitatem, quod ſcilicet, ille ſit Chriſtus mundi Redemptor. Intendebat quidem Pilatus idem ſignificare, quod volebant Pontifices, ſed Deo manum ejus dirigente, aliter alióque ſenſu ſcripſit. Extat titulus hic Romæ in Baſilica S. Crucis in Jeruſalem, ubi eum ſæpius ſe vidiſſe ait P. Cornel. ſed imperfectus & dimidiatus. in eo enim nil extat niſi tò Nazarenus, ſcriptum literis Græcis & Latinis.

Crux Chriſti tribunal.

De cruce Chriſti S. Aug. Tract. 31. in Joan. Ipſa crux, ſi attendas, tribunal fuit; in medio enim judice conſtituto, unus qui credidit, liberatus, alius, qui inſultavit, damnatus eſt.

Cur Chriſtus de cruce non deſcendit.

Matth. 27. v. 42. *Dicebant Principes Sacerdotum & ſcribæ: ſi Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce & credimus ei.* Nolebat tamen deſcendere, ait P. Cornel. hìc, irritatus tot ſannis, quia ex Patris præcepto mori debebat, ut nos à morte redimeret: contempſit ergo impiorum improperia, ut nos idem facere doceret. ita Theoph.

Conſtantiam nos docet. Matth. 27.

ph. in Marci c. 15. & credimus ei. S. Hieronym. Fraudulenta promiſſio! quid eſt plus de cruce adhuc deſcendere viventem, an de ſepulchro mortuum reſurgere. Reſurrexit, & non crediſtis, ergo ſi etiam de cruce deſcenderet, ſimiliter non crederetis.

Latrones Chriſto improperant.

v. 44. *Id ipſum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Græci, ùt Origines, S. Chryſoſt. Theoph. & alii probabiliter (P. Cornel.) putant utrumque latronem initio Chriſtum blaſphemâſſe, ſed alterum poſtea, viſa Chriſti patientiâ, tenebris aliíſque ſignis reſipuiſſe: Latini, ſcilicet S. Hieronym. S. Ambr. S. Auguſt. & alii cenſent per ſynedochen numerum pluralem poni pro ſingulari: latrones, id eſt, unus latronum. ſic Lucæ 33. v. 36. dicuntur milites obtuliſſe Chriſto acetum, id eſt, unus militum; voluit enim Matth. non tam perſonas latronum, quàm conditionem ſignificare. Hìc ordine hiſtorico intexenda ſunt dicta Chriſti ad matrem, & ad Joannem, quæ ſic enarrat S. Joan. c. 19. 25. *Stabant autem juxta crucem JEſu mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & maria Magdalene. Cùm vidiſſet ergo JEſus Matrem & Diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.*

Beatiſſima ſtans ad crucem patitur fortiter. Joan. 19.

Tantus dolor B. Virginis ſpectantis patientem filium in cruce, ut Martyrum dolorem ſuperâſſe cenſeatur, Sophron. apud S. Hieronym. quia mente paſſa eſt, plus quàm martyr; fuit nimirum & ejus dilectio amplius quàm mors: fortis fuit, quia mortem Chriſti ſuam fecit.

S. Ildeph. Serm. 2. de Aſſum. Plus quàm Martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quàm mæroris fuit. S. Damaſcen. de fide c. 15. Virgo partus dolores quos effugit pariens, illos tempore Paſſionis ſuſtulit. S. Anſelm. de excell. Vir. c. 5. Quidquid crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit comparatione tuæ paſſionis ô Virgo.

S. Lauren. Juſtin. de Agon. Chri. c. 2. Clariſſimum Paſſionis Chriſti ſpeculum effectum erat cor Virginis. Et c. 17. In corpore filius, in mente erat Genitrix crucifixa.

S. Brigitta l. 1. Revel. c. 10. ex revelatione Beatiſſimæ Virg. deſcribit ejus dolorem & l. 4. c. 23. & 70. ubi inter alia dicit: Dolor filii erat dolor meus, quia cor ejus erat cor meum.

Quàm conſtanter tamen hos dolores tulerit, audi Baroni-

um A. D. 434. ex Metaphraste: Dicunt hi, qui de his rebus tractârunt, eam ab initio usque ad finem se fortiter atque constanter gessisse, motum animi certis finibus continuit, mortuúmque videns filium, eo motu animi usa est, ùt oportuit; quin etiam in eo de cruce deponendo, maternis manibus inservivit, & clavos qui extrahebantur, in sinu suo accepit &c. Joannes Gerson asserit scribens in Magnificat, B. Virginem stantem juxta crucem habuisse altissimum actum obedientiæ offerendo filium Patri, & conformando se in acerbissima filii morte, neque enim minori fortitudine prædita fuit, quàm mater illa 7. Machabæorum: de qua 2. Mach. 7. v. 20. *Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoriâ dignâ.* &c. &c.

Dum S. Matth. c. 27. v. 55. dicit mulieres stetisse à longe, jam autem S. Joan. dicit c. 19. v. 25. *Stabant autem juxta crucem JEsu mater ejus, & soror Matris ejus Maria.* &c. &c. respondet P. Cornel. in Matth. c. 27. v. 55. juxta, id est, ex adverso crucis, sed ita ut non omnino propè, sed paulò remotius starent; militum enim excubiæ, & populi circumstantis densitas non permittebant eas proximè ad crucem accedere, accedebant ergo ad crucem tam propè quàm poterant, ita ut JEsum commodè videre & audire possent.

Quid de spasmo Beatissimæ.

Quæres, quid de spasmo B. Virginis sentiendum Resp. B. Virginem spasmum, id est, deliquium animi passam esse, indéque corruisse in terram ex ingenti dolore, dum primùm JESUM in cruce pendentem aspexit, tradit S. Brigitta l. 1. Revel. c. 10. S. Bonaven. in medit. vitæ Chr. c. 77. S. Bernard. in Opusc. de Lament. Virg. & alii citati à P. Cornel. in Joan. l. 19. v. 25. Negant deliquium passam Maldonatus, Cajetan. Toletus & alii, atque P. Cornel. hæc sententia verior & B. Virgine dignior videtur. si quis tamen priorem sententiam sequi malit, dicat cum Salmerone l. 10. Tract. 41. B. Virginem principio erectæ crucis ex doloris vehementia in terram corruisse, postea verò resumpto animo semper stetisse. rursum dicat: spasmum hunc non eam à se alienâsse, ut rationis esset impos, sed tantùm mentem à sensibus abstrinxisse, ut virium defectu in terram laberetur, idque factum ipsa non invita, sed permittente, ut suum erga Christum eximium amorem, indéque dolorem hominibus testaretur. Imò

mò B. Virgo spectans in cruce pia Christi vulnera adeo confortata est, ut etiam ipsa pro salute mundi mori esset parata, ait S. Ambr. in cap. 23. Lucæ.

Commendavit Christus matrem Joanni, quod ipse describit c. 19. quem eidem pro se in filium substituit. 1. ut matri senescenti de cura & obsequio filii provideret, ita S. Cypri. vel quisquis est Author Tract. de Passion. 2. ut Virginem Virgini commendaret. Pura puro commissa est, ait Theophgl. 3. quia Joannes aliis discipulis fuga dilapsis, cum matre. Christo usque ad mortem intrepidus adfuit Joan. 19. v. 17. *Mulier ecce filius tuus.* Dicit Christus mulier non mater, ne nominando matrem ipsius animam majori dolore afficiat. ne (ùt canit Baptista Mantuanus)

Materna pium laceraret viscera nomen.

tum ut matrem ad fortitudinẽ excitet, memorémque faciat, se esse illam de qua prædixerat Salomon Prov. 31. *Mulierem fortem quis inveniet.* B. Virgo enim, ait P. Cornel. hìc, amplius passa fuit quàm Christus; nam Passio Christi desiit in morte Christi, tunc autem B. Virginis Passio & compassio non desiit sed crevit, nam Christi corpus mortuum ipsa excepit. &c.

v. 27. *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua.* Nonnulli legunt, ait P. Cornel. in suam, scilicet habitationem vel domum: alii volunt in suam, scilicet matrem, sed congruentiùs subauditur, ait P. Cornel. in suam curam. unde S. August. suscepit eam in sua, non prædia, quæ propria possidebat, sed officia, quæ propria dispensatione curabat.

208. Tenebræ in morte Christi Matth. 27.

Matth. 27. v. 45. *à Sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam.* P. Cornel. hìc, id est, tertiam nostram pomeridianam durarunt hæ tenebræ per tres horas. Quæres unde ortæ istæ tenebræ? respondent aliqui ortas esse ex interpositione densarum nubium inter solem & terram, ita S. Chrysost. Theophyl. verùm S. Dionysius Areopag. testis oculatus harum tenebrarum Ep. 7. ad Polyc. docet: eas ortas ex Eclipsi solis, scilicet ex interpositione miraculosa lunæ inter terram & solem; unde colligitur ex S. Dionysio, in hac Eclipsi multa concurrisse miracula. 1. contigit in plenilunio, quando est luna remotissima à sole, Eclipsis verò solis naturaliter non fit, nisi in conjunctione solis cum luna, novilunio scilicet. 2. fuit universalis, per universum orbem &c.

Matth 27. v. 46. *Et circa horam nonam clamavit JESUS voce magna dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est: DEus meus, DEus meus ut quid dereliquisti me.* P. Cornel. hìc. Porrò Christus in cruce continuè orans moriturus recitavit Ps. 21. qui totus est de Passione Christi, cujus initium: *DEus, DEus meus: respicie in me quare me dereliquisti &c.* recitavit verò Christus hunc Psalmum, ut ostenderet se illum ipsum, de quo Psalmus ille ait, scilicet Messiam, ut scribæ & Judæi scrutentur causam & cognoscant, cur de cruce nolit descendere vel liberari, esse hanc, quòd ex Patris decreto moriendum illi erat in cruce pro salute hominum. Hoc enim David Psalmo illo fore prædixit. Impiè ergo Calvinus ait, hæc esse Christi desperantis verba; debuisse enim, ait ille, Christum omnem Dei iram peccatis nostris debitam experiri, ac per consequens damnatorum pœnas sentire, inter quas una est desperatio. Verùm hæc blasphemia seipsam elidit: si enim Christus in cruce desperavit, ergo peccavit peccato gravi, ergo iræ Dei non satisfecit, sed magis eam accendit. Igitur clamat Christus, se desertum, eò quòd Pater eum à morte jam instante non eripiebat, nec consolatione ulla tam duram Passionem in carne & parte animæ inferiore mulcebat, sed eum doloribus & tormentis meris cruciari permittebat, ut ostenderet, quàm amara & acerba sit illi in cruce mors. Ita S. Hieronym. Chrysost. 2do Nonnulli apud Theophyl. censent Christum hoc loqui non de sua, sed de populi sui Judaici derelictione & reprobatione. 3tio. Origenes censet Christum queri de paucitate salvandorum. q. d. ut quid homines mihi cognatos pro quibus morior, deseris, ut paucos ex illis salves, sic enim me ipsum quasi deseris. Hoc erat quartum Christi verbum, quod secutum est quintum, *sitio*: de quo Joan. c. 19. v. 28.

Quomodo Christus à Patre derelictus.

Joan. 19. v. 29. *Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus.* P. Cornel. in cap. 27. Matth. v. 48. Judæi, & milites, ut gratificarentur Judæis Christo infensis, pro vino dederunt ei acetum; unde queritur Christus Ps. 68. v. 22. *Et in siti mea potaverunt mea aceto.*

Circa conversionem latronis notat P. Cornel. à lap. in cap. 23. Joan. Porrò conversus est extertius per exempla virtutum, quæ in Christo cernebat eximiæ scilicet charitatis, quâ illum pro inimicis orantem audi-

Latronis conversio. Joan. 23.

diverat, patientiæ, fortitudinis, modestiæ &c. ita Theoph. Euthym. c. 67 in Matth, intertius per raram & fere miraculosam DEI motionem & illustrationem, qua cognovit Christum & se innocentem, & altioris Regni Regem &c. Nonnulli hunc latronem Martyrem uti S. Cyprian. Ep. ad Tabian. Arnaldus (alii Renaldum vocant,) Abb. Tract. 9. de 7. verb. in Biblioth. Patrum asserit, latronem hunc evectum in cælos Luciferi thronum occupâsse. S. Chrysost. Hom. de cru. & latrone. Iste latro de ligno mercatur salutem, hic latro furatur cæleste imperium, vim facit Majestati. S. Athanas. Serm. de Parasceve. tanquam latro crucifixus es ô Bone, & repentè Evangelista evasisti, à S Chrysost. in Pasc. vocatur Propheta, de illo Sedulius car. 5. Pasch.

Elogia.

Abstulit iste suis cælorum Regna rapinis.

Nomen illius Dismas; hoc enim nomine S. Dismæ latronis nonnulla sacella ei erecta reperiuntur.

Septem ex cruce verba.

Matth 27. v. 50. *JESUS autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.* P. Cornel. à lap. hìc, iterum, quia JESUS septies clamavit in cruce. Septem verba cygnea, scilicet 1. Lucæ 23. v. 34 *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* 2. ad latronem, Lucæ 23. v. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso* 3. ad matrem Joan. 19. 26. *mulier ecce filius tuus*, & ad Joannem Joan. 19. 27. *Ecce mater tua.* 4. Matth. 27. v. 46. *Eli, Eli, lamma sabacthani.* 5. Joan 19. 28. *Sitio.* 6. Joan. 19. v. 30. *consummatum est.* 7. Lucæ 23. 46. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

Clamor in cruce Matth. 27.

Nota Christum voce magna clamâsse per miraculum. moribundos enim deficit vox, ut vix loqui queant clamavit itaque per vires supernaturales, quas Deitas ei suggerebat, idque ut significaret se utpote Deum non coactum, sed liberè ex voluntate mori.

Emisit, Arabicus, tradidit, spiritum, voluntariè; quod enim emittitur, voluntarium est, quod amittitur, necessarium, ait S. Ambros. S. Chrysost. Hom. 84. inclinato capite tradidit spiritum, ut non necessitate, sed voluntariè se mori ostenderet.

V. 51. *Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo usque deorsum & terra mota est, & petræ scissæ sunt.* P. Cornel. hìc, duplex erat templi velum, scilicet antesanctum, quod sanctum erat quasi navis templi, in quod sacerdotes quotidie ingrediebantur & antesanctum Sanctorum, quod erat quasi chorus & sanctissima pars templi. Putant aliqui velum fuisse scissum antesanctum. verùm S. Leo Cyrill. Euthym. quos citat & sequitur P. Cornel. velum antesan-

209. Scissum velum templi.

ſanctum Sanctorum fuiſſe ſciſſum. Sciſſionis cauſam literalem dat S. Cyrill. Euthym. Theoph. id factum eſſe quaſi Templum lugens mortem Chriſti, qui erat Dominus & Deus ejus, veſtem ſuam more Judæorum ſciderit ob rei indignitatem. Myſticam dat Theophylact. in Marci cap. 15. Sciſſum eſt velum per hoc manifeſtante Deo, quod gratia Spiritûs è templo evolet, & quod Sancta Sanctorum omnibus conſpicua & manifeſta fiant. Et Terra mota eſt. P. Corn. terra ſcilicet tota. fuit ergò hic terræ motus univerſalis maximus & vehementiſſimus, ita ut totus terræ globus, è centro ſuo convulſus, contremuerit & concuſſus ſit. Et petræ ſciſſæ ſunt. Primò Golgotha. unde Cyrill. Hieronym. Catech. 13. hactenus Golgotha monſtrat, ubi propter Chriſtum petræ ſciſſæ ſunt. Allegoricè S. Hieronym. Petræ ſciſſæ ſunt, id eſt, dura gentilium corda ſive petræ. Tradit Euſeb. L. 5. Præpar. Evang. c. 9. ex Plutarcho ſub Tiberio, apud Panas Inſulam, auditam vocem: Magnus Pan mortuus eſt, ideóque magnum fuiſſe ululatum, quod Euſebius interpretatur de Lucifero, quaſi ille ſit Pan, qui moriente Chriſto, quaſi mortuus ſit, eò quòd Chriſtus illi vires & quaſi vitam ademerit. Alii tamen ùt Barradius. Pan, inquiunt, eſt Chriſtus; Pan enim græc. èidem eſt, quod, *omne*, Chriſtus autem quia Deus eſt omne bonum & omnia, juxta illud: Deus meus & omnia. hujus mortem deplorârunt dæmones, eò quòd per illam dominio ſuo in terram ſpoliati ſint.

Terræ motus.

Magnus Pan mortuus.

V. 52. *Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt & exeuntes de monumentis, poſt Reſurrectionem ejus, venerunt in Sanctam civitatem & apparuerunt multis.* P. Cornel. hìc, Monumenta aperta ſunt ſtatim à morte Chriſti, hoc enim inſinuat hìc Matthæus, ídque decebat, ut ſignificaretur id fieri vi Paſſionis Chriſti. Surrexerunt à morte & ſepulchro ad vitam, non tamen priùs, quàm Chriſtus. cauſa 1. ùt Chriſtus fidem reſurrectionis per hos ſocios, quaſi Præcones firmaret. 2. Ut in eis Chriſtus virtutem paſſionis oſtenderet. Iſtos Sanctos poſt Reſurrectionem rursùs mortuos cenſent Theophylact. Euthym. &c. citati à P. Cornel. verius alii cenſent, ait P. Cornel. Sanctos hos, non amplius eſſe mortuos, ſed reſurrexiſſe ad vitam immortalem. Ita Origen. S. Hieronym. S. Thom. Beda &c. Veriſimile eſt, ait P. Cornel. reſurrexiſſe eos Sanctos, qui peculiarem ad Chriſtum relationem vel parentelæ, vel promiſſio-

Monumenta aperta Matth. 27. Reſurrexerunt mortui.

missio-

miſſionis &c. habebant, utì fuere Adam, Abraham, Iſaac Melchiſed. David. Evam cum Adamo reſurrexiſſe opinatur Fran. Lucas. Venerunt in ſanctam civitatem, id eſt, in Jeruſalem. An aſcenderint aliqui cum Chriſto in cœlum? Vide num. 213.

Joan. 19. v. 34. *Unus militum Lancea latus ejus aperuit.* P. Cornel. hìc, fecit hoc ſubdubitans, an mortuus eſſet. Ait Cyrillus: Hic miles cenſetur fuiſſe Longinus Romanus Præſidiarius in Jeruſalem, hunc S. Nazianzen. in Trag. fuiſſe cæcum, ídque ambobus oculis non vidiſſe affirmat. Vulnus hoc Chriſti inflictum fuit in dextro latere, videtúrque totum Chriſti latus penetrâſſe, ut videlicet Lancea hæc adacta per dextrum latus tranſierit per cor, atque cuſpis ejus exierit per latus ſiniſtrum ad papillam. *Et continuò exivit ſanguis & aqua.* Non priùs ſanguis, deinde aqua, ùt vertit Nonnus, ſed ſimul ſanguis & aqua, impermixtè tamen, ita ut unum ab altero diſcerni poſſit. Naturaliter hoc fieri non poterat, quia ſanguis in mortuo ex frigore condenſatur & congelaſcit, unde effluere nequit, ùt docent Medici & S. Ambroſ. in Lucæ cap. 23. Hoc factum eſt ad myſterium, non ad meritum; meritum enim in morte Chriſtus conſummavit. Ad quod myſterium reſpondetur ſymbolicè, ut ſignificaretur ex morte & latere Chriſti, quaſi ſecundi Adæ dormientis, Eccleſiam quaſi Evam, Chriſti ſponſam formatam eſſe.

Latus Chriſti Lancea aperitur. Joan. 19.

S. Ambroſ. ex illo Corpore defuncto vita manabat; aqua enim & ſanguis exivit, illa quæ diluat, iſte qui redimat Quódque, ùt ait Cyrill. & Chryſoſt. aqua ſignificet Baptiſmum, qui eſt principium Eccleſiæ & Sacramentorum cæterorum. Sanguis verò repræſentet Euchariſtiam, quæ omnium Sacramentorum finis eſt & complementum, ad quæ duo, quaſi ad principium & finem, reliqua omnia Sacramenta reducuntur. Hujus rei ſymbolo in conſecratione calicis Euchariſtici miſcendam eſſe aquam vino, ut repræſentetur hæc effuſio ſanguinis & aquæ ex Latere Chriſti, docet S. Cyprian. Tract. de Paſſ.

Matth. 27. v. 59. *Et accepto corpore Joſeph involvit illud in ſindone munda.* Hac de cauſa & Corpus Chriſti in miſſa, non niſi in ſindone collocatur mundiſſima, quod vulgo, Corporale vocatur à Corpore Chriſti, quod adinſtar ſepulchri in ſe continet, ait Paſchaſius.

Corpus Chriſti ſindone involvitur. Matth. 27.

Sepulchrum Chriſti deſcribit Adrichom. in deſc. Jeruſ. n. 239. Sepulchrum Chriſti Glorioſum, monu-

Sepulchrum Chriſti.

monumentum erat novum, octo pedes longum, quod à monte Calvariæ 108. pedibus, à monte autem Sion passibus mille distabat, in horto monti Calvariæ propinquo. Fuit sepulchrum Christi in horto, quia in horto Paradisi peccârat Adam, ac mortis sententiam incurrerat, hinc in horto passionem orsus est, in horto consummavit & sepultus est, ut sententiam hanc expiaret. Ita P. Cornel.

Dedit custodiam ad sepulchrum Domini Pilatus Judæis id postulantibus, dicens v. 65. *Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis.* custodiam scilicet militum. Tropologicè P. Barradius ex hoc facto impiorum discamus pietatem, postquàm Christi Corpus ex Altari in pectus velut novum sepulchrum excipimus, diligentem adhibeamus custodiam, ut in eo semper per gratiam remaneat. Vigilantes apponamus milites, hoc est, virtutes, quæ somnum, id est, ignaviam à nobis repellant. Plus quàm ferreo instrumento nos astringamus, hoc est, adamantino non peccandi decreto corpus muniamus. Ex Cornel.

Quantum Passionis Dominicæ memoria ad scientiam Sanctorum conducat, hinc patet. Rogabat Deiparam enixe B. Veronica de Binasco, sibi ut literarum scientiam conferret, quo in monasterium admitti posset. Tres illi literas satis esse ut disceret, respondit Deipara, primam quidem coloris albi, alteram nigram, tertiam sanguineam. Prima munditiem cordis, secunda humilitatem, tertia demum Passionis Christi memoriam designat. Quæ tria Elementa si cordi inscribantur, nihil ultra requiri ad scientiam Sanctorum comparandam. Bolland. 13. Jan. P. D. Oultreman in Amore Incre. l. 1. c. 2. §. 4. *Scientia Sanctorum in memoria Passionis Christi.*

Stationes dicimus hodie loca 7. in quibus præcipuè Christi amor patiens eluxit. Nimirum Olivarum hortum, Annæ domum, Caiphæ domum, Pilati Præsidis ædes, Herodis Palatium, rursus ejusdem Prætorium, demum Calvariæ montem. ibidem l. 2. c. 3. Sect. 8. *Stationes unde.*



CAPUT

Caput decimum sextum.

Resurrectionis Christi series. Variæ ejus variis apparitiones. Baptismus ad salutem necessarius. Corpus Christi post Resurrectionem quomodo palpabile. Magdalenæ amor erga Christum. Cicatrices Vulnerum Christi. Potestas Sacerdotibus data remittendi peccata. S. Thomæ incredulitas & confessio. Petrus pro trina negatione trinam confessionem amoris profitetur. S. Joannes mortuúsne? Piscium captura.

210. *Mulieres quærunt Crucifixum.* Cùm devoti sexus pietas indagaret sepultum Christum, redivivum orbi manifestavit. Matth. 28. v. 1. *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene & altera Maria videre sepulchrum.* Difficilis hìc est antilogia; quomodo enim erat vesper sive vespera, si lucescebat, imo Marcus ait: orto jam sole. S. Hieronym. existimat hos mulieres, sæpiùs exisse ad sepulchrum, scilicet vespere & manè. S. Ambros. existimat, alias fuisse mulieres, quæ exierint manè, alias quæ vespere. P. Cornel. hic, respondet. Vesper, sive vesperam Sabbati, esse noctem, quæ sequebatur Sabbatum, quæ non lucescit, id est, terminatur & desinit in lucem in prima Sabbati, id est, manè diei Dominicæ, quæ prima dies est post Sabbatum. Ita Nyssen. S. Augustin. Theoph. Euthym. S. Thomas. Symbolicè S. Chrysolog. Serm. de Resurrect. Erant juxta naturam tenebræ & tamen dicitur orto sole, quia eo die sol, quasi Christo Resurgenti congratulans, antelucanus fuit, & priùs solito exortus est.

Nota: hæc fuit series Resurrectionis Christi. 1mo Christus in Passione fuit 18. circiter horas. 2. Christus moriens hora tertia pomeridiana, illicò quoad animam descendit in in- *Resurrectionis Christi series.*

infernum, corpus verò de Cruce depositum fuit lotum & sindone involutum, ita ut ante noctem sepultus sit. Quare fuit in inferno per 36. circiter horas, (in sepulchro verò 33.) tot enim sunt, si numeres tres horas residuas à tertia pomeridiana, usque ad noctem Feriæ 6tæ, & horas 24. Sabbati ac 9. noctis Dominicæ. 3tiò Christus in Limbo Patribus ostendit non tantùm animam suam sed & Deitatem ei conjunctam eósque visione Divinitatis suæ beavit, tunc ergo infernus erat quasi Cælum. 4tò. Sub horam, quam noctis Dominicæ Christus egressus ex inferno, venit ad sepulchrum, ibíque eis ostendit Corpus suum, sanguinémque suum in flagellatione effusum, per iter sparsum, item capillos vulsos &c. collegit per Angelos, vel ùt alii, inter quos Suarez 3. part. tit. 1. vi propria collectum indidit venis corporis, Corpúsque anima introiens, sibíque illud uniens, animavit, glorificavit. 5to multis Patribus suum corpus restituit, ut eos faceret participes suæ Resurrectionis. 6to. Christus resurrexit penetrans lapidem tegentem sepulchrum. 7mo. Apparuit gloriosus B. Virgini Matri suæ, eíque ostendit Patriarchas, qui jam resurrexerant, deinde apparuit Magdalenæ &c.

v. 2. *Et ecce terræ motus factus est magnus.* Ut eo significaretur, (P. Cornel.) potentia, gloria & magnificentia Christi resurgentis quasi Dei. Symbolicè, terra, quæ in Christi morte præ horrore contremuit, in ejus resurrectione præ gaudio quasi subsiliit ac resurgenti congratulata applausit. v. 2. *Angelus enim Domini descendit de Cælo, & accedens revolvit lapidem & sedebat super eum.* P. Cornel. sedebat non quasi fessus, sed ut ostenderet 1. se esse qui lapidem revolvisset. 2. Ut mulieres placidè exciperet & contra custodes tueretur &c. Symbolicas causas dat hìc S. Thomas. Sedebat cui nulla lassitudo, ùt Fidei Doctor, ùt resurrectionis Magister, sedebat supra petram, ut soliditas sedentis daret credentibus firmitatem.

Crux Christi etiam Angelo proficua.

Nominat Crucifixum Angelus coram mulieribus, ut ostenderet se non erubescere, sed palam profiteri crucem & crucifixum, séque ejus esse servum, eò quòd Crux Christo ejúsque asseclis summo sit honori & Gloriæ, quódque per Crucem Christus non solos homines redemerit sed & Angelos exhilarârit, imò eis gratiam & gloriam contulerit. Uti censent graviores Theologi cum Fran. Suarez.

v. 9. *Et ecce JEsus occurrit illis dicens, avete: Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum: tunc ait illis JEsus: nolite timere, ite, nuntiate Fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* P. Cornel. hìc, Christus jam gloriosus mira benignitate ad dandum nobis humilitatis exemplum, dignatur discipulos suos vocare Fratres, ad eorum consolationem, ut eos mæstos & dejectos in spem animúmque erigat.

Apparitiones Christi.

Recenset hìc ordinem apparitionum Christi. P. Cornel. In Judæa ipso die resurrectionis sexies hoc ordine apparuit. 1. matri suæ sanctissimæ ùt docet S. Ambros. S. Anselm. L. 6. de excellen. Virg. Rupertus L. 7. S. Bonaventura & alii citati à P. Cornel. 2. Apparuit Magdalenæ apud sepulchrum. Marci 16. 9. 3. Eidem cum cæteris mulieribus. Matth. 28. 9. 4. Apparuit Petro. Lucæ 24. 34. 5. Duobus Discipulis euntibus in Emmaus ibidem. 6. Omnibus puta 10. Apostolis; Thomas enim aberat. Lucæ 24. 36. Post diem Paschatis verò imò apparuit 11. Apostolis præsente jam Thoma ipsa octava Paschatis. Joan. 20. 26. 2do. Apparuit 7. Discipulis, inter quos erant Petrus & Joannes piscantibus. Joan. 21. 1. 3tio. Apparuit in monte Galilææ multis imò plus quàm 500. Fratribus, id est, Fidelibus. Matth. 28. 10. & 1. Cor. 15. 6. 4to. Apparuit Jacobo Fratri Domini ibidem. 5. Apparuit omnibus Apostolis, omnibúsque Fidelibus in monte Oliveti ascensurus in Cælum. Actor. 1. 9. 6to. Apparuit Saulo, cùm eum fecit Paulum. Act. 9. Aliàs sæpius apparuit Christus, sed illas ejus apparitiones subticuerunt Evangelistæ.

v. 19. *Euntes ergo docete omnes* 211.
Baptizare Christus jubet.
gentes (meam Fidem & Doctrinam Evangelicam, hìc ergo Apostoli à Christo acceperunt tubam Evangelii, ait S. Leo. Ep. 81. & prædicandi officium) *baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Hinc ex Traditione Ecclesiæ constat, hanc esse formam Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Hìc videant Acatholici, quanta sit authoritas Traditionum Ecclesiæ, & quòd multa pertinentia ad salutem non inveniantur expressè in Scriptura, quam illi dicunt claram. Quomodo enim ex Scriptura probabunt claro textu, quod hæc sit forma Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Et non illa: *Ego te baptizo in nomine JEsu.* Cùm Actorum 2. v. 38. referantur verba S. Petri: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU Christi, in remissionem peccatorum nostrorum*, ubi est in Scriptura expressè scriptum no-

Traditiones Servandæ.

men Sanctissimæ Trinitatis & de tribus Personis Trinitatis, sub his terminis, Trinitas, Personæ. Ubi est scriptum expresè diem Dominicum celebrandum loco Sabbati, contra expressum in Scriptura mandatum, quæ nobis proponit sanctificandum sabbatum. Ubi invenietur posse licitè comedi sanguinem volatilium & animalium suffocatorum, quandoquidem in Lege naturæ hoc prohibitum est & in Lege Mosaica Deut. 12. v. 28. *Cave ne sanguinem comedas*, & sæpius. Etiam traditiones Mosaicæ vim Legis habebant. In quo enim libro Scripturæ veteris continetur consuetudo liberandi in Paschate virum morte dignum, & tamen expressam hujus consuetudinis Evangelistæ faciunt mentionem. Marci 15. v. 16. Lucæ. 23. v. 17. Quare audirent potius Apostolum 2. Thess. 2. v. 15. *Itaque Fratres state & tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem sive per Epistolam nostram.*

S. Bonaven. in 1. Dist. 24. Trinitas dicitur, quasi Ter Unitas, vel Trium Unitas.

Magnum munus conversionis animarum commissum Apostolis, unde Richard. à S. Victore: Nescio an majus beneficium possit à Deo conferri, quàm ut per ejus obsequium alii salutem consequantur. Circa Baptismum notanda: dicit Christus Marci 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Hâc sententiâ Christi ad suam hæresim abutuntur 1. Lutherani, ut probent fidem solam sufficere ad salutem, nec requiri bona opera. Verùm respondet P. Cornel. in Marci c. 16. Sensus Christi est, ùt rectè notârunt Euthym. Theophyl. & alii. Qui crediderit &c. quasi diceret: qui credendo in Christum ejúsque baptismum suscipiendo à peccatis ablutus & gratia Dei imbutus, sanctificatus fuerit, hic salvus erit, subaudi, si ita moriatur, si in statu gratiæ & sanctitatis decedat. retinere autem hanc gratiam nequit, si bona opera non faciat, quæ lex Christi præcipit. 2do. Anabaptistæ ex hac Christi gnome inferunt, non esse baptizandos parvulos, eò quòd credere nequeant, sed respondet P. Cornel. Christum loqui de adultis; hi enim soli credere possunt, & adultos solos omnia præcedentia Christi verba denotant. Parvulos enim esse baptizandos liquet ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ, ac ex illo Joan. 3. 5. *Amen, amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei.*

Baptismus necessarius ad salutem sed non solus.

Notan-

Hemero-baptistæ.

Notandum: fuit olim secta Judæorum, qui vocabantur Hemero-baptistæ, quòd se quotidie baptizarent & abluerent assiduò, sanctitatem suam in hoc collocantes. Morerus in Diction. Histor. Tit. Hemero-Baptistæ.

Lucæ. 24. Corpus Christi post Resurrectionem quomodo palpabile.

Ex S. Luca circa apparitiones Christi notandum: dicitur Lucæ 24. v. 39. *Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

Quæres qua ratione Corpus Christi (& Beatorum) post resurrectionem gloriosum, ideóque subtile & penetrabile possit simul esse palpabile? respondet P. Cornel. Corpora gloriosa habent dotem subtilitatis, per quam possunt non resistere alteri corpori, illúdque penetrare: habent secundò dotem ut possint non sentiri tactus, hæc tamen utraque dos est illis libera, consequenter Corpora gloriosa, cùm volunt, sunt palpabilia, aut non palpabilia. Si enim velint resistere & sinere se sentiri & contrectari, sunt palpabilia, si alterutrum nolint, non sunt palpabilia Ita Suarez 3. par. quæst. 54. art 3.

Quæres an revera Discipuli post Resurrectionem palpârint & tetigerint manus & pedes Christi perforatos? respondet P. Cornel. nihil in hac re esse certi, quia scriptura id non enarrat, probabile tamen est, aliquos palpâsse & tetigisse, præsertim illos, qui magis de resurrectione Christi dubitabant.

V. 42. *At illi obtulerunt ei partem piscis assi & favum mellis.* Tropologicè, qui hìc assantur tribulationibus pro Deo, ait Glossa, vera postea dulcedine satiabuntur.

Notanda ex S. Joanne circa Resurrectionem & apparitiones &c. Joan. 20. 14. *Non sciebat* (Magdalena) *quia JEsus est.* P. Cornel. hìc, quia alia specie scilicet hortulani illi apparebat, utì euntibus in Emmaus specie peregrini. Gloriosa enim corpora possunt apparere ea specie & forma qua volunt, ídque faciunt non mutando ipsam sui vultûs figuram & formam, sed impediendo, ne hæc vultûs figura integras sui species, sed refractas, dimidiatas & distractas ad oculum intuentis jaciat.

Joan. 20.

Corpora gloriosa diversimodè possunt apparere.

V. 15. *Et ego* (Magdalena dicebat) *eum tollam.* Quidsi in atrio Principis Sacerdotum, ego eum tollam. Quidsi in Domo Pilati: ego eum tollam. Quia omnia vincit amor. Qui omnia etiam impossibilia, sibi possibilia, imò facilia reputat. Ita Origen. & Chrysost. licet S.

Magdalenæ amor erga Christum.

Hie-

Hieronym. Quæst. 5. Ad Hedibiam, hæc verba ignorantiæ & inconsiderationis esse putet.

V. 17. *Noli me tangere*, dixit Christus Magdalenæ, cùm illi apparuit, & hæc dicens digitis frontem Magdalenæ tetigit, illíque eorum vestigia impressit. Hinc tradit Sylvester apud Surium in vita S. Magdalenæ se vidisse An. Chr. 1497. Caput D. Magdalenæ grande valde & totum undique usque ad os denudatum, excepta ea parte frontis, quam Salvator tetigit, ibi enim pellis adinstar æthiopipæ clarè apparet & in pelle duæ fossæ duarum extremitatum digitorum & sub pelle caro ad albedinem declinans.

V. 19. *Ubi erant Discipuli congregati propter metum Judæorum: venit JEsus & stetit in medio, & dixit: pax vobis.* Tropologicè, S. Bernard. Serm. 6. de Ascen. Falleris, inquit, Thoma sancte, falleris si videre Dominum speras,

Singularitas fugienda.

ab Apostolorum Collegio separatum: non amat veritas angulos, non ei diversoria placent, in medio stat, id est, disciplina

Communis vita.

communi, communi vita, communibus studiis declaratur.

Cicatrices vulnerum Christi. Joan. 20.

V. 20. *Et cùm hæc dixisset ostendit ei manus & latus.* Servavit Christus vulnerum cicatrices. 1. in signum & trophæum victoriæ. Ita S. August. 2. Ad accedendum nostrum amorem ut Christum pro nobis vulneratum imitemur & redamemus ac pro ipso vicissim vulnera quælibet, mortémque ipsam libenter suscipiamus. Ita S. Ambros. in cap. 9. ad Hebr. S. Gregor. in Cant. c. 2. Porrò speciali Dei miraculo factum est, ut illa vulnerum foramina in Christo non impediant, quo minùs nervi & arteriæ continuæ sint, optiméque dispositæ, tum ad continendum sanguinem, tum ad omnes actiones & motus vitæ à Christo obeundos. Vide Suarez 3. par. q. 49. art. 4.

V. 21. *Dixit ergo eis* (JEsus) 212.

Potestas Sacerdotibus data, remittendi peccata.

iterum: pax vobis, sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset insufflavit: & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Cur insufflavit? Respondet P. Cornel. à Lap. hìc, ut significaret naturam Spiritus Sancti illum æquè à se ac à Patre spirari & procedere. Ita S. Augustin. Cyrillus & alii. Porrò hæc insufflatio Christi non fuit Spiritus Sanctus, sed fuit ejus signum. Symbolicè hæc insufflatio repræsentat, peccatum esse quasi nubem atram, sicut enim hæc flante vento dissipatur, sic sufflante Spiritus Sancto dissipatur omnis peccati nebula.

Spiritus Sancti activitas.

Notandum: Apostoli acceperant jam in Baptismo Spiritum Sanctum, sed nunc Christus Spiritum sanctum dat illis ad alium usum, & effectum, quem necdum habebant, scilicet ad remittenda peccata. Accipite ergo Spiritum Sanctum, hoc est, accipite potestatem remittendi per Spiritum Sanctum peccata, ita Theophyl. Euthym. Rupertus.

Quorum remiseritis peccata &c. De fide est hunc locum intelligi de Sacramento Pœnitentiæ, (P. Cornel.) in quo Sacerdos quasi Judex verè remittit non tantùm pœnas sed & culpas Peccatorum pœnitentium, seséque per Confessionem accusantium.

Circa hoc Concil. Triden. Sess. 14. Can. 3. si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra Institutionem hujus Sacramenti, ad authoritatem prædicandi Evangelium, Anathema sit. Porrò ex hoc, ait P. Cornel. quòd Christus instituit Tribunal hoc Pœnitentiæ, consequenter hoc ipso confessionem Sacramentalem sanxit, & Jure Divino præcepit, alioqui enim frustra erexisset hoc Tribunal.

Notandum: licèt Apostoli à Christo ordinati sunt Sacerdotes ante Passionem in ultima Cæna post institutam Eucharistiam, tamen tunc acceperunt solam potestatem consecrandi Eucharistiam, hìc verò post Resurrectionem Christi ab eo accipiunt aliam potestatem, scilicet remittendi peccata; sunt enim diversæ hæ potestates, & dividi separaríque possunt.

S. Thomæ incredulitas. Joan. 20.

Circa incredulitatem S. Thomæ sunt varii sensus. S. Ambros. in Lucæ cap. ult. existimat fuisse incredulum circa modum Resurrectionis. P. Cornel. cum D. Augustino, Origene, censet fuisse incredulum non solùm circa modum, sed etiam circa ipsam Resurrectionem.

V. 27. *Dicit Thomæ:* (Christus) *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in Latus meum.* P. Cornel. existimat Christum præcipere Thomæ, ut inferat digitum, cui præcepto Thomas obedivit. Certa ergo res est, ait Toletus & in confesso apud omnes, Thomam vulnera Christi tetigisse; hoc enim jussit Christus, ut argumentum efficax Resurrectionis suæ non tantùm Thomæ sed & fidelibus relinqueret. Porrò

digitus hic S. Thomæ religiosè asservatur Romæ in Basilica S. Crucis in Jerusalem.

V. 28. *Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus & Deus meus.* Dixit hoc Thomas, ait P. Cornel. non ante, ùt vult Euthym. sed post contactum Christi. Voce, Dominus, confessus est humanam Christi naturam, voce, Deus, divinam

Christus apparet Discipulis in captura Piscium.

Apparuit deinde Christus Petro & sex ejus sociis in captura piscium. Joan. 21. Iverunt enim piscatum, tum ut otium fugerent, tum ut relaxamentum animi caperent. Est enim necessaria animi interdum relaxatio, unde Cassian. Coll. 24. c. 21. ait: venatorem quendam videndi S. Joannis causa eum adiisse, eúmque invenisse perdicem manu demulcentem, quod cùm ille miraretur, adduxit D. Joannes similitudinem de arcu, quem relaxatum juvenis tenebat, ne continua intensione vis ejus minueretur, addidítque: nec nostri animi te offendat ô Juvenis tam parva hæc brevísque laxatio, qui nisi remissione quadam rigorem intensionis suæ interdum relevet & relaxet, irremisso rigore lentescens. Virtuti spiritus, cùm necessitas poscit, obtemperare non poterit.

Animi relaxatio necessaria.

V. 5. *Dixit ergo eis JEsus: pueri numquid pulmentarium habetis.* Pulmentarium ex Græco obsonium, sive cibus, qui ad panem adhibetur, & cum pane comeditur.

V. 11. *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus 153.*

Pisces 153. capti.

Cur præcisè 153. Causam literalem dat S. Hieronym. in Ezech. c. 47. v. 9. Quòd totidem sint species piscium, quasi ex singulis speciebus unum piscatus sit Petrus.

Ter Petrum Christus quæsivit v. 17. *Amas me?* S. August. Tract. 123. Redditur trinæ negationi trina confessio, ne minùs amori lingua serviat quàm timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita præsens.

Petrus pro trina negatione, trinum amorem rependit.

Ter interrogavit Christus Petrum de amore, ter quoque dixit v. 18. *Pasce oves meas*, ut indicet illum triplici modo, quasi pabulo oves pascere debere, scilicet, veritatis verbo, vitæ exemplo, & temporali subsidio. De quo vide S. Gregor. Hom. 14. in Evangel.

Exinde quòd Dominus terna vice interrogaverit, amas me? contristatus est Petrus, quia ex ter iterata interrogatione sibi videbatur Christo de amore suspectus, aut certè timebat, ne sibi contingeret, quod in Passione, & sicut tum negavit, sic & aliquando non amaret Christum.

stum. Ita S. Chrysost. Theophyl. Euthym.

V. 21. *Hunc ergo cùm vidisset Petrus* (scilicet S. Joannem) *dixit JEsu: Domine hic autem quid?* V. 22. *Dicit ei JEsus, sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Ex hoc loco aliqui colligunt S. Joannem nondum obiisse. Verùm dicit P. Cornel. longè verius & sibi certum S. Joannem, naturali morte esse defunctum. Id enim passim tradunt Patres, Irenæus, Tertul. Euseb. S. Hieron. S. Aug. S. Chrysost. S. Ambros. & alii.

S. Joannes mortuúsne.

Caput decimum septimum.

Comestio Christi in Corpore Glorioso qualis?

Ascensio Christi aliæque ejus circumstantiæ. Vestitúsne ascenderit? miracula Ascensionis Christi in monte Oliveti. Tempus Ascensionis.

213. Ascensionem Christi in Cælum fusè prosequitur P. Cornel. à Lap. in Act. Apost. cap. 1. quare exinde aliqua delibabimus.

Act. 1. v. 2. *Assumptus est.* Non ab Angelis sed sua virtute & à se ipso, puta à sua divinitate, per dotem agilitatis humanitati gloriosæ à se inditam. Assumptus est ergo sursum, hoc est, ascendit in cælum. Cur Christus tam citò ascendit in cælum, vitámque hanc in terris finierit, variæ assignantur causæ, inter quas moralis, ut doceret nos non desiderare longam vitam, sed anhelare ad cælum, illúdque respiciamus:

Annos virtutibus imple.

Per dies 40 Christus mansit in terris post resurrectionem. Cujus causa literalis, quia hic numerus est perfectus & sacer crebérque in Scriptura. Sacratus est enim jejunio Moysis, Eliæ & Christi. Symbolica causa est, quòd quadragenarius numerus sit Symbolum peregrinationis nostræ in hoc mundo, unde 40. annis peregrinati sunt Filii Israel in deserto.

Ubi Christus versatus est hisce 40. diebus, curiosum est quærere, ait P. Cornel. probabiliter suspicantur aliqui eum egisse

Ubi Christus ante ascensionem morabatur.

cum Elia & Henoch in Paradiso, sive illo Primigenio Gen. 2. 8. sive aliquo simili.

Comestio Christi in Corpore Glorioso qualis, Act. 1.

V. 4. *Et convescens præcepit eis* &c. Porrò significat Lucas hìc & Evan. c. 24. v. 48. Christum paulò ante ascensionem comedisse & prandisse cum Apostolis. Idque docet S. Hieronym. S. August. Tract. penult. in Joan. Ex hoc loco multi colligunt, Christum paulò post peractum prandium, quod fieri solet in meridie, plena luce & palam, coram omnibus Discipulis in cælum ascendisse. Ita S. Prosp. senten. 203. dicitque vigor fidei Christianæ tribus temporibus initiatur, vespere, manè & meridie. Vespere enim Dominus in cruce, manè in Resurrectione, meridie in Ascensione. Unum ad patientiam occisi, aliud ad vitam resuscitati, tertium pertinet ad gloriam Majestatis in Patris dextera consìdentis.

Quæres quæ & qualis fuerit hæc Christi comestio in ore & Corpore ejus jam glorioso? Author de mirab. S. Script. censet fuisse comestionem non veram sed apparentem, qualis fuit Raphaëlis. Tob. 12. 19. P. Cornel. à Lap. hìc, censet hanc comestionem non apparentem, sed realem & propriam, hic tamen cibus non fuit à Christo digestus & in Corpus ejus conversus, uti vult Valdensis & Durandus; Corpus enim gloriosum ali & crescere aut decrescere nequit, est enim impassibile & inalterabile.

Ipsa ascensio Christi, Actor. 1.

V. 9. *Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* P. Ludovic. de Ponte Medit. de ascen. piè & probabiliter meditatur Christum abeuntem in cælum, ut majorem sui Fidem, spem & amorem, & reverentiam Discipulis imprimeret, dedisse eis osculandas suas manus & pedes, ex quibus suavissimus odor fragrabat. Non subitò raptus est ùt Elias & Henoch, sed elevatus, & ùt ait S. Lucas in Evan. c. 24. 50. *Et elevatis manibus suis, benedixit eis, & factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis & ferebatur in Cælum.* Ex quibus verbis liquet, ait P. Cornel. in Act. Christum elevâsse manus, tum ut Deum oraret & invocaret ad benedicendum Apostolis, tum ut elevando & deprimendo, vel certè transversim collocando manus, ùt fecit Jacob Gen. 48. signum crucis efformaret, uti docet P. Grets. L. 3. de Cruce. Per Crucis enim meritum omnem benedictionem nobis impetravit, unde mos in benedictionibus inoluit, efformandi signum S. Crucis.

De fide est, Christum non tantùm quà Deus est, sed etiam quà homo ascendisse ad solium Dei Patris, ibíque ad dexteram ejus quasi Dominum cæli & terræ, Angelorum & hominum considere; id enim docet Apostolus Coloss. 3. 1. Quia enim Christus se in cruce infra omnes creaturas humiliavit, hinc & meruit super omnes exaltari. Philip. 2. 10. Christo, per dotem subtilitatis cælos penetranti, quasi Domino Regíque suo occurrit tota cælestis Aula, omnésque omnino Angeli, uti docuit S. Cyprian. Epiphan. Nyssen. & alii. Beda de Locis S. c. 7. testatur: Solennitatem hujus diei quotannis recurrentem fuisse cælestibus prodigiis in eo Loco, quo Christus ascendit, illustratam. Nam in die, ait, ascensionis Dominicæ per annos singulos Missâ peractâ, validi flaminis procella desursum venire consuevit, & omnes, qui in Ecclesia fuerint, in terram prosternere. Tota ibi ea nocte lucernæ ardent, ut non illustrari tantum sed & ardere mons & supposita loca videantur.

Præcipui Sanctorum cum Christo ascenderunt.

Notat P. Cornel. in Act. c. 1. v. 9. Præcipuos Sanctorum, qui cum Christo resurrexerunt in Corpore glorioso, cum Christo ascendisse, quasi resurrectionis primitias, hoc est, quod ait Michæas c. 2. 13. *Ascendet enim pandens iter ante eos.* Quomodo resurrexerint Sancti post mortem Christi, vide supra num. 209.

Cum quanto plausu susceptus Christus in cælo, ait S. Cyprian. Serm. de Ascen. nec linguis hominum, nec Angelorum, nec cujusquam acumine ingenii definiri posse, quæ Patris in reditu filii hilaritas fuit.

Moraliter notandum: Christus coram Apostolis & Discipulis ascendit, quasi oculos & cor eorum (utinam & nostrum) secum vehens in cælum, docens nos: ut cum Apostolis oculis animi eum in astra sequamur, & mente in cælestibus habitemus; ipse enim est amor noster, ubi autem amor, ibi & oculus, & cor. S. Leo Serm. 1. de ascen. Christi ascensio nostra est provectio, & quo præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis. Dignis dilectissimi exultemus gaudiis & piâ gratiarum actione lætemur.

Nubes qualis.

V. 9. *Nubes suscepit eum.* Cajetanus hìc putat nubem hanc non fuisse nubem sed splendorem, quem Christi corpus ex se sparsit. Abulen. parad. 5. c. 9. existimat, hanc nubem fuisse Christo instar sedis & throni. P. Cornel. censet, quòd nubes hæc fuerit vera sed gloriosa & eximia luce corusca, ad hoc à Deo adducta vel producta, ut Corpus Christi regeret, & ab oculis Apostolorum eximeret, simúl-

simúlque suo fulgore majestatem ascendentis ostenderet Ita Suarez 3. Par. Disp. 52. Nota: Christus sensim ascendit, eoúsque, quo pertingere poterat Apostolorum visus. Deindè subduxit eum nubes, ac mox illicò instar fulguris per dotem agilitatis libravit se in cælum empyreum. Astronomi docent terram distare à concavo Firmamenti octoginta millionibus milliarum, spissitudinem verò Firmamenti esse eandem scilicet 80. millionum. quanta ergo amplitudo Cæli empyrei. Iidem docent lapidem molarem, si è firmamento caderet, casurum per 90. annos, antequam terram attingeret. Per 4. millia annorum vix homo pervenire posset ad convexum Firmamenti, etiamsi quotidie recta ascendens, conficeret 100 milliaria. Uti ostendit P. Cornel. Gen. 1. in opere 4tæ diei. Hæc omnia Christus penè in momento transmisit, facítque ut animæ sanctæ post mortem eadem milliaria quasi in momento transmittant.

214. Existimat Abulen. Parad 5. c. 34. Christum utpote gloriosum nullas induisse vestes, sed nudum semper, & solo splendore Gloriæ Discipulis apparuisse. In veste rubra & purpurea Christum ascendisse censet Fredericus nausea in Catechis. c. 36. probátque ex illo Isaiæ 63. 2. *Quare ergo rubrum est Indumentum tuum.* Verùm, quia Christus coram Apostolis gloriam suam penè abscondit, eámque tenuiter tantùm ostendit, ut cum illis familiariter agere, videri & tangi posset. Censet P.Cornel. eum in veste communi, qua in vita uti solebat, illis apparuisse, ut idem videretur esse, qui resurrexerat, non alius, ac in eadem ascendisse, ita tamen, ut ascendendo radios gloriæ suæ in eam transfunderet, eámque radiantem claritate partim candicante, partim purpurascente efficeret. Sic enim dos claritatis & lucis Beatorum in Cælo erit colorata & varia. Nam in Martyribus erit purpurea, in Virginibus candida, in Doctoribus viridis, ait Soto in 4. Dist. 49. in fine.

Vestitusnè Christus ascendit.

Act. 1. v. 10. *Cúmque intuerentur in Cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: viri Galilæi, quid statis aspicientes in Cælum? hic JESUS, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cælum.* Duo viri, duo Angeli in assumpto corpore. Respiciebant cælum Apostoli oculis tam mentis quàm corporis nos docentes: intueri Cælum simili aspectu.

Ita

Ita S.Martinus jugiter aspiciebat Cælum, eáque nota à cæteris dignoscebatur adeò, ùt vulgo cognominaretur suspex cæli. S. P. Ignatius suspiciens cælum dicere solebat: quomodo sordet mihi terra cum Cælum aspicio. Ita Ribaden. L. 5. vitæ ejus c. 1.

Tria hìc Apostolis ingerunt Angeli, tribúsque de causis eis apparuerunt. 1. Ut quod Discipuli oculis corporeis videre non poterant scilicet Christum in cælum pervenientem, verbis suis docerent ac confirmarent. 2. Ut Apostolos consolarentur. 3. ut significarent Christum ad immutabilem quendam statum, & æternitatis consortium ascendisse.

Ex monte Oliveti Christus ascendit, ibi enim inchoavit Passionem, ibi pariter eum decuit finire & coronidem imponere Passioni suæ & vitæ terrenæ.

Miracula Ascensionis in monte Oliveti.

Nota: trina continua miracula, quibus in monte Oliveti Deus illustravit Christi ascensum. 1. Christus huic monti petroso instar ceræ impressit & impressa reliquit pedum suorum vestigia, quæ nulla ratione tot seculis deleri potuerunt, ibi etiamnum inter medios licèt Turcas visuntur, ut terræ à Christi pedibus quasi sacratæ particulas quasi reliquias secum auferant. Ita S. Hieronym. in Locis Hebr. Porrò hæc Christi vestigia conversa fuerunt ad Occidentem, & versùs Catholicam ex gentibus Romanam spectant Ecclesiam. 2. Locus ille, ex quo Christus ascendit, nunquam se tegi, aut marmore paviri ornarique est passus, semper excussis, solo respuente, quæ manus humana adornandi studio tentabat apponere, utì testatur S. Paulin. 3. Eodem in loco postea Templum rotundum & magnificum in honorem Ascensionis est erectum à S. Helena, matre Constantini Imperatoris, quod in se includebat Christi vestigia, cujus tectum ea parte, qua Christi Corpus ascendit, nunquam contegi & concamerari potuit. ita S. Hieronym. Beda.

Multi opinantur (P. Cornel.) Antichristum in monte Oliveti dæmonum ope elevandum in altum, ut in Cælum videatur conscendere, sed siderabit eum Christus, spiritúque oris sui interficiet. 2. Thessal. 2. 8. Mons Oliveti est juxta Jerusalem, Sabbati habens iter. (P. Cornel.) id est, distans à Jerusalem tantò spatiô, quantum Judæis in Sabbato licebat proficiscendo conficere. Quod multi censent duorum fuisse milliarium, milliare est spatium mille passuum. Verùm minus fuisse hoc iter liquet tum ex Josepho, qui L. 6. Belli c. 3. asserit: Jerusalem à monte Oliveti distare stadiis 5.

ab

ab ejus verò culmine 6. Stadium autem continet 125. passus. quinque ergo stadia faciunt 625. passus. Tum ex S. Hieronym. Ep. 151. ad Algasiam, qui iter Sabbati definit esse ambulationem bis mille pedum, ubi per pedes non passus, uti volunt nonnulli, sed pedes, ùt vox sonat, accipit, jam quinque pedes conficiunt passum, ergo bis mille pedes faciunt 400. passus. Quo mense, quo die ascendit Christus, non constat, communior tamen sententia est, S. August. 18. Civit. cult. Tertulian. Chrysost. Suarez &c. Christum ascendisse 5ta May, misisse Spiritum S. 15. May.

Tempus ascensionis.



LIBER



Liber secundus.

Continens acta Apostolorum.

Caput primum.

Libri actuum quis Author. Apostoli post ascensionem Christi in cænaculum conveniunt. Petrus ad electionem hortatur pro Apostolatu in locum Judæ. Judas miracula faciebat. Mathias eligitur. ejus axiomata. elogium.

215. Libri actuum quis author?

Librum actuum Apostolorum S. Chrysost. cognominat Librum dogmatum de Spiritu sancto, & Oecumenius, Evangelium Spiritus sancti, cujus author S. Lucas. Pinxit ille penicillo imagines Deiparæ & Verbi incarnati, quæ Romæ magna veneratione coluntur, at longè excellentiùs in hiscè Actis pinxit ideam vitæ Christianæ, perfectæ, & Apostolicæ, ut eam posteris omnibus, quasi speculum & exemplar, quod æmularentur, proponeret.

Absoluto Ascensionis Christi spectaculo in cænaculum se recepère Apostoli, de quo Alexander in vita S. Barnabæ. In illo cænaculo Dominus Pascha fecit, in illo apparuit Thomæ Apostolo, cùm à mortuis surrexisset, illuc, postquàm in cælum assumptus est, Discipuli cum reliquis fratribus 120. in quibus erant Barnabas & Marcus, ex monte Oliveti convenerunt, illuc Spiritus S. in linguis igneis ad

ad Diſcipulos deſcendit in die Pentecoſtes. Addit Adrichomius in deſcript. Jeruſ. n. 6. ibidem Apoſtoli primum celebraſſe concilium Act. 15. & in ſua diviſione Apoſtolicum Catholicæ fidei Symbolum edidiſſe videntur. Actor. 1. v. 14. *Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione.* P. Cornel. Nota hìc tres virtutes, quibus vacârunt Apoſtoli, ut ſe diſponerent ad adventum Spiritus ſancti. Prima eſt oratio. 2. Unanimitas. 3. Perſeverantia.

Apoſtoli in oratione e perſeverant in cænaculo. Actor. 1.

Hi perſeverantes in oratione erant cum mulieribus & Maria Matre JEſu & fratribus ejus. P. Cornel. Beatiſſima virgo fuit quaſi materfamilias hujus ſacri cœtus & familiæ Chriſti. Miratur S. Bernard. eam hìc ultimo loco poni, cauſámque dat: cùm Maria, quantò major erat, humiliaret ſe, non modo de omnibus, ſed præ omnibus. Merito facta eſt noviſſima prima, quæ, cùm prima eſſet omnium, ſeſe noviſſimam faciebat.

Per fratres intelliguntur hoc loco cognati tam JEſu, quàm Mariæ; hos enim Hebræi vocant fratres, hi ergo cognati fuerunt fideles & crediderunt in Chriſtum, unde junxerunt ſe Apoſtolis, & cum eis expectarunt Spiritum ſanctum.

Petrus deinde hortatus fideles ad eligendum in locum Judæ Apoſtolum, v. 15. *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit &c.* Vox, exurgens, ſignificat 1. ſtatu & gradu eminentiorem Petrum. 2. Paſtoralem ejus vigilantiam &c. vox, medium, notat auream mediocritatem, qua Paſtor & Prælatus debet præcellere, ut inter ſubditos, qui diſparis ſunt judicii, voluntatis &c. verſetur quaſi medius, in neutram partem affectu, ſuóque favore inclinet. Poterat S. Petrus ſolus, utì docet Chryſoſt. ſucceſſorem Judæ eligere & Apoſtolum 12.mum deſignare, ſed noluit, tum ut oſtenderet ſe non dominari in Cleris, ſed modeſti regiminis dare & initiare exemplum. Dixit S. Petrus viri fratres. P. Cornel. hìc, quia omnes Apoſtoli in Apoſtolatu erant pares & quaſi fratres, eſto ipſe eorum eſſet Præſes. Sic Pontifex Cardinales & Epiſcopos vocat fratres. 2. cæteros omnes fideles vocat filios cognatione non carnis, ſed fidei, regeneratione bapiſmi, non uteri.

D. Petrus electionem perſuadet. Actor. 1.

Dicit S. Petrus de Juda: *Sortitus eſt ſortem.* q. d. Judas ſortitò vel ſorte obtinuit ſortem, id eſt, partem, puta 12mum locum miniſterii, hoc eſt, Apoſtolatûs noſtri. Hinc liquet Judam non ſolum Apoſtolatûs gradum, ſed & miniſterium participâſſe, ac conſequenrer evangelizâſſe, expuliſſe dæmones, feciſſe miracula, perinde, ùt fecerunt cæ-

Judas miracula faciebat

cæteri Apoſtoli à Chriſto miſſi per Judæam & Galilæam. ita S. Auguſt. l. 3. contra litteras Petiliani. S. Leo ſerm. 16. de Paſſ. addit Nazianzen. in Chriſto patiente. Quòd doctrinæ ſuæ verbis multos genuit filios. Fuit ergo primitùs ipſe non tantùm ſanctus, ſed & zelo prædicationis ſuæ ſanctificans alios, donec Procurator à Chriſto conſtitutus, loculos habere & amare cœpit, indéque effectus eſt fur & proditor Chriſti. ita Tertul. de anima c. 4. Tropologicè diſce hinc, nullam eſſe tam ſanctam ſodalitatem, quæ non habeat ſuam fæcem. Audi S. Auguſt. ſuum monaſterium purgantem à ſcandalo, quod in eo acciderat, Ep. 137. Quantumlibet vigilet diſciplina domus meæ, homo ſum, & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior ſit, quàm arca Noë, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus eſt: aut melior, quàm cohabitatio ipſius Domini Chriſti, in qua undecim boni perfidum & furem Judam toleraverunt, aut melior ſi poſtremò quàm cœlum. Subdit deinde experimentum notabile: Fateor, ex quo DEo ſervire cœpi, quomodo, difficilè ſum expertus meliores, quàm qui in monaſteriis profecerunt, ita non ſum expertus pejores, quàm qui in monaſteriis ceciderunt.

Scandalum non ſumendum ex lapſu aliorum.

V. 23. *Et ſtatuerunt duos, Joſeph qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt juſtus, & Matthiam.* P. Cornel. Apoſtoli, cæteríque fideles communi conſenſu nominârunt è toto numero duos excellentiores in fide, virtute, rerúmque Chriſti cognitione, eos deinde ſeorſim ſtatuerunt, quaſi Apoſtolatûs Candidatos, ut ſuper utrumque jacerent ſortem, quæ Apoſtolum deſignaret.

Joſeph videtur fuiſſe frater Jacobi minoris & Judæ Thadæi Apoſtolorum, conſequenter conſanguineus Chriſti, qui cognominatus eſt juſtus ab inſigni ejus juſtitia & ſanctitate. Vide hìc ut ad Prælaturas non ſemper aptiores ſint juſti & ſancti: Aptior enim eſt, qui habet talentum regendi, quod magìs in prudentia & gratia, quàm in ſanctitate conſiſtit, utì docebat S. Thereſia, quæ proinde ſuperiores eligi volebat prudentes potiùs & diſcretos, quàm ſanctos, ſi alterutrum deeſſet.

Superiores quales eligendi.

Mathias idem eſt ex Hebra. quod donum DEi vel donatus à DEo. addit Beda & alii, Mathias hebraicè idem eſſe, quod parvus DEi. Clemens Alexand. l. 4. Strom. cenſet Mathiam fuiſſe Zachæum, qui ex arbore ſycomoro à Chriſto vocatus ſit.

Mathias quid ſignificet.

Videntur hi duo Joſeph & Mathias, dotibus fuiſſe quaſi pares, inquit Gloſſa, aut ſe habuiſſe ut excedens & exceſſum, ideo-

ideóque DEum invocârunt fideles, ut is aptiorem designaret, cùm illi nescirent, uter alteri præferendus esset.

Sortitio in electione S. Mathiæ qualis.

V. 26. *Et dederunt sortes ejus.* Quæres, quæ & quales fuerunt hæ sortes? aliqui, ùt Gagnejus, censet fuisse scrutinium suffragiorum. S. Dionys. S. Antonin. & alii, censent fuisse signum quoddam divinum. P. Cornel. à Lap. existimat Apostolos misisse sortes propriè dictas, ùt verba sonant, & sortem cecidisse super Mathiam. Porro qua re & quo modo missæ sunt hæ sortes, incertum est. Nostri Lorinus & Mariana censent, nomen Mathiæ uni chartæ, nomen Joseph alteri fuisse inscriptum, itaque utrumque injectum in urnam, ibique commistum, ut cujus primò educeretur, is esset Apostolus. Certum tamen est (ait P. Cornel.) DEum per eam sortem declarâsse Mathiam tum dirigendo sortem ut caderet in Mathiam, tum addendo signum aliquod cæleste v. g. radium, aut quid simile, quo sortem comprobaret, uti censet S. Dionys. & alii.

Quæres 2. qua conscientia Apostoli rem tantam commiserant sorti, id est, casui & fortunæ? Respondent 1. aliqui ex Glossa id eos rectè fecisse, eò quòd eligendi in dotibus externis essent pares. 2. Apostoli secuti exemplum S. Scripturæ, sic enim Saul sorte creatus est Rex. 1. Reg. 10. 20. sic sorte deprehensus est Achan. Josue 7. 16. &c. 3tio genuinè (P. Cornel.) Apostoli jecerunt hanc sortem licitè, quia id fecerunt ex instinctu divino, quo tacitè DEus promittebat, se suam voluntatem per eam demonstraturum & magis idoneum designaturum. ita P. Less. l. 2. de just. c. 43. dub. 9.

Clerici unde S. Mathias elect. Act. 1.

v. 26. *Et cecidit sors super Mathiam.* Ex hac sorte Mathiam fuisse primum Clericum, indéque Clericos originem & nomen accepisse censet S. August. in Epist. 97. Clericus enim dicitur à sorte; quia sorte in sortem Domini adsciscitur.

Moraliter 1. hac sorte docuit Christus in electione ad officia Ecclesiastica, se nolle habere rationem consanguinitatis, nam Joseph consanguineo prætulit Mathiam extraneum. 2. Quemque vocationem suam à DEo expectare debere, eáque esse contentum, sicut Joseph non doluit sibi prælatum Mathiam.

Tria axiomata S. Mathiæ recenset Clemens Alexand. 1mum lib. 2. Strom. Oportet admirari præsentia. Nimirum ut admiremur opera DEi visibilia & ex illis ad invisibilia ascendamus. 2dum. l. 3. Si electo vicinus peccavit, peccavit electus; nam si se ita gessisset, ùt jubet verbum & ratio ejus vitam, ita vi-

cinus esset reveritus, ut non peccâsset. 3tium. l. 7. adversùs carnem pugnandum & in nullo prorsus voluntati ejus, ac libidini concedendum, animam verò alendam sapientiæ pastibus & scientiæ cibis, in majus semper augendam.

D. Mathiæ hoc elogium dat S. Antoninus, quod citat P. Cornel. Fuit in lege Domini doctissimus, corpore mundus, animo prudens, in solvendis quæstionibus S. Scripturæ acutus, in consilio providus, in sermocinatione expeditus, multorum signorum Patrator. Extensis in cælum manibus Martyr spiritum DEo reddidit.

S. Mathias in Macedonia prædicâsse Evangelium existimatur. Cùm illi à gentibus propinatum fuisset venenum, quo fidem ejus probare volebant, ille toxicatam potionem, quæ omnes visu privare solebat, bibit in nomine Christi illæsus, & cùm illa potio plusquàm 250. excæcâsset, ille singulis manus imponens eos illuminavit. Corpus illius prævia visione stellæ rutilantis, fontis erumpentis, repertum cum inscriptione: acta SS. Auth. P. Bollando. 24. Feb.



Caput secundum.

Spiritus S. descendit in Apostolos. sonus qualis fuit. quales linguæ? Spiritus S. quid? quomodo Apostoli loquebantur variis linguis. existimabantur ebrii. S. Petrus 3. millia una concione convertit. Christianorum Primitivæ Ecclesiæ devotio. Omnia communia.

216. Spiritus S. descendit in Apostolos. Actor. 1.

ACtor. 2. v. 1. *Et cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.* v. 2. *Et factus est repentè de cælo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes.* v. 3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* v. 4. *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto & cæperunt loqui variis linguis, prout Spiritus S. dabat eloqui illis.*

Dies Pentecostes, P. Cornel. hic. puta dies 50. à Paschate, ita ut jam adesset dies 50ma. Pentecostes enim Græcè significat tam dies 50. prævios, quàm diem 50mam, quæ erat Festum Pentecostes, latinus ergo interpres Pentecosten sumit priori modo, Græcus verò textus posteriori. Nota 1. Judæis indictum erat à DEo festum Pentecostes duplici de causa. Prior fuit in memoriam jam datæ illo die legis per Moysen in Sina. 1. Exod. 19. 1. Posterior in gratiarum actionem pro novis illius anni frugibus, quas tum metere incipiebant, unde earum Primitias, puta, duos panes ex frugibus illius anni pistos, DEo offerebant in Pentecoste. Nota 2. Prima Christianorum Pentecoste incidit in diem dominicam, in dominico enim die descendit Spiritus sanctus, æquè ac Christus resurrexit, numerando enim à die dominica Resurrectionis, dominica septima est dies 50ma, id est, Pentecoste.

Pentecoste est Festum proprium Spiritus Sancti, ejúsque Jubilæum; sicut enim annus 50. erat Jubilæum, in quo servi fiebnat liberi, omnésque redibant ad avitas hæreditates, etiamsi millies fuissent divenditæ, ita per Spiritum S. redimus in gratiam & amicitiam Angelorum, ad libertatem gloriæ Filiorum DEi, ad hæreditatem & regnum cœleste.

Sonus qualis fuit.

Et factus est repentè sonus. Hic sonus symbolum erat sonitus Evangelii, toto orbe ab Apostolis recepto Spiritu Sancto prædicandi. Ad literam, hic sonus excitabat tum animos fidelium ad devotè recipiendum Spiritum Sanctum, tum Judæos per urbem sparsos, ut ejus fragore exciti accurrerent ad cœnaculum Apostolorum, in illud enim sonus hic ferebatur, illíque incumbebat, perinde ac tonitru & fulmen certam domum ferit.

Repentè factus ille sonus, præclarè S. Gregor. Hom. 30. in Evang. ô qualis est artifex iste Spiritus! nullâ ad discendum morâ agitur in omne quod voluerit, mox enim ut tetigerit mentem docet, solúmque tetigisse docuisse est. S. Chrysost. Hom. 2. de Pent. Spiritus Sanctus nostræ imaginis est Reformator, mentis perfectio, spiritualis mentalium nostrorum oculorum Sol, interni nostri hominis lumen, Lucifer in pectoris cælo.

Sonus ille fuit tanquam advenientis spiritûs vehementis, P. Cornel. Hic spiritus non fuit Spiritus Sanctus, sed ventus vehemens ac proinde cum impetu veniens, vehementiam & impetum Spiritus Sancti adventantis in Apostolos repræsentans. Multi censent hic realem fuisse ventum, alii tamen, quibus accedit P. Cornel. censent realem fuisse sonum, sed non ventum.

Nota Spiritus S. variè in variis figuris, pro varietate operationum & significationum apparuit. In pentecoste datus est in specie spiritus vehementis ad significandam efficaciam prædicationis Apostolorum eis inditam à Spiritu S. ita S. Thom. 1. par. qu. 43. Simul significavit quales illos & cæteros fideles esse oportet nimirum vehementes in studio virtutis & salutis. Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. ita Cyrill. Catech. 17.

v. 3. *Et apparuerunt illis dispartitæ linguæ.* Dispartitæ, id est, (P. Cornel.) distributæ per singulos, ita, ut quisque suam haberet partialem linguam, capiti suo insidentem, licèt integram & indivisam. Multi tamen probabiliter censent, linguas singulas propriè fuisse dispertitas id est, dissectas ùt vertit Tigurina. Simile est quod narrat Diodorus Siculus l. 2. c. ult. in insula quadam reperiri homines, qui habent dissectam linguam, ita ut simul dupliciter, ideóque cum duobus loqui possint, unâ enim parte linguæ loqui uni, aliâ alteri. Linguæ quales fuerunt? Actor. 1.

Nota: voluit Spiritus S. hoc visibili signo, se quasi visibilem exhibere. Causam dat Nazianejus-

ejúsque interpres Nicetas. orat. 44. nam,inquit, cùm Filius corpore ſenſibili & conſpicuo nobiſcum conſuetudinem habiſſet, par erat, ut Spiritus quoque corporaliter appareret, ſicut etiam apparuit, primùm in forma columbæ, nunc in forma linguarum ignearum.

Cur in ſpecie linguarum?

Quæres cur ſpecie linguæ Apoſtolis inſedit Spiritus S. Reſp. 1. quia Apoſtolos hìc conſtituebat Prædicatores Evangelii, Prædicationis autem inſtrumentum eſt lingua. 2. quia ùt ait S. Gregor. Hom. 30. in Evan. habet cognationem maximam lingua cum verbo, ſicut enim verbum mentis producit vocem linguæ, ſic à verbo ſpiratur & producitur Spiritus S. 3. ſicut lingua diſcernit ſapores, & diſtinguit dulce ab amaro, ſapidum ab inſipido, ita Spiritus S. mentem illuminans facit eam diſtinguere res cæleſtes & æternas à caducis, ut illas eligamus, has contemnamus. 4. quia lingua eſt membrum homini vel utiliſſimum, vel maximè noxium; nam ùt dicitur Prov. 12. *Mors & vita in manu linguæ*. quare opus eſt Spiritu S. qui linguam domet, dirigat, ſanctificet.

Linguæ quomodo tanquam ignis.

Linguæ fuerunt tanquam ignis. Vox, tanquam, (P. Cornel. videtur ſignificare has linguas non fuiſſe verum ignem, ſed ignis duntaxat habuiſſe ſpeciem & ſimilitudinem, ita Cajetanus. Verùm multi probabiliter cenſent, verum fuiſſe ignem, ſicut verus fuit ſonus. Vox enim, tanquam, vel, ſicut, ſæpè in Scriptura non ſimilitudinem ſed veritatem ſignificat, ùt vidimus gloriam ejus *quaſi unigeniti* Joan. 1. 14. P. Cornel. exiſtimat priorem ſententiam ſimpliciorem & germaniorem.

Cur linguæ igneæ.

Quæres cur linguæ hæ fuerunt igneæ? P.Cornel. reſpondet 1. quia Deus ac præſertim Spiritus S. eſt amor ſubtiliſſimus, efficaciſſimus, potentiſſimus, agillimus. unde ejus Symbolum eſt ignis Deut. 4. 24. *Deus tuus ignis conſumens eſt*. 2. quia ſicut Spiritus S. auctoravit Prophetas per ignem, ita multò magis decebat, ut auctoraret & Apoſtolos. 3. ut ſignificaret legem Chriſti, quam mox promulgaturus erat eſſe legem ignis, id eſt charitatis & zeli. 4. ut ſignificaretur. quòd Spiritus S. torporem, timorem, concupiſcentias & vitia conſumeret & combureret quaſi ignis. Hic ignis, ait S. Chryſoſt. hom. 4. mundi peccata quaſi ſylvam exuſſit. 5. Cyrill. Hieroſolym. Catech. 17. ignis, ait, portendit tribulationem magnam & multiplicem, quam paſſuri erant Apoſtoli & fideles, ſed ſuperaturi per ignem amoris Divini, quem idcirco hìc

eis

eis indidit Spiritus S. 6. ignis ſignificat acre examen & lumen, quod menti ſuggerit Spiritus S.

Cur ſedit ſuper ſingulos?

Seditque ſuper ſingulos eorum. Communiter Patres cenſent, linguas has inſediſſe capitibus Apoſtolorum, licèt aliqui in os eorum ſe inſeruiſſe cenſeant. Sedit, ut oſtenderet, inquit S. Chryſoſt. ſe in iis eorúmque ſucceſſoribus permanſurum usque ad finem mundi. P. Franciſcus. Turrian. l. 1. de Hierarch. citans S. Dionyſ. S. Hieronym. & alii exiſtimant hoc ſymbolo ſeſſionis Apoſtolos creatos eſſe Epiſcopos in Pentecoſte. cùm prius in ultima cœna creati fuiſſent à Chriſto Presbyteri. P. Cornel cenſet Apoſtolos creatos eſſe Epiſcopos ab ipſo Chriſto poſt Reſurrectionem, cùm iis dixit Joan. 20. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Dionyſius Carthuſian, & alii cenſent, Apoſtolos hìc confirmatos eſſe in gratia per aſſiſtentiam & protectionem continuam Spiritus Sancti, ita ut deinceps peccare mortaliter non poſſent, etſi poſſent venialiter.

Epiſcopi quando creati.

v. 4. *Et repleti ſunt omnes*. Qui antea habebant Spiritum S. jam ejus plenitudinem acceperunt, ait S. Leo Serm. 3. de Pent. Porrò non omnes parem acceperunt gratiam, ſed alius majorem, alius minorem, quisque ſcilicet pro ſuo, tum officio & gradu, tum diſpoſitione. S. Auguſtin. Spiritum S. vocat Vicarium, id eſt, ſucceſſorem Chriſti; Spiritus S. enim voluit deſcendere in mundum, ut imitaretur verbi, puta Chriſti, deſcenſum, ejúsque cœpta & acta compleret.

Porrò Spiritus S. (P. Cornel.) 218.
vocatur tertia perſona S. Trinitatis, quam ſpirant & ſpirando producunt Pater & filius, ſicut homo ſpirando producit anhelitum & ſpiritum. 2do. ſicut filius procedit ab intellectu & intellectione Patris, qua ſe Pater intelligit & comprehendit, quaſi hujus intellectionis terminus adæquatus, & verbum conſubſtantiale, ideóque Genitus & Filius, ſic Spiritus Sanctus procedit à voluntate & dilectione, qua ſe invicem Pater & filius infinitè diligunt, quaſi hujus dilectionis terminus adæquatus & amor conſubſtantialis, ideóque Spiritus S. ſpiratus, non genitus. P. Cornel. hìc. 3tio. Re ipſa & phyſice nobis datur ipſa perſona Spiritûs S. cum gratia & charitate ac conſequenter Pater quoque & filius, id patet ex Joan. 14. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Ergo manſio SS. Trinitatis eſt anima juſti, ac proinde propriè

Spiritus S. quid? & quomodo nobis detur.

magíſque intimè eſt in ea præſens DEus, quàm eſt in rebus creatis per eſſentiam, præſentiam, & potentiam.

Quomodo Apoſtoli loquebantur variis linguis.

Loquebantur Apoſtoli variis linguis (P. Cornel.) tum quia unus una, alius alia lingua. v. g. Andreas Parthicè, Jacobus perſicè, Simon Germanicè &c. &c. aliqui cenſent Apoſtolos una duntaxat lingua locutos, nimirum patriâ, quæ erat Syro-Hebræa, ſed à variis variarum linguarum gentibus fuiſſe intellectos. Verùm, ait P. Cornel. Apoſtolos & fideles ſingulos hìc viciſſim & ſucceſſivè variis linguis eſſe locutos. addit tamen idem P. Cornel. Apoſtolos ſubinde una lingua loquentes & concionantes, ab auditoribus variarum linguarum fuiſſe intellectos, ac conſequenter utroque modo habuiſſe hoc donum linguarum. Porrò Apoſtoli acceperunt hìc cognitionem omnium linguarum totius orbis, quia ad omnes gentes deſtinabantur, omniúmque erant Apoſtoli & Doctores, ait S. Ambros. Ep. 33.

Nec ſolùm Apoſtoli ſed & cæteri fideles 120, tum viri, tum fæminæ hoc donum linguarum acceperunt (P. Cornel.) præſertim B. Virgo, ac S. Magdalena, ipſa enim erat Apoſtola, ac ut talis prædicavit Maſſilienſibus, eóſque convertit. ita contra Cajetanum id de B. Virgine negantem docet inter alios Franc. Suarez. 3. par quæſt. 37. additque eam ante adventum Spiritus S. habuiſſe hoc donum, nam cum tribus Magis eorum lingua locuta eſt.

Apoſtoli exiſtimabantur ebrii. Actor. 2.

Loquentes variis linguis mirabantur alii. Act. 2. v. 13. *Alii autem irridentes dicebant: quia muſto pleni ſunt iſti. Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem ſuam, & locutus eſt eis: non enim ſicut æſtimatis, hi ebrii ſunt, cùm ſit hora diei tertia.* (P. Cornel. hìc, illi irridentes, veriſimile eſt, fuerunt ſcribæ & Phariſæi. vera dicunt Judæi, inquit, Cyrillus Catech. 17. ſed irridendo. novum enim verè erat illud vinum, novi teſtamenti gratia. ſimilis ſed in oppoſito genere eſt ebrietas ſpiritualis, ſicut ebrietas facit animoſos pugnaces &c. ita Apoſtoli antea timidiſſimi poſt receptum Spiritum S. facti animoſiſſimi. Item ùt ajebat Anacharſis, primus calix, quibibitur, eſt neceſſitatis. 2dus. hilaritatis. 3tius voluptatis. 4tus. inſaniæ. Ita ebrii ſpiritu fiunt mundo & mundanis inſani.

Ex illis verbis: cùm ſit hora diei tertia, colligitur Spiritum S. deſcendiſſe in Apoſtolos tempore matutino, puta hora ab ortu ſolis tertia, ait P. Cornel.

Petrus 3. millia convertit. Actor. 2.

Concionis S. Petri Spiritu S. repleti materia fuit, de qua v. 38. Petrus verò ad illos: *pœnitentiam* (inquit) *agite, & baptizetur unusquisque veſtrûm in nomine JESU Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis donum Spiritûs S.* Baptizetur unusquisque veſtrûm in nomine Jeſu Chriſti, puta in fide, profeſſione, virtute, meritis & Baptiſmo JEſu Chriſti. Putabant aliqui ſufficere ut baptizans dicat: ego te baptizo in nomine JEſu Chriſti, tamen contrarium declaravit, & definivit Eccleſia. vide Fran. Suarez 3.part. tom. 1. Diſp. 21. adde ea P. Cornel. hìc, fortaſſe Apoſtolos primis illis temporibus formæ Baptiſmi addidiſſe nomen JEſu Chriſti, dicendo: ego te baptizo in nomine Patris & filii JEſu Chriſti, & Spiritus Sancti, ut huic novo nomini fidem, amorem & reverentiam conciliarent, vel poteſt dici cum Thoma, quòd uſi ſunt illâ formâ: ego te baptizo in nomine JEſu Chriſti ad tempus, ex diſpenſatione Chriſti, ùt Chriſti nomen redderent amabilius.

v. 41. *Qui ergo receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in die illa animæ, circiter tria millia.* Concionem, inquam, magnus fructus ſecutus. Vide hìc fructum ſanguinis Chriſti, vide & linguam igneam Spiritus S. per os Petri jaculantem ignea verba, quaſi tela, quibus totum auditorum cœtum amore Chriſti accendit & inflammavit.

Additur de fidelibus v. 42. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis.* v. 44. *omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.*

Chriſtianorum primorum devotio.

Notat hìc P. Cornel. tria primaria primorum Chriſtianorum munia & exercitia nobis quoad poſſumus imitanda & frequentanda. 1mum. Perſeverabant in doctrina Apoſtolorum, ita & nos in concionibus & verbo Dei audiendo. 2dum eſt ſancta communio Euchariſtiæ, per quam ipſi Chriſto realiter & ſubſtantialiter unimur, ſicut enim cibus unitur corpori, & in illud convertitur, ita Chriſtus quaſi cibus unitur nobis, verùm non ſe in nos ſed nos in ſe ipſum convertit, juxta illud quod dixit S. Auguſtino: nón me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me. Qua de cauſa primi fideles quotidie communicabant (P. Cornel.) utì hìc innuit S. Lucas, eáque præcipua fuit cauſa tantæ ſanctitatis, & perfectionis eorum. Idem etiamnum facere dicuntur Abyſſini ſub Preto-Johanne. 3tium eſt oratio, quâ DEum laudamus, gratias agimus, novámque gra-

tiam poscimus & impetramus. Ubi obiter nota, Lucam hic tribus verbis describere ritum & ordinem, quem primi fideles servabant in suis cœtibus & synaxibus. 1mo enim audiebant verbum Dei. 2do. communicabant. 3tio. Deo canebant hymnos, Psalmos, & Cantica Spiritualia.

Christianorum primorum omnia communia Actor. 2.

Et habebant omnia communia; meum enim & tuum est causa omnis discordiæ, ait S. Chrysost. Plato ideam perfectæ Reip. describens deposcit, ut in ea omnia sint communia, etiam uxores, sed in eo fœdè erravit; uxorum enim communitas repugnat legi naturæ, quæ sancit unum cum una copulandum ob prolis certitudinem, & debitam educationem. Primi Christiani ergo hoc sustulerunt, omniáque habuerunt communia, præter uxores, ac proinde vixerunt quasi Religiosi, imò Religiosæ vitæ fundamenta ab eis jacta esse docent Hieronym. S. Augustin. & alii citati à P. Cornel. S. Hieronym. talis primò credentium fuit Ecclesia, quales nunc Monachi esse nituntur & cupiunt ut nihil usquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper.

V. 45. *Possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout unicuique opus erat.* Non quod pueriliter quis gestire poterat, nil ibi otiosum erat, ac multominus superbum, quod opus erat, hoc est, quantum ad indumenta, quod & nuditatem tegeret & frigus repelleret, ait S. Bernard. Apol. ad Guiliel. Abb.



Caput

Caput tertium.

S. Petrus claudum erigit. Horæ Canonicæ unde? Ecclesiæ opes necessariæ. Petrus & Joannes incarcerantur. in Concilio audacter loquuntur. Ananias & Saphira puniti. Petri umbra sanat. Apostoli gaudentes patiuntur pro Christo.

Petrus Claudum erigit. Actor. 3.

ACtor. 3. v. 1. *Petrus autem & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* v. 2. *Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur, quem ponebant quotidie ad Portam templi, quæ dicitur speciosa, ut peteret Eleemosynam ab introeuntibus in Templum.* v. 3. *Is cùm vidisset Petrum & Joannem incipientes introire in Templum, rogabat ut Eleemosynam acciperet.* v. 4. *Intuens autem in eum Petrus cum Joanne dixit: Respice in nos.* v. 5. *At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis.* v. 6. *Petrus autem dixit argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine JEsu Christi nazareni, surge & ambula.* v. 7. *Et apprehensa manu ejus dextera allevavit eum, & protinus consolidatæ sunt bases ejus & plantæ.* v. 8. *Et exiliens stetit, & ambulabat: & intravit cum illis in Templum, ambulans & exiliens & laudans Deum.* Cùm autem concurrit populus ad eos. v. 12. *Petrus respondit ad populum: Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare. Deus Abraham & Deus Isaac &c. glorificavit filium suum JEsum. &c.*

Ascendebant in Templum. Disce hinc (P. Cornel. meliorem esse orationem, quæ fit in Templo quàm alibi; quia oratio in Templo est publica Dei invocatio, quia in Templo, quasi in domo sua specialiter Deus habitat; quia in Templo ob consociationem preces unjus juvantur ab alio; quia in Templo oratio dat aliis exemplum eosdémque ædificat.

Horæ Canonicæ unde habent originem.

Ad horam orationis nonam. quæ incipiebat hora 3tia post meridiem & finiebatur in vespera solisque occasu. Judæi enim diem & noctem dividebant in 4. partes & vigilias, puta in horam primam, tertiam, sextam, & nonam, & quamque piè ordiebantur à Deo & precibus. Idémque imitatur Ecclesia, imò perfectius peragit per 7. Horas Canonicas imò in Ronorem sanctissimæ Trinitatis, ut 3tia quaque hora eam laudemus.

Excelluit in recitandis horis Canonicis Bellarminus Cardinalis, qui licèt tot studiis distentus, singulas seorsim & statuto ab Ecclesia tempore absolvebat v. g. nocturnas noctu, Primam, hora prima, Tertiam tertia &c. &c.

Paupetes Janitores cæli.

Quem ponebant quotidie (Claudum) ad portam templi. Mendici sunt Janitores cæli, Cubicularii Dei, divitum non tam clientes, quàm Patroni. ita S. Chrysost. Hom. 28. ad popul.

Miracula faciunt præcipuè Sancti austeræ vitæ.

V. 6. *Argentum & aurum non est mihi.* P. Cornel. ait: legi vitas plurimorum Sanctorum, & deprehendi eos solos excelluisse miraculorum copia & pondere, qui excelluerunt in paupertate & austeritate vitæ, quasi ejus merces & præmium congruè à Deo decretum. Tales fuerunt S. Bernard. S. Domin. S. Franciscus, S. Xaverius &c. Dicitque se legisse Authores graves P. Cornelius S. Thomam Aquin. cùm ad Innocentium IV. Pontif. venisset, coram quo fortè magna vis auri signati numerabatur, & ei Pontifex dixisset: vidésne Thoma Ecclesiam, non amplius sicut olim, cùm primùm inciperet, dicere posse: aurum & argentum non habeo. Modestè respondisse: Fatendum hoc est Pater sancte, sed etiam Ecclesia modò non potest, sicut primitiva ad Claudum dicere: Surge, ambula, sanus esto. Et tamen (P. Cornel.) certum est Ecclesiam licitè & utiliter imò necessario possidere pecunias & prædia, utì doctè contra Viclefum demonstrat Bellarm. Tom. 1. L. de Cleric. c. 26. verùm Deus pro rerum & temporum exigentia ita sapientissimè sua dona partitus est, ut Ecclesia primitùs pauper coruscaret miraculis ad infidelium conversionem, iis verò conversis, miraculis amplius non indigens, opibus & donis fidelium, suum jus & dignitatem tueretur.

Ecclesiæ opes necessariæ.

Consolidata sunt bases ejus & plantæ. Tropologicè, qui nunc in vitium, nunc in virtutem, nunc in fidem, nunc in hæresim inclinant, similes huic claudo, quos consolidat Petrus, id est, Pastor vi verbi & gratiæ Christi.

Præclarè Cassian. Collat. 6 c. 12. mens Justi non debet esse similis ceræ, quæ semper characteri signantium cedens, pro ejus forma & imagine figuratur &c. quin potiùs debet esse velut quoddam Adamantinum signatorium, ut inviolabilem mens nostra figuram, sui semper custodiens characteris, universa quæ incurrerint sibi, qualitatem sui status signet atque transformet, ipsa verò insigniri nullis incursibus possit.

Petrus & Joannes prædicantes Resurrectionem incarcerantur, tandem in concilio prædicant. Actorum. 4.

Actor. 4. v. 1. *Loquentibus autem illis,* (Petro & Joanne) *ad populum supervenerunt sacerdotes, & magistratus Templi & Saducæi,* v. 2. *Dolentes quod docerent populum & annuntiarent in JESU Resurrectionem à mortuis, & injecerunt in eos manus & posuerunt eos in custodiam.* V. 4. *Multi autem eorum qui audierant verbum, crediderunt, & factus est numerus virorum quinque millia.* V. 5. *Factum est autem in crastinum ut congregarentur Principes eorum* V. 6. *Et Annas Princeps sacerdotum.* V. 7. *Et statuentes eos in medio interrogabant: in qua virtute aut in quo nomine fecistis hoc vos.* V. 8. *Tunc repletus Spiritu S. Petrus dixit ad eos: Principes populi & seniores audite.* V. 10. *Notum sit omnibus vobis & omni Plebi Israel, quia in nomine Domini nostri JEsu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem DEus suscitavit à mortuis, in hoc iste* (claudus) *astat coram vobis sanus.* V. 13. *Videntes autem Petri constantiam, & Joannis, comperto quòd homines essent sine literis & Idiotæ, admirabantur.* V. 15. *Jusserunt autem, eos foras extra Concilium secedere, & conferebant ad invicem.* V. 18. *Et vocantes eos, denuntiaverunt, ne omninò loquerentur neque docerent in nomine JEsu.* V. 19. *Petrus verò & Joannes respondentes dixerunt ad eos: si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quàm Deum, judicate.* V. 21. *At illi comminantes dimiserunt eos, non invenientes quomodo punirent eos propter populum.*

V. 4. *Quinque millia.* P. Cornel. hìc, diversa prorsus sunt hæc 5. millia à tribus millibus, prima Petri concione conversis.

V. 31. *Et cùm orassent motus est* 220.
locus. P. Cornel. 1mo. ut hoc signo significaretur eorum orationem à Deo esse exauditam ait Chrysost. 2. ut significaretur Deum eis esse præsentem &c.

Motus terræ signum exauditæ orationis Actor. 4

V. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una.* P. Cornel. non physicè sed moraliter q. d. ita animis & sensibus erant concordes, acsi omnes unum idémque haberent cor & unam animam. 1. quia per charitatem perfectam pariter perfectam habe-

bant

bant inter se amicitiam. 2. quia omnes Christum induerant, in eóque summè erant uniti. 3. quia omnes non suam sed Dei voluntatem implere satagebant. 4. quia omnes possidebantur & regebantur eodem Spiritu S. 5. quia omnes uni Petro tanquam suo Patri & pastori Ecclesiæ, planè & plenè obediebant.

Paupertas Christianorum qualis fuit.

v. 32. *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat.* P. Cornel. Abdicabant ergo rerum proprietatem & Dominium ex studio & voto paupertatis, æquè ac charitatis & communis vitæ. Hoc fecerunt primi Christiani Hierosolymis duntaxat (qui cæteris secuturis sanctiores eis perfectæ sanctitatis dare voluerunt heroicum exemplar) non verò in aliis gentilium Provinciis, quibus prædicabat Paulus. Hos enim possedisse res suas & habuisse proprias opes & fundos patet ex collectis, quas pro pauperibus fieri jubet 1. Cor. 16. v. 1. Quare errarunt hæretici ab æmulatione vitæ Apostolicæ dicti Apostolici, quos tempore S. Augustini secutus est Pelagius & nunc Anabaptistæ, dum hoc Hierosolymitarum spontaneum propositum volunt esse præceptum, non consilium Evangelicum. Errat ex adverso Calvinus, qui censet eos retinuisse Dominium Bonorum, sed ea sponte & liberaliter cum Christianis cœteris communicâsse. Non enim habebant quid proprium, sed erant illis omnia communia.

Pauperitatis fructus.

Quæres cur tam studiosè primi illi fideles Hierosolymis amplexati sint paupertatem? resp. 1. quia audierunt à Christo & Apostolis illam esse primam & summam beatitudinem. 2. quia paupertas ex diametro opponitur & evertit cupiditatem, quæ est radix omnis mali. 3. quia paupertas liberat hominem mille distractionibus & curis &c.

v. 34. *Quotquot enim Possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* P. Cornel. tum studio humilitatis & reverentiæ erga Apostolos: unde Hugo & Glossa censent eos flexis genibus sua obtulisse Apostolis. tum ut ostenderent opum contemptum, quasi eæ non manibus tractandæ, sed pedibus calcandæ essent. unde Arator:

Calcandúmque docent, quod subdunt gressibus aurum.
De quo terrenæ veniunt ad pectora curæ.

tum ut ostenderent, se non tam gratiam facere, quàm recipere ab Apostolis. Porrò ex hac Primorum fidelium reverentia erga Apostolos vide-

tur

tur manâsse priscus mos demittendi se ad pedes non tantùm Pontificis sed Episcoporum ac Virorum sanctorum.

Ananias & Saphira puniti. Actor. 5.

Actorum 5. describitur pœna Ananiæ & Saphiræ, morte punitorum ob fraudatum agri pretium. v. 1. *Vir autem quidam nomine Ananias cum Saphira uxore sua, vendidit agrum & fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua, & afferens partem quamdam ad pedes Apostolorum posuit.* Fecisse votum paupertatis Ananiam, adeóque contra illud peccâsse, ídque graviter reservando sibi partem pretii, docet P. Cornel. à Lap. hìc, probátque tum quia verbum, fraudavit, denotat usurpationem rei alienæ, fraus enim non fit in re propria. Fuit ergo fur & sacrilegus, tum quia ita passim docent Patres, S. Basilius Serm. 1. de instit. Monach. S. Augustin S. Chrysost. S. Hieronym. S. Gregor. & alii citati à P. Cornel.

Arguebat Porphyrius S. Petrum sævitiæ & cædis, quòd occidisset Ananiam. Cui respondet S. Hieronym. Ep. 8. negando quòd Petrus cum occidisset, cùm ne quidem mortem illi intentârit aut minatus sit, unde Origin. tr. 8. in Matth. c. 8. censet Ananiam tam gravi & inopinata Petri increpatione perculsum, ingenti pudore & mærore animam exhalâsse.

Notant Origen. Tract. 8. in Matth. 9. Augustin. l. 3. contra Parmen. & alii, hanc mortis pœnam Ananiæ divinitùs inflictam, ad terrorem novellæ Ecclesiæ, ut eo sanaretur publica disciplina, crescente numero fidelium, neque tamen Ananiam in æternum damnatum, sed potius per carnis interitum consultum fuisse ejus & uxoris ejus saluti spirituali & æternæ: pœnituerunt ergo audita increpatione Petri antequam expirarent, & fortè contritione & dolore nimio expirârunt.

Actor. 5. Petri umbra sanat.

v. 14. *Magis autem augebatur Credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum.* v. 15. *Ita ut in plateas ejicerent infirmos & ponerent in lectulis & grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum & liberarentur ab infirmitatibus suis.* v. 16. *Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.* P. Cornel. Mira thaumaturgia Petri, non tantùm corpore sed & umbra sola corporis, quæ res inanis est, sanat infirmos: ecce hìc impletum illud Christi Joan. 14. v. 12. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Ita umbra Petri claruit

tuit miraculo; & Reliquiæ, ossa Petri aliorúmque Sanctorū gratia & virtute Dei, nonne patrare miracula poterunt, & reverentiæ haberi à fidelibus? contra quam velint, qui adversùs Defunctorum lipsana non semel decertârunt hæretici, nec Sanctorum ossibus pepercêre sepultis. Petri umbra docet, Prælatos debere residere ut præsentes subditis suis eos curent, obumbrent, tegant & regant. Physicè Plin. l. 17. c. 12. docet, copora suam qualitatem communicare umbræ.

Pati pro Deo gaudium. V. 41. *Et illi* (Apostoli) *quidem ibant gaudentes à Conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JEsu contumeliam pati.* V. 42. *Omni autem die non cessabant in Templo & circa domos docentes & Evangelizantes Christum JEsum.* S. Chrysost. Est quippe fortitudinis excellentissimus gradus non tantùm patienter & libenter, sed lætanter quoque adversas res ferre. Ita S. Paulus exultat passim in suis vinculis &c.

Omni autem die non cessabant. P. Cornel. Mirare hìc tum Apostolorum fortitudinem, tum Pontificum & Magistratuum stuporem. Paulò antè cæsis denuntiaverant, ne amplius prædicarent Christum, prædicant nihilominus ipsi ubique & publicè, & tamen tacent Pontifices & Magistratus, perinde acsi elingues & enerves essent; nimirum Deus ligabat illis mentem, manum & linguam.



Capue

Caput quartum.

Viduarum æmulatio. Diaconi Creati. S. Stephanus electus. S. Stephani sapientia. Sanctitas. Per lapidationem Martyrium. Ejus Reliquiæ miracula patrant. S. Laurentius corpori ejus locum cedit.

221. Viduarum æmulatio. Actor. 6

ACtorum. 6. v. 1. *Factum est murmur Græcorum adversùs Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.* Græcorum. P. Cornel. à Lap. hìc, id est græcistarum puta Judæorum, qui extra Judæam in Græcia nati, aut in ea diu versati, græca utebantur lingua, græcísque moribus; Hebræos enim duxisse Coloniam in Græciam, tradit Joseph. L. 12. Antiq. c. 5. Origo ergo murmuris videtur fuisse hæc, quòd viduæ Hebreæ, eò quòd Hebrææ essent, arrogarent sibi honoratiora & locupletiora ministeria, præsertim distribuendi cibos & vestes ùt patet v. 3. viliora verò & tenuiora relegabant ad Græcas: rursum quòd in distributione ciborum & vestium, magis favere plúsque dare viderentur Hebræis. Moraliter hinc disce in omni Republica & communitate pacis & concordiæ causam esse æqualitatem, discordiæ inæqualitatem. Ad sedandum itaque murmur Græcorum Apostoli creârunt 7. Diaconos, ut ipsi liberius prædicationi verbi Dei vacarent, ùt patet ex eorum verbis v. 2. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis.* Septem creati Diaconi, ad instar 7. Angelorum, sicut enim illi Deo, quasi primarii ministri assistunt & ministrant, ita hi Diaconi assistebant & ministrabant S. Jacobo, cæterísque Apostolis. Nota 1. Occasionem instituendi hosce Diaconos fuisse murmur de mensis, inde tamen non sequitur eos duntaxat Præfectos fuisse mensis. nam Apostoli hâc occasione usi, executi sunt præceptum Christi de creandis Diaconis, eisque de-

Æqualitas concordiæ causa.

Diaconi creati Actor. 6.

mandandi omnia officia à Christo sancita, tam spiritualia, quàm corporalia, quale erat mensarum & eleemosynarum distributio. Ita Innoc. III. L. 3. de nupt. mistæ c. 5. & 56.

Agape in signum charitatis.

Nota. 2. Mensas has fuisse sacras, nimirum celebrationis Eucharistiæ, & post eam agapes, sive convivii communis in signum charitatis; primi enim Christiani quotidie communicabant & post communionem simul cænabant, ùt patet 1. Cor. 11. 21.

Rectè notat Baron. An. 34. hos 7. Diaconos non ita Præfectos fuisse mensis, ut cæteris accumbentibus ipsi, quæ ad cibum potúmque pertinebant, illuc inferrent, sed quòd ea, quæ cuique essent opus, eleemosynas dividendo curarent, quod usu retentum esse, S. Leo Serm. de S. Lauren. testatur. Hinc & Romæ & aliis in locis ubi Romana Ecclesia latifundia possidebat, Diaconiæ erectæ erant, in quibus Eleemosynæ à Diacono Rectore Diaconiæ & fructûs ex latifundiis distribui solebant, utì passim in Epistolis docet S. Gregor. quæ Diaconiæ etiamnum Romæ extant, priscúmque nomen retinent. Romæ ante S. Greg. Diaconiæ æquè ac Diaconi Cardinales erant 7. sed ejus tempore duplicatus est numerus creatíque 14. juxta totidem Regiones & vicos, in quos urbs erat distributa, ut quæcunque Regio suum haberet Diaconum Cardinalem, qui sub se alios habebat Diaconos, per quos pauperibus omnibus Regionis sibi commissæ, eleemosynas distribuebat. His 14. Gregor. III. Pont. adjécit alios 4. atque hæc est origo 18. Diaconorum Cardinalium.

Diaconi Cardinales unde.

Stephanus electus. Actor. 6.

Inter 7. Diaconos electus est primarius S. Stephanus. Quæ electio (P. Cornel.) non fuit ordinatio nec institutio aut creatio Diaconorum; hæc enim spectabat ad Apostolos, non ad populum, sed oblatio & præsentatio.

Stephanus Græcum est nomen significans coronam. Primus & quasi Princeps fuit Diaconorum S. Stephanus; ille enim cæteris eminebat, plenitudine gratiæ fidei & spiritûs, item vi disputandi & efficacia prædicandi, undè Lucianus Epist. de inventione S. Stephani vocat eum primicerium aliorum & Archidiaconum. Addit S. August. Serm. 2. de Sanctis, S. Stephanum fuisse juvenem speciosum ac virginem; unde & faciem habuit Angeli. v. 15.

Act. 6. v. 5. *Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu Sancto.* P. Cornel. Fide, id est robore fidei, ad superandum non tantùm murmura pauperum, sed & lapides Judæorum. Deinde. Fide, id est excellentia fidei tanta, ut etiam miracula patraret, quæ est fides miraculorum, & Spiritu S. puta septem donis Spiritus S. omnibúsque virtutibus & gratiis, tum gratum facientibus, tum gratìs datis, ac præsertim charitate & zelo, unde Nicetas apud Metaphrasten ait de S. Stephano, quòd magis ardebat charitate, quàm omnes Sancti sui temporis.

Viduæ Diaconissæ.

Nota: viduæ amotæ à mensis & cedentes Diaconis, aliis minoribus officiis deputatæ sunt factæque Diaconissæ, quarum tria erant munia præcipua. 1. nudare fæminas ad Baptismum & sacram unctionem. 2. Custodire portas fæminarum, fæminísque præesse in Templo. 3. Tempore persecutionis ab Episcopo vel Parochis, mittebantur ad Fideles præsertim in carcere juvandos & animandos.

S. Stephani Sapientia.

v. 10. *Et non poterant resistere sapientiæ Divinæ.* (P. Cornel.) quâ plenus erat Stephanus; hac enim eos convincebat, & ex S. Scripturis, aliísque notis & signis demonstrabat, JEsum Christum esse Messiam.

v. 15. *Viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli.* Contulit enim Deus Stephano novum mirúmque splendorem, & quasi radios corporis gloriosi, quales contulit Moysi, Exod. 34. 1. & S. Antonio, S. Francisco, nostróque S. Ignatio.

S. Stephanus in Concilio perorat. Act. 7.

Actorum 7. S. Stephanus suam causam agens, doctè & fusè peroravit in Concilio, altéque exordiens refricavit historias Abrahæ, Isaac, Jacob, Moysis, & Prophetarum, qui prænuntiârunt Christum, quibus, utì restiterunt prisci Judæi, multósque ex eis occiderunt, ita nunc posteros eorum persequi, Christum ejúsque Discipulos, liberè proclamavit, unde ingenti zelo libertate & spiritu v. 51. in illos detonavit. *Dura, inquit, cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui S. resistitis, sicut Patres vestri ita & & vos, vocavitque illos Proditores & homicidas Christi.* Quocirca illi stridentes & furentes raptum lapidibus obruerunt, ille verò interritus, oculis in Cælum intentis, videns gloriam Dei & JEsu; *Domine JEsu,* inquit, *suscipe spiritum meum.*

Tropologicè S. Fulgentius de S. Stephano, dicit illum dare hìc formam Concionatoribus & Prælatis, ut vitia subditorum acriter insectentur, & tamen pro eis apud Deum intercedant. Dicebat v. 31. Ad Judæos: *Dura cervice &c.* pulchrè S. August. Serm. 1. de Sanctis: *Eja S. Stephane dic aliquid Judæis, ut incipias lapidari, & possis*

coronari, jaculare verba, & excipe saxa, dic aliquid de incircumcisis cordibus, & morieris lapidibus.

V. 55. *Intendens in cælum, vidit gloriam Dei & Filium hominis stantem à dextris Dei.* P. Cornel. sic lege cum Romanis & Græcis, & dele Tò: *Virtutis.* S. Chrysost. censet: S. Stephanum ab initio suæ concionis vidisse cælum apertum & gloriam Dei Christíque, & inde faciem ejus visam, lumine cælesti radiantem instar Angeli. Greg. Nyssen. Orat. de S. Stephan. ait: S. Stephanum vidisse ipsum lumen in lumine Dei, plena mentis comprehensione, atque Deum & Trinitatem. Cajetanus & alii censent Stephanum vidisse gloriam Dei, id est, claritatem quandam corporalem, eximiam & augustam, ita ut Dei præsentiam testaretur; hanc enim vidit Stephanus oculis corporeis, dum eos in cælum intendit æque ac iisdem vidit JEsum stantem à dextris Dei. Porrò Stephanus naturali oculorum acie pertingere non poterat ad cælum empyreum, ibíque videre JEsum in sua forma; ergo vi divina confortatus & elevatus fuit ejus oculus & visus, ut JEsum integrum in sua specie & figura, in cælo, imò super cælum empyreum stantem, clarè & distinctè videret.

S. Steph. quomodo vidit Gloriam Dei.

Symbolicè S. August. qu. 88. sup. nov. Test. docet: Christum stare ut Stephano stanti patienti, ipse quoque stans compatiatur. 2do stat Christus, ut insigne & jucundum hoc Stephani spectaculum & certamen spectet, eóque se oblectet; nam ùt ait Apostol. 1. Cor. 4. 9. *Spectaculum* (græcè Theatrum) *facti sumus mundo & Angelis & hominibus.*

Stans Christus spectat Stephanum cur?

V. 57. *Ejicientes eum extra civitatem lapidabant.* P. Cornel. Porrò S. Stephanus lapidatus est in valle Josaphat juxta torrentem Cedron, quia juxta aquas magna solet esse lapidum copia, ubi etiamnum locus S. Stephani sanguine consecratus, magna veneratione colitur R. P. Melchior ab Helmont Antverpiæ Franciscanus, qui quater Hierosolymam est peregrinatus, ait: signa & effigiem capitis & scapularum S. Stephani lapidi, dum expirans retrorsum caderet, impressa vidisse. Ibidem ait P. Lorinus: ostendi lapidem, in quo B. Virgo cum S. Joanne, pro Stephano toto lapidationis tempore preces fuderunt.

Præclarè S. August. Serm. 5. de Sanctis. Cùm S. Stephanus Diaconus ab Apostolis ordinatus sit Apostolos ipsos beata ac triumphali morte præcessit, ac sic qui erat inferior ordine, primus

primus factus est passione. Mortem enim, quam Salvator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Salvatori, eodem enim Anno 34. quo Christus passus est, Stephanus creatus est Diaconus post Pentecost. ac paucis pòst mensibus martyrium obiit. S. Antonin. par. 1. Baronius & alii passim censent obiisse eum 26. Decemb. Idem testantur omnia martyrologia & PP. in Hom. de S. Steph. ideo enim Christus natus est in terra, ut Stephanus nasceretur & coronaretur in cælo. utì docet S. Fulgent.

S. August. Serm. 31. & 32. de diversis scribit, lapidem, qui cubitum S. Stephani ferierat, à quodam viro pio, qui ejus lapidationi præsens fuerat, delatum Anconam Italiæ urbem, multis miraculis claruisse. Ancona ex græco cubitus dicitur, quia in ipso flectentis se oræ cubito sita est, ait Plin. L. 3. c. 13. Hujus lapidis accepti festivitatem à priscis temporibus celebrant die. 3tia Aug. in quem postea diem incidit Inventio S. Stephani.

222. V. 57. *Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.* P. Cornel. Saulus lapidationis fuit dux, quia indignè ferebat Stephanum cognatum & condiscipulum suum, à se suáque schola defecisse, insuper eloquentiâ sapientiâ & miraculis, ab eo jam Christiano, se superari invidebat, quare lapidationis erat incentor.

Saulus aderat lapidationi.

Ab ipso, ait S. August. Serm. 1. de Sanct. omnium lapidantium vestimenta servabantur, ut tanquam in manibus omnium ipse lapidare videretur.

Saulus vocatur adolescens, græcè, juvenis, aut vir juvenili audacia & robore præditus, quia erat 34. annorum. Pythagoras adolescentiam extendebat ab anno ætatis 20mo usque ad 40mum. à Physicis & Medicis adolescens propriè quis dicitur à fine pueritiæ, scilicet ab anno 12mo usque ad 25tum. Quamdiu scilicet homo crescit in longitudine, cùm enim percrevit, adultus vocatur.

Adolescentia quid?

V. 59. *Positis autem genibus, clamavit voce magna dicens: Domine ne statuas illis hæc peccatum.*

Nota: P. Cornel. S. Stephanus oravit pro se stans, pro hostibus verò genuflexit, cur? causam dat S. Augustin. Serm. 2. de San. Pro me stans oravi, quia pro me, qui rectè Deo servivi, orando & impetrando non laboravi, quia, qui pro justo orat, non laborat, ideò pro se stans oravit. Ventum est, ut oraret pro Judæis, pro interfectoribus Christi, pro interfecto-

fectoribus Sanctorum pro lapidatoribus suis, attendit tam multam & magnam esse impietatem ipsorum, quæ difficile donari posset, genuflexit & ait: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Notandum: non orat Stephanus ut Deus peccatum, puta homicidium Judæorum non æstimet peccatum; hoc enim Deo impossibile & injurium, quia tribuit ei perversum de peccato judicium, sed q. d. ne statuas culpam eorum ad pœnam, sed pœnam cum culpa eis remitte.

Charitas victrix.

Notat S. Fulgentius Sermone de S. Stephano. Arma, quibus contra Judæos pugnavit Stephanus & vicit, fuisse charitatem, præsertim erga suos hostes & lapidatores.

Orationis efficacia pro inimicis.

Notat 2. S. August. Serm. 1. de Sanctis, efficaciam orationis S. Stephani: si S. Stephanus non orâsset, Ecclesia Paulum non haberet.

Notat 3. P. Cornel. efficacissimam esse orationem ardentem, quæ funditur pro inimicis, qualis fuit hæc Stephani, quia ipsa est actus difficillimæ & eminentissimæ charitatis.

Cardinalis de Vitriaco in vita S. Mariæ Oigniac. L. 2. c. 11. scribit eam in extasi cognovisse S. Stephanum S. Pauli decollati animam excepisse & Deo obtulisse.

Judæi jacientes in Christianos lapides, Conversi.

Narrat Baron. An. Chr. 418. ex Severo Episcopo Majoriæ Insulæ Reliquiis S. Stephani Majonam, (quæ urbs est in Majorica) illatis, omnes Judæos, quorum numerus erat 540. per miraculum fuisse conversos, cùm nimirum viderent suis saxis, quæ quotidie jaciebant in Christianos, Reliquias gestantes & comitantes, neminem lædi, & Dei vindictâ ignem cælitùs in Synagogam suam immitti.

Dicitur de S. Stephano v. 59. *Obdormivit in Domino.* P. Cornel. quasi mori & quiescere nequiret, nisi prius hostibus benè precatus, veniam à Deo impetrâsset. Nota: S. Paulus Christianos morientes vocat dormientes, 1. Cor. 15. & 1. Thes. 5. Quia eorum mors, non tam mors est, quàm somnus ob spem brevi futuræ Resurrectionis.

Miracula post mortem, per sacra S. Stephani lipsana, & Reliquias patrata, magna & multa recenset S. August. L. 22. civit. c. 8. & Hom. 7. de Sanctis.

Festum S. Stephani ab Apostolis sancitum.

S. Clemens L. 8. Constit. cap. 33. scribit, Apostolos sanxisse, ut quotannis dies Martyrii S. Stephani publicè Festus celebraretur. Primus Hungarorum Rex & Martyr S. Stephanus à S. Stephano & nomen & Regnum & Martyrii lauream est adeptus, uti habet ejus vita 25ta Augusti. Denique D. Do-

ro-

rotheus in Synopsi asserit, eodem die cum Stephano occisum esse à Judæis Nicanorem, & insuper duo Christianorum millia.

De S. Nicanore idem tradit S. Hyppol. Lib. de 72. disc. verùm Martyrol. Rom. & Monolog. Græcum alio tempore asserunt Nicanorem esse occisum.

Actorum 8. v. 2. *Curaverunt autem Stephanum viri timorati.* P. Cornel. scilicet honorificè sepelierunt, ex quo loco rectè Baronius tradit originem, ritúmque funeris Christianorum.

An. Christi 415. Inventæ sunt Reliquiæ S. Stephani, per revelationem Gamalielis apparentis Luciano Præsbytero. An. Chr. 439. Hierosolyma Constantinopolim translatæ, postea Romam. Ferunt S. Laurentii corpus veniente S. Stephano per miraculum se commovisse ac adventanti Hospiti locum cessisse, illúmque intra suum loculum recepisse. Ita Pomponius Ugonius in stat. Rom. stat. 19.

Caput quintum.

Persecutio prima Christianorum. Simon Magus simulatè fidem suscipit. Confirmationis Sacramentum confertur ab Apostolis. Simon Magus vult donum Spiritûs S. emere. Eunuchus Candacis Reginæ baptizatur. Apostoli Catechistæ. Conversio S. Pauli. Petrus Tabitham suscitat.

223. Persecutio Prima Christianorum. Actor. 8.

Martyrium gloriosissimum D. Stephani, gravissima persecutio in Christianos concitata secuta est. De qua Actor. 8. v. 1. *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per Regiones Judææ & Samariæ præter Apostolos.* P. Cornel. hîc. Ecce quantum bonum ex malo elicit Deus, quantam ex persecutione Ecclesiæ dilatationem & gentium conversionem. Ita crescit adversis agitata virtus. Unde Nyssen. Hom. de S. Stephano, docet perse-

cutionem S. Stephani, Evangelium per orbem evulgaſſe.

V. 4. *Qui diſperſi erant pertranſibant Evangelizantes verbum Dei. Philippus autem deſcendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum.* Philippus, non Apoſtolus, ùt vult Polycrates, Apoſtoli enim manſerunt Hieroſolymis, ſed Diaconus. c. 6. 5. Primus à S. Stephano ejúsque hæres, ait Gloſſa, hic tamen Philippus dicitur ſubinde Apoſtolus, quia circuibat Regiones Evangelizando. Cùm multi Samariæ prædicatione & miraculis Philippi moti credidiſſent in Chriſtum, Simon quidam, de

Simon Magus ſimulatè Fidem ſuſcipit.

quo V. 9. *Qui ante fuerat in civitate magus ſeducens gentem Samariæ, dicens, ſe eſſe aliquem magnum.* P. Cornel. puta Prophetam vel Angelum, imò Deum & Dei Filium, iſte inquam Simon. V. 13. *Credidit, & cum baptizatus eſſet, adhærebat Philippo; videns etiam ſigna & virtutes maximas fieri, ſtupens admirabatur.* P. Cornel. credidit, id eſt, ſimulavit ſe credere, tum nè à ſuis Diſcipulis credentibus Philippo deſereretur, tum ut poteſtatem loquendi variis linguis & faciendi miracula acciperet, ſicut videbat eam accepiſſe Philippum & Fideles in Baptiſmo.

V. 14. *Cùm autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem.* V. 15. *Qui cum veniſſent: oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum S.* V. 17 *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum S.* P. Cornel. per hanc impoſitionem manuum conferebant Apoſtoli Sacramentum confirmationis, ita paſſim Doctores contra Calvinum. Nota hìc primò ſolius Epiſcopi eſſe conferre hoc Sacramentum, unde Philippus Diaconus id non poterat, ſed ad id vocavit Epiſcopos, puta Petrum & Joannem, ita definit Concili Florent. & Triden. Seſſ. 7. In neceſſitate tamen ſummus Pontifex poteſt Præsbyterum auctorare facereque Miniſtrum Sacramenti Confirmationis, uti S. Gregorium feciſſe legimus. L. 4. Ep. 34.

Confirmationis Sacramentum. Actor. 8.

Nota 2do longè probabilius eſt (P. Cornel.) imò quaſi certum, nunquam Apoſtolos hoc Sacramentum ſine chriſmate exhibuiſſe, ùt docet Hugo de S. Victore, quia in aliis Sacramentis non habuerunt iſtam libertatem neque alia Sacramenta ſine ſua ordinaria materia adminiſtraverunt.

Nota, in Sacramento Confirmationis datur Spiritus Sanctus 1mo. Quia datur augmentum gratiæ acceptæ in Baptiſmo. 2. Quia datur in illo plenitudo 7. donorum Spiritus S. ac præſertim ingens robur ad luctandum cum Diabolo. 3. Datur animus & fortitudo ad intrepidè

pidè profitendam fidem præſertim in perſecutione & Martyrio.

Simon Magus vult donum Spiritus S emere. Actorum 8.

V. 18. *Cùm vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus S. obtulit eis pecuniam dicens: date & mihi hanc poteſtatem &c. Cùm vidiſſet.* Rectè hinc infert S. Chyſoſt. viſibili ſigno, puta ignis, linguarum ignearum, aut quo ſimili tunc in fideles confirmatos deſcendiſſe Spiritum ſanctum, unde & viſibiles effectus emanabant, ut quod loquerentur variis linguis, quod prophetarent &c. Quo circa Simon Magus pecunia voluit idipſum emere apud Apoſtolos, cupiebat enim inter ſuos Samaritas eminere quaſi Propheta & vir divinus. V. 19. *Petrus autem dixit ad eum: pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum DEi exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Nota P. Cornel. Simoniam eſſe propriè peccatum contra Spiritum ſanctum. Hinc refert Petrus Damiani Ep. 5. c. 7. Simoniacum quendam, ſcelus ſuum parvi pendentem, juſſum pronuntiare Gloria Patri & Filio, & nequiviſſe dicere, & Spiritui Sancto. Maledicit hic Petrus Simoni ex zelo juſtitiæ non vindictæ, tanquam judex vindexque ſceleris, puta Simoniæ, ad cæterorum exemplum & terrorem. Adduntalìqui S. Petrum hac voce Simonem expuliſſe ex Eccleſia, ideóque jure Canonico Simoniacos excommunicari ita Turrian. l. 1. V. 24. *Reſpondens autem Simon, dixit: precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat ſuper me horum, quæ dixiſtis* P. Cornel. hìc fingit ſe Simon pænitere, ut pænam evadat, timebat enim, ne morte mulctaretur uti Ananias.

Eunuchus Candacis Reginæ baptizatur à Philippo.

V. 26. *Angelus autem Domini locutus eſt ad Philippum, dicens: Surge & vade contra meridianum* (verſus meridiem ita Tigurina) Philippus iſte, de quo Actorum 8. non Apoſtolus, ùt vult Polycrates apud Euſebium l. 5. hiſt. c. 24. Apoſtoli enim manſerunt Hieroſolymis uti Lucas dixit V. 1. ſed Diaconus c. 6. 5. Primus S. Stephano ejusque Hæres, de quo Gloſſa, unde non potuit imponere manus Samarttis, ſed ad hoc V. 14. mittuntur Apoſtoli Petrus & Joannes, hic tamen Philippus licèt Diaconus vocatur ſubinde Apoſtolus, ut à Tertulliano l. de Bapt & c. 9. S. Auguſtin. l. 1. de doctrina Chriſtiana in Prooemio & aliis, quia circuibat regiones Evangelizando, ſic & Paulus, Barnabas aliique ſimiles vocantur Apoſtoli, etiamſi non fuerint è numero 12. Apoſtolorum. Porrò ex hac evangelizatione, quam Philippus primus fecit in Samaria, Evangeliſtæ nomen accepit c. 21. 8. ita Baronius. Cornelius in c. 8. Actuum V. 4

V. 27. *Et ſurgens abiit. Et ecce*

 vir

vir Æthiops (Abyssinus) *Eunuchus, potens Candacis Reginæ Æthiopum.* V. 28. *Et revertebatur sedens super currum suum, legens Isaiam Prophetam.* V. 29. *Dixit autem spiritus Philippo: Accede, & adjunge te ad currum istum.* V. 30. *Accurrens autem Philippus audivit eum legentem Isaiam Prophetam & dixit: putasne intelligis, quæ legis.* V. 31. *Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Notent hoc hæretici, qui sacram scripturam intellectu facilem, & cuilibet apertam pronuntiant. Audiant S. Hieronym. Epist. 103. venit Philippus, ostendit ei JEsum, qui clausus latebat in litera, ut intelligeres te in scripturis sacris sine prævio & monstrante semitam non posse ingredi.

V. 31. *Rogavitque Philippum* (Eunuchus) *ut ascenderet & sederet secum.* V. 32. *Locus autem scripturæ, quàm legebat, erat hic: tanquam ovis ad occisionem ductus est &c.* V. 34. *Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à scriptura ista, evangelizavit illi JEsum.* Porro Philippus hìc catechizavit Eunuchum, cumque docuit mysterium incarnationis (ait P. Cornel. hìc) & redemptionis Christi antea illi inauditum, sic & Apostoli omnes fuerunt Catechistæ eorúmque Conciones erant Catecheses, uti ait Paulus Galat. 6. 6.

Apostoli Catechistæ.

Hisce ergo ducibus glorientur nostri Catechistæ. V. 36. *Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet baptizari? Dixit autem Philippus: si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo, Filium DEi esse JEsum Christum. Et jussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.* P. Cornel. à Lap. hìc. Non est dubium Philippum exegisse & Eunuchum exhibuisse signa doloris & contritionis de peccatis admissis. Hic enim dolor requiritur ante baptismum, ut quis sit capax remissionis illorum & justificationis. Ita S. August. lib. de fide & oper. c. 8. & 9.

V. 39. *Cùm autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus.* P. Cornel. Sicut rapuit subitóque ex Judæa in Babylonem transtulit Habacuc, sic hìc subito ex via Gazensi transtulit Philippum in Azotum, quæ à Gaza distat 40. milliaribus. ita S. Chrysost. & alii.

Actor. 9. describitur conver- 224.
sio S. Pauli Apostoli v. 1. *Saulus* Conversio
(dictus à Saul primo Rege suæ Pauli. Actor.
tribûs Beniamin P. Cornel.) 9.
autem adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini accessit ad Principem Sacerdotum V. 2. *Et petiit ab eò Epistolas in Damascum ad Synagogas* (notat hìc ardorem Pauli P. Cornel. quo grassatus

est

est in fideles Hierosolymæ, in eosque furorem suum extendit usque Damascum) *ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem*) ergo multos secum adducebat comites vel milites vel satellites) V. 3. *Et cum iter faceret, contigit, ut appropinquaret Damasco: & subito circumfulsit eum lux de cælo* (auget miraculum tempus, lucísque magnitudo, nam in meridie hoc contigit, ait P. Cornel. cùm sol est lucidissimus, ac proinde lux hæc suo splendore vicit fulgorem solis, fuit ergo hæc lux instar fulguris & corruscationis) V. 4. *Et cadens in terram* (nonnulli censent Paulum peditem venisse, sed communis opinio est, eum fuisse equitem, & ex equo cecidisse, tum quia longum faciebat iter, scilicet 5. v. 6. dierum à Jerusalem Damascum, tum quia veniebat quasi prætor stipatus satellitibus. ita Sanchez Lorinus & alii) *audivit vocem,* (Hebraica lingua ut refert Paulus Actor. 26. 14.) *dicentem sibi Saule Saule quid me persequeris?* geminatio hæc. Saule Saule, index est tum alti somni, quo in peccato suo dormiebat Saulus, tum ingentis amoris & commiserationis) V. 5. *qui dixit: quis es domine? Et ille: Ego sum JEsus, quem tu persequeris*) in membris corporis Ecclesiæ) *durum est tibi contra stimulum calcitrare* (P. Cornel. innuit, Christus Paulum hactenus, contra se, quasi stimulum, instar cervicosi bovis, calcitrâsse, stimulis enim miraculorum sanctitatis & disputationum S. Stephani, ac adhortationum S. Barnabæ, crebro Christus pupugerat mentem Sauli) *& tremens ac stupens dixit: Domine quid me vis facere?* sunt verba, quæ animi plenè compuncti, humilis, resignati, devoti, unde S. August. serm. 14. de Sanct. jam parat se ad obediendum, qui prius sæviebat ad persequendum, jam formatur ex persecutore Prædicator, ex lupo ovis, ex hoste miles. S. Bernard. serm. 1. de conver. S. Pauli. Hæc planè fratres, perfectæ conversionis est forma, paratum, inquit, cor meum DEus, paratum cor meum: *Domine quid me vis facere?* V. 7. *Et Dominus ad eum: surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oportet facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* V. 8. *Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum*) aliqui putant, per To: *nihil videbat.* Quod non viderit Christum ampliùs. Verùm illum nihil vidisse & cæcum fuisse, patet ex eo, quòd à comitibus in urbem trahi debuerit. En trahitur quasi captivus Christi, qui Christianos tracturus venerat ad carceres, ait S.

Chrysost. (v. 9. *Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducavit, neque bibit.* v. 10. *Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias, & dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine.* v. 11. *Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur rectus: & quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat.* v. 12. *Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem & imponentem sibi manus, ut visum recipiat*) Notandum, iste versus 12mus Bibliis Romanis & Græcis parenthesi includitur, continet enim verba non Christi loquentis ad Ananiam, sed Lucæ historici ea referentis q. d. eo tempore, quo Ananias à DEo missus est ad Saulum, ipse Saulus orans per visionem non corporalem (erat enim cæcus) sed imaginariam vidit Ananiam ad se venientem, seque curantem, idque ad hoc, ut mox veniente Anania ex ejus voce & specie, quam in visione viderat ab eo illuminatus, eum agnosceret & reciperet, quasi à DEo ad se missum. ita P. Cornel.

S. Paulus cur vas electionis.

à Lap. hic v. 13. *Respondit autem Ananias: Domine, audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem.* v. 15. *Vade, quoniam vas electionis, est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus & filiis Israel.* P. Cornel. Vas electionis, id est, instrumentum singulariter electum, Hebræi enim vas vocant quodlibet instrumentum, sic vasa belli. Gen. 49. 5. sunt arma & armati. Vasa mortis Ps. 7. 14. sunt gladii & tela.

Quæres. Cur Paulus vocatur vas, id est, instrumentum electum. Resp. 1. Quia DEus illum ex tot millibus hominum ad evangelizandum elegit. 2. vas electum, id est, sanctum fuit Paulus, quia virginitatem virgineumque animum, jugiter in corpore illibato, quasi in vase sancto conservavit. 3. Vas electionis, quia strenuè & ardenter vocationi & electioni divinæ cooperatus est juxta illud: *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.* 1. Cor. 15. 10. merito S. Chrysost. Homil. 18. in cap. 18. ad Roman. hoc vas cœlo comparat & anteponit. Cœlum namque licèt tanto tempore sit visum non tamen admodum permovit. Paulus verò exiguo concionatus tempore totum orbem attraxit.

Postquam imposuit auSlõ manus Ananias, v. 18. *Confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est.* P. Cornel. licèt enim jam ante, cùm diceret: *Domine, quid me vis facere?* per contritionem ei dimissa essent peccata, tamen hæc contritio includebat votum & obligationem Baptismi, qua proinde hic se exsolvit Paulus.

Quæres. Quo anno conversus. Respondent aliqui, conversum proximò anno à Passione Christi scilicet A. D. 35to. die 25. Januarii, alii putant anno secundo à Passione Domini, scilicet 36. ita Sanchez, Lorin. Baron.

S. Petrus Tabytham suscitat.

Iidem Actor. 9. describitur quomodo S. Setrus, Æneam ab annis octo jacentem in grabato, qui erat Saraliticus, sanavit: ac mulierem, quæ vocabatur Tabitha sive Dorcas, mortuam, de qua dicitur v. 36. *Hæc erat plena operibus bonis & eleemosynis, quas faciebat*, præmissa oratione suscitavit. v. 41. *dans autem illi manum, erexit eam.* Moraliter Arator: Illa manus meruit Setri contingere dexteram, pauperibus, quæ longa fuit.



CAPUT

Caput sextum.

Cornelio Centurioni Angelus apparet. Linteum Petro è cælo demittitur plenum animalibus. Cornelii conversio. Christianum nomen primo exortum Antiochiæ. S. Jacobi majoris martyrium. Petri è carcere per Angelum liberatio. Herodes ab Angelo percussus.

225\. Cornelio centurioni Angelus apparet. Actor. 10.

ACtorum 10. Cornelius centurio erat in Cæsarea puta Palestinæ, qui videtur fuisse Italus & Romanus, Romæ enim illustres celebresque fuêre Cornelii. v. 2. *Religiosus, ac timens DEum cum omni domo sua faciens eleemosynas multas.* v. 3. *Is vidit in visu manifestè, quasi hora diei 9na, Angelum DEi introeuntem ad se, qui dixit illi.* v. 4. *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu DEi.* v. 5. *Et tunc mitte viros in Joppen, & accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus* præstitit id Cornelius, interim viris illis missis iter agentibus. v. 9. *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam.* v. 10. *Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis cecidit super eum mentis excessus.* v. 11. *Et vidit cælum apertum* (P. Cornel. vidit. Scilicet in mentis excessu, unde sequitur hanc visionem non fuisse oculorum sed imaginationis & mentis) *& descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis* (4. angulis) *submitti de cælo in terram.* v. 12. *in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ & volatilia cæli.*

Linteum Petri Ecclesiam adumbrat.

Quid significetur per hoc linteum ad literam, varii sunt sensus apud P. Cornel. hic. Aptissimè S. Augustin. Beda & alii, accipiunt Ecclesiam Christi, hæc enim est quasi vas lineum, id est, purum, propter incorruptibilem veritatem & fidem. De cœlo demittitur, quia ipsa est civitas sancta descendens de cœlo. 4. anguli sunt 4. Evangelia. In eo sunt immundæ & feræ Bestiæ, id est, quævis gentes, quæ prius erant ferinis & turpibus moribus.

Religionem.

Tropologicè multi per hoc vas accipiunt statum Religionis, qui constat lino, id est, maceratione carnis & mortificatione. Linum enim variè maceratur, contunditur &c. Animalia immunda sunt peccatores, qui, ut peccata in sæculo admissa expient, pænitentiæ causa se mancipant Religioni. Ita Glossa. Hæc animalia in Linteo, significabant Gentes immundas, volatilia denotabant superbos, serpentia invidos, & iracundos, quadrupedia gulosos & lubricos. v. 13. *Et facta est vox* (imaginaria & mentalis) *ad eum: surge Petre, occide & manduca.* v. 14. *Ait autem Petrus: absit Domine, quia nunquam manducavi omne commune* (id est immundum & prophanum, ut legit S. Cyrillus l. 9. contra Julian) *Et immundum. Et vox iterum secundò ad eum, quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.*

Cogitante Petro de visione interim supervenerunt viri à Cornelio missi, quorum petitioni annuens Petrus ad Cornelium iter suscepit. v. 25. *Et factum est cùm introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes ejus adoravit.* v. 26. *Petrus autem elevavit eum, dicens: surge, & ego ipse homo sum.* v. 27. *Et loquens cum illo intravit & invenit multos, qui convenerant. Enarravit deinde Cornelius suam visionem.* v. 34. *Aperines autem Petrus os suum dixit: in veritate comperi, quia non est Personarum acceptor DEus.* (P. Cornel. hoc est, paratus est omnes in Christum credentes recipere, sive Gentiles sint sive Judæi: *Sed in omni Gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est ei.* Exposuitque deinde Petrus audientibus mysteria fidei, Gesta Christi. v. 44. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus S. super omnes, qui audiebant verbum.* P. Cornel. visibili specie, scilicet, in igneis linguis incumbens capiti Cornelii & Domesticorum ejus.

Cornelii conversio.

v. 47. *Tunc respondit Petrus,* (P. Cornel. id est, cœpit dicere, nam respondere in scriptura est ordiri sermonem, etiamsi nulla præcesserit interrogatio) *numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum S. acceperunt, sicut nos? Et jussit eos baptizari, in nomine Domini JESU Christi.* P. Cornel. jussit baptizari à suis Comitibus, Apostolorum enim erat Evangelizare, minorum sacerdotum baptizare, ut docet Paulus 1. Cor. 17. Cornelium hunc post Zachæum, creatum esse Episcopum Cæsareensem testatur Martyrol. Rom. Ad hæc Cornelii Domum conversam esse in Ecclesiam eámque adhuc extitisse tempore S. Hieronymi. docet ipse Epist. 27.

Miles Sanctis.

Actorum. 11.

Actor. 11. expostulabant Judæo Christiani cum S. Petro, quòd Cornelium Gentilem induxerit in Ecclesiam, sed Petrus narrando suam de Linteo & Cornelii de Angelo visionem, eis satisfecit. Erat quóque incrementum fidei Antiochiæ, quo missus fuit Barnabas ubi ille v. 2. 3. hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino. Hìc moraliter disce, quantum donum ex parte Dei & quanta virtus

Perseverentia utilissima virtus.

ex parte hominis ſit perſeverantia, S. Hieronym. Ep. 10. non quæruntur in Chriſtianis initia ſed finis. Paulus malè cœpit, ſed benè finivit. Judæ laudantur exordia, ſed exitus proditione damnatur, hinc inter virtutes Sola perſeverantia coronatur. Nam *qui perſeveraverit uſque ad finem, hic Salvus erit.* Ait æterna veritas, Matth. 10. Seneca. Turpe eſt cedere oneri, & luctari cum officio, quod ſemel ſuſcepiſti, non eſt vir fortis ac ſtrenuus, qui laborem fugit, nec creſcit illi animus, ipſa rerum difficultate.

226. v. 25. *Profectus eſt autem Barnabas Tarſum, ut quæreret Saulum: quem cùm inveniſſet, perduxit Antiochiam. Et annum totum converſati ſunt ibi in Eccleſia: & docuerunt turbam multam, ita, ut cognominarentur primum Antiochia Diſcipuli, Chriſtiani.* Hic notanda ex Nazianzeno Chriſtiani partim officia, partim elogia. Orat. 20. non Perſonarum dignitate, ſed fide, Chriſtianiſmus inſignitur. In præceptis ad virgines: Chriſticolis animus, circum præcordia major exilit, infeſtus quoties movet arma Tyrannus. In Beatitudine & ſpiritualis vitæ regulis felix, qui Chriſtum fortunis omnibus emit. Cunctorúmque crucem, quam gerit, inſtar habet. Orat. 3. Chriſtianis jucundius eſt pietatis cauſa pati, etiamſi id nemo reſciturus ſit, quàm aliis cum impietate florere atque in gloria verſari.

Chriſtianorum nomen primo exortum.

v. 27. *In his autem diebus ſupervenerunt ab Hieroſolymis Prophetæ Antiochiam.* v. 28. *Et ſurgens ex eis unus nomine Agabus, ſignificabat per Spiritum famem magnam futuram in univerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio.* v. 29. *Diſcipuli autem, prout quis habebat, propoſuerunt ſinguli in Miniſterium mittere Habitantibus in Judæa fratribus.* v. 30. *Quod & fecerunt mittentes ad Seniores per manus Barnabæ & Sauli.*

Charitas Chriſtianorum ſe mutuo juvantium Actor. 11.

Actorum 12. Deſcribitur S. Jacobi Martyrium, juſſu Herodis Agrippæ eidem inflictum. S. Petri incarceratio, ac per Angelum è carcere liberatio. Tandem Herodis, qui à populo acclamatus fuit Deus, ab Angelo percuſſio.

Actor. 12.

v. 2. *Occidit autem* (Herodes) *Jacobum Fratrem Joannis gladio.* Iſte Herodes Agrippa nepos fuit Herodis Aſcalonitæ infanticidæ Filius Ariſtobuli Filii Herodis infanticidæ. Cur Jacobum præ cæteris Apoſtolis occidit; 1. quia hic Jacobus Major, erat unus de Primariis tribus Apoſtolis adeóque è Columnis Eccleſiæ. 2. quia hic Jacobus, quaſi Bonaerges, id eſt, Filius tonitrui, in prædicatione Evangelii erat igneus quaſi fulmen. Hic S. Jacobus vadens ad mortem, ſuum accuſatorem nomine Joſiam, ſua conſtantia & ſanctitate ita obſtupefecit, ut eum ad Chriſtum converterit, Martyremque effecerit.

S. Jacobi majoris mors & encomia.

Prima S. Jacobi laus, quòd Primus omnium Apoſtolorum Martyrium generoſè obierit. 2. quod cognatus fuerit Chriſti, ex Patre Zebedæo & matre Maria Salome. 3. quod Hiſpaniam à Mauris liberarit viſibiliter præſens aciem Ramiri Regis. Anno Chr. 834.

S. Petrus è carcere liberatur.

v. 5. *Et Petrus quidem ſervabatur in carcere. Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad DEum pro eo.* v. 6. *Cùm autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus domiens inter duos milites, vinctus catenis duabus.* Notat hìc P. Cornel. *Cùm autem producturus.* Deum ſinere Petrum & fideles adigi ad extrema, ut probet eorum in ſe confidentiam, quocirca de ejus ope nunquam deſperandum, imò quò magis creſcunt pericula & afflictones, eò magis augenda ſpes in DEum, ipſe enim promiſit Pſ. 90. 15. *Cum ipſo ſum in tribulatione. Vinctus catenus duabus.* Eccleſia & fideles has catenas honorat, celebrando feſtum vinculorum S. Petri, cujus occaſionem dedit Eudoxia, Uxor Theodoſii Junioris, quæ Hieroſolymâ voti cauſa profecta ibidem à Juvenale Patriarcha accepit duas haſce catenas, harum unam, dum Eudoxia Auguſta Pontifici Romano oſtenderet, Pontifex viciſſim ei Neronianam catenam, quâ itidem vinctus fuit S. Petrus, oſtendit, quam cum inter ſe conferunt, illicò una altera coaluit. Solebat olim limatura catenarum S. Petri pro ingenti dono ad Reges & Principes à Romanis Pontificibus mitti.

S. Petri vincula.

v. 7. *Et ecce Angelus Domini aſtitit: & lumen refulſit in habitaculo: percuſſóque latere Petri exitavit eum dicens: ſurge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus.* v. 8. *Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere & calcea te caligas tuas* (caligæ ſunt genus calceamenti pedum ſeu ſandalia, ùt probat P. Cornel.) *Et fecit ſic. Et dixit illi: circumda tibi veſtimentum tuum & ſequere me.* v. 9. *Et exiens ſequebatur eum, & neſciebat, quia verum eſt, quod fiebat per angelum: exiſtimabat autem ſe viſum videre.* Notat P. Cornel. Nonnulli probabiliter opinantur hunc Angelum fuiſſe S. Michaelem, ille enim eſt Præſes Eccleſiæ. *Percuſſo latere Petri*, quia altè dormiebat, ait S. Chryſoſt. quod ſignum erat animi ſecuri & intrepidi, utpote in Dei providentiam reſignati.

S. Petrum Angelus exitat. Actor. 12.

v. 10. *Tranſeuntes autem primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultro aperta eſt eis.* Angelo occulte ſeris reductis il-

jam aperiente. Festivè Arator:
Terrea quid mirum si cedunt ostia Petro,
Quem DEus æthereæ Custodem deputat aulæ,
Infernum superare jubet.

V. 21. *Statuto autem die Herodes vestitus veste Regia sedit pro Tribunali & concionabatur ad eos* (Tyrios & Sydonios) *Populus autem acclamabat: Dei voces & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini,* (P. Cornel. hunc Angelum putat esse bonum, Lorinus malum Dæmonem) *Eo quod non dedisset honorem Deo: Et consumptus à vermibus expiravit. Verbum autem Domini crescebat & multiplicabatur.* P. Cornel. Hæc Herodis Agrippæ vestis ex argento erat mirabili opere contexta, ait Joseph, quæ radiis solis percussa Divinum fulgorem emittebat. Gestabat ergo purpuram, coronam auream in capite &c. quare modum & modestiam vestitus excessit superbus Herodes, ansamque dedit Tyriis & Sydoniis supplicibus adulantibus, ei acclamandi, dandique Divinos Honores. ita Isidor. Pelusiota. l. 1. Ep. 74. acclamatio hæc orta à Tyris & Sydoniis, qui gratiam Regis aucupabantur, proserpsit ad reliquum Cœsariensium populum: vide hic quantum malum sit adulatio, quæ ex Rege facit DEum, ideóque ex homine cadaver. Frequens hoc malum in aulis Principum; unde aulator est adulator.

Adulatio perdidit Herodem.

Percussit eum Angelus. Id est plaga lethali illum feriit, plaga hæc fuit dolor viscerum & tormina, ait Josephus, item corporis putrefactio & fætor, inde enim vermes ebullierunt, sic Avus ejus Herodes Ascolonita infanticida à pediculis consumptus, interiit. Sic Lucifer ambiens Divinos honores, factus est teterrimus cacodæmon. Sic Alexander magnus occisus est à suis, quod vellet ab eis adorari ut DEus, uti Hermolaus quidam è conjuratis & exprobrat apud Curt. l. 8.

Nota. Peccavit Herodes tacendo, sic enim tacitè assensus est blasphemiæ acclamationi, debebat enim Dei honorem tutari, ideóque eum à se amoliri, populúmque graviter reprehendere.

Verbum autem Domini crescebat. q. d. Persecutione Herodis Agrippæ adeò non decrevit, ut vehementer creverit Christianorum numerus & virtus, præsertim ubi viderunt Persecutorem à Deo punitum, & à vermibus consumptum.

Præclare Tertull. Aologet. c. ulti. Plures efficimur, quoties metimur à vobis, semen est sanguis Christianorum.

Caput

Caput septimum.

Paulus & Barnabas Evangelizant. S. Paulus Convertit Proconsulem, à quo nomen accepit. Paulus & Barnabas Divinos honores recusant. S. Paulus circumcidit Timotheum. Athenis in Aareopago prædicat, multos convertit, inter quos S. Dionysium Areopagitam, qui fuit Primus senator, deinde Episcopus Athenien. ac Apostolus Galliarum.

227. Paulus & Barnabas Evangelizant. Act. 13.

ACtor. 13. Saulus & Barnabas, jussu Spiritus Sancti, missi fuerunt, ut evangelizarent Gentibus, unde in Cypro Paulus, convertit Sergium Paulum Proconsulem, & Elymam magum excæcavit. Inde Antiochiæ Pisidiæ in Synagoga concionatus est Paulus, sed per Judæos expulsus, excusso pulvere pedum, cum Barnaba perrexit Iconium.

V. 1. *Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores* (Prophetæ propriè dicti, Spiritus S. enim in Ecclesiæ primordiis, inter alia charismata, dabat donum prophetiæ) *inter quos Barnabas & Simon & Saulus, ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus S. Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos, tunc jejunantes & orantes, imponentésque eis manus, dimiserunt illos.*

Quæritur. An hæc impositio manuum fuerit sacramentum ordinis, puta consecratio in Præsbyteros vel Episcopos. Negant Arias, Cajetan. verùm melius alii affirmant, ait P. Cornel. dicúntque Saulum & Barnabam hic ordinatos est Episcopos. Nam planè verisimile est, eos jam antè ordinatos fuisse Præsbyteros, jam enim per annum Antiochiæ turbam multam docuerant, puta Antiochiæ ad Orontem, quæ erat Metropolis Syriæ, unde antonomasticè vocatur Anthiochia, cœteræ cum addito ut Antiochia Pisidiæ. &c.

Antiochiæ variæ.

Dices: Quis hic Apostolus & Episcopus eos ordinavit? Respondet Lyranus, Antiochiæ fuisse Episcopos ab Apostolis or-

ordinatos, qui eos ordinaverunt.

S. Paulus convertit Proconſulem ab eoque nomen accipit.

Cùm Paulus Elymam magum reſiſtentem ſibi excœcaſſet. v. 12. *Tunc Proconſul cùm vidiſſet factum, credidit admirans ſuper doctrinam Domini.* P. Cornel. Proconſul erat quaſi vicarius Conſulis. Proconſules quoque Romæ vocabantur Exconſules. Porrò hic Proconſul quaſi illuſtres primitiæ Spoliorum Pauli è gentibus, S. Paulo nomen ſuum dedit, ut pro Saulo vocaretur Paulus, fuit enim à Paulo creatus Epiſcopus, ac ſpiritu Apoſtolico claruit, ideóque inter Sanctos relatus eſt.

Lucius ad An. Chr. 76. ait, iſtum Sergium Paulum in multis Hiſpaniæ Urbibus prædicaſſe, rurſum eum factum eſſe Epiſcopum Narboniæ in Gallia docet Prudentius Steph. hymn. 4. Surget & Paulo ſpecioſa Narbo.

v. 45. *Videntes autem turbas Judæi* (quibus prædicabant Barnabas & Paulus Antiochiæ piſidiæ) *repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blaſphemantes, tunc conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt: vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes: Sic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem Gentium, ut ſis in Salutem uſque ad extremum terræ. Audientes autem Gentes gaviſæ ſunt & glorificabant verbum Domini: & crediderunt, quotquot erant, præordinati ad vitam æternam.* P. Cornel. præordinati, id eſt, ordinati & diſpoſiti, veluti milites in acie & ordine ſuo, ut videlicet eo tempore ponerentur in ordine & via ad vitam æternam.

Mulieres ſive in bonum ſive in malum multa poſſunt.

v. 50. *Judæi autem concitaverunt mulieres religioſas & honeſtas & Primos civitatis, & excitaverunt perſecutionem in Paulum & Barnabam: & ejecerunt eos de finibus ſuis.* P. Cornel. mulieres religioſas, puta zeloſas pro Gentiliſmo vel Judaiſmo, id eſt, ſuperſtitioſas, quæ à Gentilibus & Judæis religioſæ videbantur & vocabantur, mulieres enim ſunt blandiloquæ, pertinaces illices, zeloſæ, pro ſua fide vel perfidia, in pietatem vel pietatis ſpeciem pronæ, unde Evangelium valde vel promovere, ſi ei credant, vel impedire, ſi non credant, poſſunt, ut hic Paulum impedierunt, imò expulerunt, quocirca S. Hieronym. ad Creſiphontem Tom. 4. docet, omnes Hæreſes propagatas eſſe per mulieres.

v. 51. *At illi* (Paulus & Barnacas) *excuſſo pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. Diſcipuli quoque replebantur gaudio & Spiritu ſancto.* P. Cornel. juſſerat Chriſtus Apoſtolis, ut excuterent pulverem pedum apud eos, qui Evangelium admittere nollent,

Pulveris pedum excuſſio quid ſignificet.

Matth.

Matth 10. 14. idque primò in ſignum contempti ab eis Evangelii. 2. ut ſignificarent ſe fruſtra pro iis tantum iter, tot moleſtias & fatigationes ſuſcepiſſe. 3. ut nihil è terra hominum impiorum quaſi maledicta ſecum efferrent, néque in ullo cum illis participarent. 4. ut hic pulvis in aërem excuſſus, quaſi in cælum vindictam clamet, ac in die Judicii contra infideles, quaſi teſtis & accuſator conſurgat.

Paulus & Barnabas divinos honores refutant. Actor. 14.

Actor. 14. Paulus & Barnabas Iconii multos convertunt, inde pulſi à Judæis fugiunt Lyſtram, ubi ſanantes Claudum, honores Divinos Jovis & Mercurii ſibi delatos refutant, hìc opera Judæorum lapidatus Paulus, reſtitutis tamen viribus fugit cum Barnaba Derben, ac tandem relegentes ſuum iter, confirmatis fidelibus, ordinatíſque Præsbyteris, redeunt Antiochiam.

S. Thecla converſa

v. 1. *Factum eſt Iconii --- & loquerentur, ita, ut crederet Judæorum & Græcorum copioſa multitudo.* Inter Græcos hìc converſos illuſtriſſima fuit S. Thecla, miris laudibus à patribus celebrata, de qua S. Nazian. in Præcept. ad virg. Quis Theclam eripuit necis flammæque periculo. Qui validos ungues vinxit rabiémque ferarum? virginitas. ô res omni mirabilis ævo, virginitas fulvos poſuit ſopire Leones. quocirca ab Iſidoro peluſiota Epiſt. ad Tharaſium. Thecla vocatur Protomartyr, eò quòd inter fæminas prima in Theatrum deſcenderit, impietatem per tormenta proſtraverit & triumphum fidei ac virginitatis egerit.

De illa Baſilius, haud quaquam vitâ defuncta eſt, ſed viva ſubſidens in teram ingreſſa, quæ Deo ita volente, in ejus gratiam diſceſſit. Eadem habent Metaphraſtes & alii P. Cornel. non quod S. Thecla non ſit mortua, ſed quod inſtar S. Joannis, in Locum ſubterraneum, ſibi à Deo deſtinatum, deſcendens, ibi animam virgineam, uni Chriſto dicatam debitámque reddiderit.

S. Paulus Claudum. ſanat. Act 14.

v. 7. *Quidam vir Lyſtris infirmus pedibus ſedebat, claudus ex utero matris ſuæ, qui nunquam ambulaverat.* v. 8. *Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum & videns, quia fidem haberet, ut Salvus fieret.* v. 9. *Dixit magna voce: ſurge ſuper pedes tuos rectus. Et exilivit, & ambulabat.* v. 10. *Turbæ autem cùm vidiſſent, quod fecerat Paulus, levaverunt vocem ſuam Lycaonicè dicentes: Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos.* v. 11. *Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipſe erat Dux verbi.* v. 12. *Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante Civitatem, tauros & coronas ante Januas afferens, cum populis volebat*

ſa-

sacrificare. v. 13. *Quod ubi audierunt Apostoli Barnabas & Paulus conscissis tunicis suis exilierunt in turbas clamantes* v. 14. *Et dicentes: Viri quid hæc fecitis? & nos mortales sumus similes vobis homines &c.*

S. Paulus fuit Staturæ exiguæ.

P. Cornel. hic: vocabant Barnabam Jovem. 1. quia Barnabas staturâ & fortè ætate erat grandior, ait Lyranus, Paulus verò parvo contracto & incurvo corpore, unde de eo ait S. Chrysosto. Tricubitalis est & cælos transcendit. 2. ait Chrysost. quia Barnabas vultu erat pulchro & Joviali. 3. quia Barnabas sua specie & gravitate, silens assistebat Paulo, eique quasi nuntio & Præconi suo, annuebat, uti Jupiter annuere censebatur Mercurio. Paulus verò dicebatur Mercurius. 1mo. Quia non tantùm Barnabæ erat interpres sed & Dux verbi, facundiâ enim præcellebat Barnabam 2. Quia in tertium cælum raptus, cælestis videbatur Orator & nuntius è cælo ad homines missus.

Dixerunt Apostoli v. 14. *Mortales sumus* q. d. Sumus homines mortales, non Dii immortales. Hinc mortaliter disce, contra superbiam efficax remedium esse memoriam & meditationem Mortis. ita Salomon in omni gloria suâ dicebat. Sapient. 7. 1. *Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus.*

Mortalitatis memoria fastum deprimitur.

228. Actorum 15. Antiochiæ orta quæstio, an Gentiles Christiani deberent circumcidi & servare Legem Moysis. Ad eam solvendam missus fuit Hierosolymam ad Apostolos, Paulus & Barnabas quare Apostoli, primum Hierosolymis coegerunt Concilium, in quo responderunt & definierunt Christianos non obligari lege Moysis, retulerúntque Responsum hoc Antiochiam Paulus & Barnabas, qui paulo post separati, Paulo assumente Silam, Barnaba Joannem Marcum, perrexerunt Evangelizare Gentibus.

Circa circumcisionem definitio. Actor. 15.

Actor. 16. Paulus ob Judæos circumcidit Timotheum, eumque socium suæ prædicationis assumpsit in Asia & Bithynia, ac per visionem Macedonis invitantis, evocatus in Macedoniam, Philippis ergo convertit Lydiam purpurariam, dæmonémque è puella ejecit, quare virgis cæsus, cum Sila noctu orans & laudans Deum, terræ motum excitavit, quô Ostia carceris aperta, his visis custos carceris conversus, Paulúsque à magistratu liber cum honore dimissus.

Paulus circumcidit Timotheum, Act. 16.

v. 3. *Circumcidit eum* (Timotheum) *propter Judæos.* P. Cornel. sponte id fecit Paulus, nè quod illi negotium facesserent Judæi, eò quòd Timotheum Gentilem asciviſſet in socium, utque eos demereretur, faciliúsque ad Christum traduceret. Legalia enim erant mortua sed necdum mortifera. Titum verò æque Gentilem, Paulus non est passus circumcidi, quia Judæi eum ad id volebant compellere, ne videretur eorum sententiæ falsæ subscribere, quâ docebant circumcisionem esse necessariam ad salutem. Laudat discretionem S. Pauli S. Gregor. 28. Moral. c. 6. v. 12. Plerúmque enim virtus, cùm indiscretè tenetur, amittitur, cùm discretè intermittitur, retinetur.

Discretio virtus specialis.

v. 9. *Et visio per noctem Paulo ostensa est, vir Macedo quidam erat stans & deprecans eum & dicens: Transiens in macedoniam adjuva nos.* P. Cornel. Hæc ergo visio fuit somnium à Deo Paulo immissum per Angelum. Angelus enim in imaginatione Pauli formavit & pinxit virum, habitu Macedonico, ejusque vocem, ut videretur Macedonicè loqui & dicere: transiens in Macedoniam adjuva nos. vel certè ipse Angelus viri Macedonis speciem & vocem assumpsit. Videtúrque hic Angelus fuisse Tutelaris & Præses Macedoniæ. Simili visione S. Franciscus Xaverius cognovit se vocari in Indiam. Visus est enim sibimet sæpè per quietem humeris Indum aliquamdiu vectare adeò gravem, ut ipso pondere excitaretur è Somno.

S. Paulo in visu Macedo invitans ostenditur. Act. 16.

v. 26. *Subitò verò terræ motus factus est magnus:* Ut eo ostenderet DEus, se preces Pauli & Silæ exaudisse, eorúmque curam agere seque eos è carcere liberaturum.

Dum vellet Magistratus, agnoscens suum errorem, privatim è carcere dimittere Paulum & Silam. dixit S. Paul. v. 37. *Paulus autem dixit eis: Cæsos nos publicè, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occultè nos ejiciunt.* P. Cornel. in Pandectis lege 5. Tit. 26. de lege Julia de vi publica, damnatur, qui civem Romanum, ante ad populum, nunc ad Imperatorem appellantem, necarit, torserit, verberarit, in vincula duci jusserit. Exaggerat Cicero Act. 5. in Verrem, quod Gavium civem Romanum Verres flagellarit, nec ulla vox alia, inquit, istius miseri, inter dolorem crepitúmque plagarum audiebatur nisi hæc: *Civis Romanus sum.* Vide hic magnanimitatem Pauli, quâ carcere egredi non vult, nisi magistratus sententiam ferat de ejus innocentia, idque publicè.

Flagelatio quod probrosa apud Romanos.

Actorum 17. Philippis exiens Paulus contendit Thessalonicam, ubi multos convertit, sed Judæis eum persequentibus, abiit Baræam, inde Athenas, ubi ex Ara, *Ignoto Deo*, dicata, de-

S. Paulus Athenis in Areopago prædicat. Act. 17.

monſtrans hunc DEum eſſe Chriſtum, multos ad ejus fidem traduxit, ac inter eos Dionyſium Areopagitam.

Zelus diſcretus prudens.

V. 2. *Secundum conſuetudinem autem Paulus introivit ad eos* (Theſſalonicenſes) *& per Sabbata tria diſſerebat eis de ſcripturis.* P. Cornel. Notanda ſolertia & dexteritas Pauli, quâ artificioſè, quaſi aliud agens, Judæis invitis, Chriſtum inſinuat & prædicat. Idem faciendum eſt iis, qui venantur animas vitiis immerſas, & ſermonem omnem de virtute abhorrentes, ut primò de aliis rebus, quas illis gratas eſſe ſciunt, ſermonem faciant, deinde latenter ad virtutes & vitia deſcendant. Noſter fundator S. Ignatius hoc ſuis dabat axioma: *Ingredinimi cum eo, quod eſt illorum, ſed exite cum veſtro.*

V. 18. *Quidam autem Epicurei & Stoici Ppiloſophi diſſerebant cum eo,* (S. Paulo) *& quidam dicebant, Quid vult ſeminiverbius* (S. Auguſtinus legit ſeminator verborum) *hic dicere?*

Epicurus & Epicurei quid.

Epicurei ab Epicuro dicti, qui fuit Xenocratis Diſcipulus, puer 14. annorum Philoſophari incipiens in hortis, omne bonum & felicitatem hominis ponebat in voluptate; hinc negabat Numen & providentiam Dei, quocirca plurimos habebat Sectatores. Eſto enim à nonnullis frugalis eſſe dicatur, & parcus à pluribus, tamen voluptuarius nuncupabatur & parcus. Unde illud Horatii. *Epicuri de grege porcus.*

Stoici.

Stoici fuêre Ppiloſophi, dicti à porticu, in qua docere & diſſerere ſolebat Zeno, ſeveri & rigidi, ideóque Epicureis oppoſiti.

Voluptatis ſæculi vanitas.

Vanitatem voluptatis Epicureorum, pulchrè deſcribit Boetius l. 3. metro. 7. Habet omnis hoc voluptas. ubi grata mella fudit. Fugit, & nimis tenaci ferit icta corda, morſu.

Areopagus quid.

V. 19. *Et apprehenſum eum ad Areopagum duxerunt.* P. Cornel. Areopagus dictus à Templo Martis, in quo primum Judicium capitis actum fuiſſe ſcribit. Plin. l. 7. c. 56. hôc enim Areopagi Judicio, nihil erat conſtantius, nihil ſeverius, nihil fortius, ait Cic. hinc dicti ſunt Areopagitæ Judices ſeveriſſimi, qui in Templo vel juxta Templum Martis judicabant Athenis. Areopagitas itáque allocutus S. Paulus vocat: V. 22. quaſi ſuperſtitioſiores. P. Cornel. mitigat reprehenſionem, To. quaſi. & comparativus: *Superſtitioſiores*, magis enim pupugiſſet vocando eos in poſitivo: Superſtitioſos.

Superſtitio unde dicta.

Notandum. Illi, qui totos dies precabantur & immolabant, ut ſibi ſui Liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appelati. ait Cic. L. 2. de natu-

229.

ra Deor. Sic & Servius. Superſtitio à ſuperſtite dicta.

229.

Ignoti Dei athenienſibus notitiam Paulus proponit. Act. 17.

V. 23. *Præteriens enim & videns Simulacra veſtra, inveni & Aram in qua ſcriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.*

Quæres: Quis hic DEus ignotus? Variæ ſunt hac in re ſententiæ. Hugo, Lyranus & Sanchez, & alii cenſent, Ignotum DEum Athenis fuiſſe Chriſtum crucifixum. Cùm enim Eclipſim factam in morte & ob mortem Chriſti videret Dionyſius, exclamavit: DEus ignotus in carne patitur, ideóque mundus hic tenebris obſcuratur. Huic ergo Deo aram erexerunt Athenienſes. Probabilius Baronius, Lorinus & alii cenſent, Athenienſes à Philoſophis & Sybillis, fortè etiam à Judæis intellexiſſe DEum verum eſſe inviſibilem, abſconditum, ſublimem, ideóque illi Aram ſtatuiſſe hoc titulo: Ignoto Deo. Dices: Cur ergo eos vocat ſuperſtitioſos. Reſp. quod cum Deo ignoto colerent ſimulacra Gentium.

Moraliter diſce hìc Dei celſitudinem, quâ omnium hominum, Angelorúmque aciem ſuperat & tranſcendit 1. Tim. 6. V. 16. *Rex Regum & Dominus Dominantium: qui ſolus habet immortalitatem & Lucem inhabitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit, ſed nec vidère poteſt: cui Honor & imperium ſempiternum.*

Plura de Deo diſſeruit Apoſtolus, inter quæ Act. 17. V. 28. *In ipſo enim & vivimus, & movemur, & ſumus: ſicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: Ipſius enim & genus Sumus.* P. Cornel. Non quaſi in ipſa Dei ſubſtantia ſiti ſimus, ejúſque ſimus Pars, ut quidam ſtolidè imaginati ſunt. ait S. Cyrill. l. 9. in Joan. c. 20. ſed in ipſo, id eſt, per ipſum 2do. in ipſo. ſignificat DEum in manu ſua habere noſtram vitam, noſtrum eſſe, ac conſequenter noſtram gratiam & gloriam. *In manibus tuis Sortes meæ.* ait David Pſ. 30. 16. quàm ergo DEum ſemper præſentem in mente habere debemus, ut nihil eo indignum, quod ejus oculos offendat, agamus, velimus, cogitemus.

Ipſius enim & Genus ſumus. Sunt verba Arati in Phænomenis, qui Aratus fuit Poeta antiquus & celebris, Antiocho Regi in deliciis, Patria Solenſis, non longè à Tharſo, ac proinde Pauli penè concivis, cujus Hemiſtichium brevitatis cauſa tantùm citat Paulus.

Moraliter, exemplo Pauli, diſce, Ethnicorum ſententias Chriſtiano Contionatori rarò & ſobriè citandas eſſe, de quo multa P. Lorinus hìc. Gabr. Vaſquez & ex eo Sanchez. Ge-

nus sumunt non pro prole sed pro opere. q. d. sumus opus & creatura DEI. Verùm alii passim Genus accipiunt, pro progenie & sobole, sic Græci Poetæ, vocant Heroes, à Deo genitos, à Deo nutritos, & Divinos. Homo ergo est Genus Dei, quia creatus est ad imaginem & similitudinem Dei, quasi Dei proles & filius, qui proinde ab eo participat ejus essentiam præ cæteris creaturis. Longè excellentius & perfectius sumus Genus per Gratiam, quâ adoptamur in filios Dei, imò fimus Divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petr. 2. Ep. c. 2.4.

Unde S. Gregor. 20. Moral. c. 16. & Beda. Genus, inquiunt, sumus Dei, non quia de substantia Dei, pars vè illius, sed quia per spiritum illius, & voluntariè per adoptionem recreati.

Notandum. Veteres Philosophi & Poetæ ùt Orpheus in hymnis, Soran. Varro &c. docebant DEum creaturis esse Patrem & matrem nimirum esse matripatrem & patrimatrem; quia sicut homo à Patre & Matre accipit suum esse & bona omnia, sic multomagis eadem ipsa, & quælibet alia creatura accipit à Deo.

Moraliter disce, quanta sit nobilitas animæ, nimirum quod sit cælestis Divina Proles & propago Dei, ac proinde indignum esse, si illa ad brutas cupiditates se abjiciat.

v. 34. *Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt.* Miratur Arator, hanc Sophorum per Paulum conversionem, stubénsque exclamat. Conversio multorum Athenis pers. Paulum Act. 17.

ô Lupe Paule rapax, quid jam remanebit in Orbe
Quod non ore trahas, postquam sofertia Grata
Cessit, & indoctas in dogmate, vincis Athenas.

v. eodem 34. *In quibus & Dionysius Areopagita* Is fuit è Senatu Primarius. Hic ille qui sublimes Libros scripsit de Cælesti & Ecclesiastica Hierarchia, de Divinis nominibus &c. à Paulo creatus est Athenarum Episcopus, unde propter eum mirè floruit Ecclesia Atheniensis, ait Orig. l. 3. contra Celsum. Porro magna causa vel occasio conversionis S. Dionysii fuit visio Eclipsis Miraculosæ An. Chr. 34. dum Christus crucifigeretur, quam ipse vidit Heliopoli in Ægypto, uti ipse testatur Ep. 11. ad Polycarp. tunc enim stupens exclamavit: *Aut DEus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvitur.* Vel ut ait Suidas & Michael Syncellus. Deus Ignotus patitur in carne, ideòque Mundus hisce tenebris obscuratur & concutitur. Conversus S. Dionysius cùm Annum ageret 44. tum Hortatu S. Joannis Evangelistæ Dionysius profectus est Romam ad S. Clementem, à quo missus in Gallias cum Rustico & Eleutherio, post magnos multósque labores, quibus fidem propagavit & Ecclesiam Gallicanam fundavit, tandem nobili Martyrio coronatus est Parisiis sub An. Dni. 119. Uti tradit P. Cornel. à Lap. in Actor. cap. 17. v. 34. ex Baron. in Martyr. 9. Octobris. Qui demonstrat Dionysium Areopagitam eundem fuisse cum Episcopo Parisiensi, etsi ex Adone aliqui censeant esse diversum. S. Dionysius Areopagita conversus.

Caput octavum.

Paulus Scenofactoriam exercet. Ephesi prædicat. Turbas sustinet ratione Templi Dianæ. Pugna ejus cum bestiis. Celsicudo animi. Ad tumultuantem multitudinem compositus Sermo. Paulus Civis Romanus natus. Paulus Pontificem vocat parietem dealbatum. Pharisæos cum Sadducæis committit.

230. Actor. 18. ACtorum 18. Paulus Athenis perrexit Corinthum, ibi jussu Dei, Pollicentis multorum conversionem, prædicavit per sesqui annum, manensque apud Aquilam, Scenofactoriam artem exercuit, de quo. v. 3. *& quia ejusdem erat artis, manebat apud eos* (Aquilam & Priscillam) *& operabatur*, (*erant autem scenofactoriæ artis.*) Vide hìc generositatem Pauli, poterat alimoniam & stipendium prædicationis à Christianis exigere sed noluit, ut omnibus liqueret, eum non lucra sed animas venari. *Erant scenofactoriæ artis.* P. Cornel. puta Tabernaculorum factores. Syrus, Opifices conopæorum. Vatabl. & alii: Aulæorum. Quæ scilicet fiunt ex consutis pellibus, uti sunt Aulæa Turcica. Appositè Paulus fuit scenifex, utpote qui tota vita peregrinatus, omnes doceret hic vivere ut Peregrinos ac cives Sanctorum & Domesticos Dei. Post hæc Paulus prædicando peragravit Ephesum, Cæsaream, S. Paulus scenofactoriam exercet. Actor. 18.

 An-

Antiochiam, Galatiam & Phrygiam.

Paulus Ephesi prædicat & miracula patrat. Act. 19.

Actorum 19. Paulus redit Ephesum, ibi 12. circiter Discipulos Joannis baptizat & confirmat. In Synagoga 3. menses, mox in Schola Tyranni per biennium prædicat, & dicta sua miraculis confirmat, adeò, ut solis sudariis suis ægros sanet & dæmones pellat, quod dum imitari tentant Judæi, Scevæ Filii impetuntur à dæmone, quare multi magiam damnant, & magicos libros comburunt. Sub id tempus Demetrius Argentarius Dianæ, tumultum concitat contra Paulum, quem scriba sedat.

Dum intellexit D. Paulus, illos Joannis Discipulos, nonnisi Joannis Baptismate baptizatos dixit v. 4. *Joannes baptizavit Baptismo pœnitentiæ populum dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in JEsum; his auditis baptizati sunt in nomine Domini JEsu.* P. Cornel. hîc. Hinc colligunt S. Hieronym. in Joel c. 2. D. Thomas Magister sententiarum, hanc fuisse formam Baptismi Joannis.

Baptismi Joannis forma.

Ego te baptizo in eum, qui venturus est, ut credas, hoc est in JEsum Christum. Christum verò baptizans dixit: Ego te baptizo in nomine Tuo, qui venturus es. Ubi adverte, hanc formulam esse exhortatoriam, ideóque non propriè fuisse formam sacramenti, sed instar Formæ.

v. 9. De S. Paulo dicitur: *Disputans in Schola Tyranni cujusdam.* Syrus. Dionys. Arias. Censent Tyrannum esse nomen proprium viri sic appellati. Alii Tyranni nomen accipiunt ut appellativum pro Principe Primate aut viro Potente, unde & in Romanis Bibliis scribitur per t. miniscululum. Ita Lyran. Cajetan. & alii.

v. 11. *Virtutésque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores & spiritus nequam egrediebantur.* Semicinctia quidam putant esse idem cum sudariis, aut eorum speciem. Oecumenius sudaria censet fuisse vittas capitis, semicinctia verò Strophiola, quæ nos sudaria vocamus, quòd eis sudorem abstergamus. P. Cornelius censet per semicinctia intelligi breviora & strictiora cingula, seu zonas, sive semizonas, unde Isidorus. L. 19.

Cinctus est lata zona & minus lata. Semicinctium. Et utrísque minima. Cingulum.

v. 13. *Tentarunt autem quidam & de circumeuntibus Judæis exorcistis, invocare super eos, qui habebant Spiritus malos, nomen Domini JEsu dicentes: adjuro vos per JEsum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Judæi Scevæ Principis Sacerdotum 7. Filii, qui hoc faciebant. Respondens autem Spiritus nequam dixit eis: JEsum novi & Paulum scio: vos autem qui estis? & insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa.* P. Cornel. videntur hi Exorcistæ ex præsumptione voluisse imitari Paulum, in expellendis dæmonibus per nomen JEsu, ut inde sibi plausum & quæstum facerent apud populum. Unde S. Chrysost. & S. Cyprian. Serm. de bapt. Christi. Vocant eos quæstuarios.

Vanæ gloriæ pœna.

Dæmonis in Peccatores potestas.

Notandum. Testatur S. Dionys. Eccl. Hierar. c. 3. Christianos, cùm post baptismum, in peccatum aliquod mortale incidissent, vexari à dæmonibus consuevisse.

Turbæ contra Paulum Actor. 19.

V. 23. *Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini.* V. 24. *Demetrius enim quidam nomine, Argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum.* V. 25. *Quos convocans & eos, qui hujusmodi erant opifices, dixit: viri scitis, quia de hoc artificio est nobis acquisitio.* V. 26. *Et videtis & auditis, quia non solùm Ephesi, sed penè totius Asiæ, Paulus hic suadens avertit multam turbam dicens: quoniam non sunt Dii, qui manibus fiunt.*

Quænam sint hæ ædes argenteæ, varii sunt sensus. P. Cornelius dicit optimè, hæ ædes erant imagines sive simulacra Templi Dianæ, ita enim ejus Templum venerabantur, ut illud in imaginibus effingerent.

De Templo Dianæ audi Plin. l. 36. c. 14. magnificentiæ vera admiratio extat Templum Dianæ Ephesiæ, ducentis, alibi habet quadringentis viginti annis factum à tota Asia. Notat P. Cornel. à Lap. in cap. 19. Actor. multa & magna hîc & alibi omittit Lucas, nam tantùm itinera Pauli & capita rerum in iis gestarum summatim percenset.

Dianæ Templum quale.

Sic c. 9. omittit reprehensionem Petri & alia, quæ tamen recenset Paulus Galat. 1. & 2. sic 2. Corin. 11. 24. ait Paulus à *Judæis quinquies quadragenas una minus accepi*, de quibus Lucas ne verbum quidem. Cúmque Paulus ter se cæsum virgis dicat, de unica tantum flagellatione facta Philippis idem meminit. c. 16. de terno naufragio item, quo Paulus ait *se nocte & die in profundo maris fuisse*, nam naufragium quod c. 27. recenset, contigit post scriptam Epistolam ad Corinthios. Pari modo hic Ephesi omisit pugnam Pauli cum bestiis, de qua Paulus 1. Cor. 15. 32. ait. *Ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt.* Quanquam hanc pugnam

Pugna Pauli cum Bestiis.

nam cum bestiis nonnulli ùt Arias censent fuisse concertationem, quam habuit cum Judæis Ephesi, sed verius putat esse P. Cornel. Paulum Ephesi objectum fuisse Bestiis pugnareque cum Bestiis, idem esse quod objici Bestiis.

Actor. 20.

Actorum 20. Paulus Epheso discedens, per varias Asiæ & Græciæ urbes perrexit in Macedoniam, inde Trojadem, ubi Eutychum adolescentem, qui super fenestram sederat & somno ductus audiendo sermonem Pauli, ad mediam noctem protractum, ceciderat de tertio cænaculo (Syrus habet de tertia contignatione) & mortuus erat, incumbens super eum Paulus, suscitavit eundem à morte. Inde perrexit Miletum, ubi seniores Ephesios illuc vocatos allocutus, eisdem ultimò valedixit. In illo Sermone enarravit suam solicitudinem de salute populi. v. 31. *Per triennium nocte & die non cessavi cum lachrymis monens unumquemque vestrûm*, innuit labores istos se suscepisse non lucri gratia. v. 33. *Argentum & aurum aut vestem nullius concupivi.* Addit v. 35. *Beatius est magis dare quàm accipere.* P. Cornel. Beatiùs dare quàm accipere. Quia dare est regale & Divinum, accipere plebeium & humanum. Deus enim omnia dat & nihil accipit.

v. 36. *Et cum hæc dixisset* (Paulus) *positis genibus suis oravit cum omnibus illis.* v. 37. *Magnus autem fletus factus est omnium: & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum.* v. 38. *Dolentes maximè in verbo, quod dixerat: quoniam amplius faciem ejus non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.*

Notandum. Omnia, quæ hoc capite & deinceps narrat Lucas usque ad cap. 28. & ult. gesta sunt uno eodémque Anno. scilicet Christi, 58vo. Neronis 2do. Ait P. Cornel. ad initium hujus capitis.

231.

Celsitudo animi Pauli contemnentis vincula. Actor. 21.

Actorum 21. Paulus navigavit Coum Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaidem, Cæsaream, ubi Agabus Propheta ei vincula Hierosolymitana prædixit. v. 10. *Supervenit quidam à Judæa Propheta nomine Agabus*) Agabus Propheta hic est, qui sub Claudio Imperatore famem prædixit c. 11. 28.) v. 11. *Is cùm venisset ad nos, tulit zonam Pauli: & alligans sibi pedes & manus, dixit: Hæc dicit Spiritus S. Virum, cujus est zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Judæi, & tradent in manus gentium.* v. 12. *Quod cùm audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam.* v. 13. *Tunc respondit Paulus & dixit: Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini JEsu.*

JEsu. Perrexit nihilominus Hierosolymam intrepidus Paulus, ubi suadente Jacobo, purificans se in Templo, à Judæis captus & penè occisus, sed ereptus à Tribuno Romano, tumultum populi sedare volente, à quo mox potestate facta, allocutus est populum Paulus.

Quæres: Quænam fuit hæc Pauli purificatio. Vatablus & alii censent fuisse votum Nazaræatûs, quod tum vel inchoavit vel explevit Paulus. Nazaræatum verò suscipiebant, ut castigarent luxum præteritum & ab eo se purificarent. Nazaræatus enim vocatur purificatio & sanctificatio, quia Nazaræi erant puri à vino & sicera & consecrati Deo. Alii ut Sanchez planius & verisimilius putant purificationem propriè dictam, nimirum Paulum contactu mortui fuisse pollutum & ab hac immunditia legali se purificasse.

Quod post tantum tumultum ausus fuerit Paulus alloqui populum, miratur meritò. S. Chrysost. Pauli animum ingentem, quòd ad tumultuantem populum, tam compositam habuerit orationem. Causa, cur tantopere Hierosolymam festinavit Paulus, censetur esse à P. Cornel. ut ante obitum, abitúmque in Cælū B. Virginis eandē salutaret, eíque suas Ecclesias, suósque agones, quos subiturus erat, cōmendaret. An adfuerit morienti, varii sunt sensus. Porro pervenit Paulus Hierosolymam sub Pentecosten Anno Christi 58vo. Petri in Romana sede 14to. Quo pariter Anno B. Virgo Deipara Die 15ta Augusti ex Jerusalem terrestri, concessit ad Cælestem.

Hierosolymæ Paulus populum alloquitur & tumultu excipitur. Actor. 22.

Actorum 22. Paulus perorans ad populum, suam de Cælo vocationem, conversionem & missionem enarrat, silenterque auditus à populo, donec diceret se missum ad nationes, id est, ad gentes.

v. 21. *Et dixit ad me*, (Dominus) *vade: quoniam ego in nationes longè mittam te.* P. Cornel. offensi erant Judæi interpretantes hunc insignem esse sui contemptum, quod nimirum gentibus postponerentur, quodque Paulùs Messiæ gratiam Judæis promissam ab eis transferret ad gentes, ut illicò eum, quasi Judaismi transfugam & Messiæ proditorem, poposcerint ad necem.

Conciones tam diu gratæ, donec ulcus tangant.

Moraliter tales hodie multi sunt, qui tamdiu audiunt Concionatores, Superiores, Præceptores, Confessarios, quamdiu nihil contra illos dicunt, ubi verò vitia reprehendunt, ulcusque tangunt, illicò aures animúmque avertunt.

Hinc offenſus populus clamabat. v. 22. *Tolle de terra hujusmodi: non enim fas eſt eum vivere.* v. 23. *Vociferantibus autem eis & projicientibus veſtimenta ſua & pulverem jactantibus in aerem.* v. 24. *Juſſit Tribunus induci eum in caſtra & flagellis cædi.* Projiciebant veſtimenta & jactabant pulverem. 1. in ſignum excandeſcentiæ, in ſignum quod execrarentur verba Pauli, ita Lyran. 2. Ut ſignificarent Paulum turbatorem eſſe non tantùm terræ, ſed & aeris & cæli. 3. Ut extorquerent à Tribuno ſententiam damnationis.

V. 25. *Et cùm aſtrixiſſent eum loris; dixit aſtanti ſibi centurioni Paulus: Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare?* V. 26. *Quo audito Centurio acceſſit ad Tribunum & nuntiavit ei dicens: Quid acturus es? hic enim homo civis Romanus eſt.* V. 27. *Accedens autem Tribunus dixit illi: dic mihi, ſi tu Romanus es? at ille dixit: Etiam, & reſpondit Tribunus* V. 28. *Ego multa ſumma civilitatem hanc* (jus civitatis Romanæ) *conſecutus ſum. Et Paulus ait: Ego autem & natus ſum.*

Jura Civitatis Romanæ.

Nota ex P. Cornel. Jura & Privilegia civium Romanorum erant multa & magna, quæ recenſet Briſſonius L. 1. Antiq. Juris Civilis c. 13. 1mum erat, ex civium Romanorum Teſtamentis, ſoli cives capiebant, civiumque duntaxat Romæ rata habebantur Teſtamenta. 2. Inter ſolos cives Romæ juſtæ nuptiæ contrahebantur. 3. In Liberos habebant Jus Patriæ poteſtatis, hocque eis erat proprium. 4. Verberibus cædi cives aut in crucem agi, aut in juſſu populi, in eos animadverti, fas non erat. 5. In Legionibus non alii, quàm qui civitatem accepiſſent, militabant. 6. Solis civibus licebat honores Romæ gerere, ſuffragium ferre, & Toga uti, peregrinis enim fas non erat indui togâ, ſed pallio. Hinc etiam Regibus, quos amicos & ſocios appellabant, inter cætera Togam muneri mittebant, inde Togatæ Galliæ nomen, quam & ad honores aſpiraſſe & ſuffragiorum jus in urbe habuiſſe memorat Tacitus L. 11. Moraliter diſce, ſi tanti eſt, tantique emitur eſſe civem Romanum, quanti eſt eſſe civem cæli.

Cælum multo emendum.

Dixit ſe S. Paulus natum civem Romanum, non quod in urbe Romana natus eſſet, ſed ex Patre & Patria, civitate Romana donatis. Tarſus enim, ubi natus erat Paulus, hoc Privilegium & Jus civitatis Romanæ obtinuerat. Uti innuit Plin. L. 5. c. 27. Profeſſus eſt Paulus ſe eſſe civem Romanum, non quòd flagella pro Chriſto refugeret, qui in iis gloriabatur, ſed ne probrum hoc in Chriſti fidem & religionem derivaretur.

tur, quaſi Chriſtiani flagellandi & exterminandi eſſent. Rurſum Tribuno conſulebat, ne is hac iniquitate conſcientiam læderet. Liber itáque à plagis manſit Paulus, eum tamen poſtero die Tribunus ſolutum ſtatuit in Concilio Sacerdotum & Primorum, ut cauſam ſuam ageret.

232.

S. Paulus vocat Parietem dealbatum, Pontificem. Act. 23.

Actorum 23. Paulus in Concilio ſuam agere cauſam orſus jubetur à Pontifice Anania percuti, cui ille v. 3. *Percutiet te Deus Paries dealbate.* V. 4. *Et qui aſtabant dixerunt: Summum Sacerdotem Dei maledicis.* V. 5. *Dixit autem Paulus: Neſciebam Fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum.* Vocat parietem dealbatum, quod eſſet hypocrita, ita, ut nomine & ſtola Pontificia forinſecus niteret, intrinſecus luteis concupiſcentiis, livore & odio ſorderet, ait S. Auguſtin. Dixit hoc Paulus authoritate Apoſtolica ex zelo juſtitiæ, intentans, & prædicens, injuſto Judici juſtam Dei ultionem & plagam. Dixerunt Summum Sacerdotem maledicis, id eſt, conviciaris. Ita Tigurina. Potuiſſet Paulus regerere. Pontifex me non tractat ut civem, nec ego tracto eum ut Pontificem, juxta illud S. Hieronym. ad nepot. Scitum eſt illud Domitii, cur ego habeam te ut Principem, cùm tu non habeas me ut Senatorem. Sed noluit id dicere Paulus, voluitque modeſtiæ & reverentiæ erga Prælatos etiam impios & Tyrannos, publicum tam præſentibus quàm poſteris dare exemplum,

Hypocritas ferit Deus ſpecialiter.

Quæres: Quomodo Paulus non agnovit ſummum Pontificem? varii variè reſpondent. Simplicius reſpondent Chryſoſt. Lyran. & Dionyſ. Paulum non agnoviſſe Pontificem, quia diutius Hieroſolyma abſuerat, & novus erat hic Pontifex, ac multis aſtantibus cingebatur.

In hoc conſeſſu Phariſæum ſe ſe proclamavit Paulus, indéque jecit pomum diſcordiæ inter Sadducæos & Phariſæos dicens v. 6. *Viri Fratres, ego Phariſæus ſum, Filius Phariſæorum, de ſpe & reſurrectione mortuorum ego judicor.* Phariſæorum enim ſecta Judæorum melior & honoratior erat, credebat enim animæ immortalitatem, abſtinebat deliciis, vacabat Legi & ſapientiæ. Hoc eſt pomum diſcordiæ, quod prudenter jecit Paulus inter Phariſæos & Sadducæos, ut illos inter ſe committeret, utríque enim in necem Pauli iniquè conſpirabant ac proinde cauſam ejus, non ut æqui judices, indagabant, ſed ut teſtes furioſi præcipitabant. Quocirca piè & prudenter, impiam eorum concordiam ſerendo, ſchiſma rupit Paulus, ut per hoc utraque pars eo infirmior ad malum perpetrandum red-

Concordia impia ſcindenda.

redderetur, quo validius inter se dissidebat & discrepabat.

Nota, discordiam inter cives serere impium est, quare impium est axioma politicum Machiavelli; si vis regnare, divide, hoc enim non est Principis sed Tyranni. Ait P. Cornel. verùm

Discordiæ seminatio qualis licet.

si hostes impii inter se inique, in malum meum, vel Reip. puta in seditione, hæresi, impietate alioque scelere conspirent, licet inter illos dissensionem serere, imò hoc unicum est medium, impiam factionem & conspirationem dissolvendi. Uti docet S. Thom. v. 2. q. 37. Ar. 1. ad 2. & S. Gregor. L. 34. moral. c. 4. noxia, inquit, est malorum unitas, ideóque scindenda juxta illud Ps. 64. 10. Præcipita Domine & divide linguas eorum. Sic Deus divisit linguas Fabrorum Babel.

Actor. 23.

v. 7. *Et cùm hæc dixisset* (Paulus) *facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos, & soluta est multitudo.* Defendebant Pharisæi Paulum v. 10. *Et cùm magna dissensio facta esset, timens Tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, jussit milites descendere & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in Castra.* v. 11. *Sequenti autem nocte assistens ei Dominus ait: Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari.* v. 12. *Facta autem die collegerunt se quidam ex Judæis & devoverunt se dicentes: neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum.* Sed conjuratione detecta Paulus tacitè à Tribuno Cæsaream ad Felicē Præsidē missus fuit. v. 25. (*Timuit enim* (Tribunus) *ne forte raperent eum Judæi & occiderent, & ipse postea calumniam sustineret, tanquam accepturus pecuniam.*) P. Cornel. hîc. supplet. à Judæis!, si permisisset ab eis occidi Paulum. In multis enim verum est istud Catonis apud Gelli: L. 11. c. 18. Fures privatorum furtorum in nervo & in compedibus vitam agunt, Fures publici in auro & purpura. Præclarè Nazian. Juliano Apostatæ in purpura insolescenti. Orat. 3. An non, inquit, eam Tyriis objicies, à quibus pastoralis ille canis prodiit, qui exeso murice labiisque cruore perfusis pastori florem indicavit, ac per eos, vobis Imperatoribus pannum illum improbis luctuosum ac superbum porrexit. Nam ut explicat ibidem Elias, Canis fuit inventor

Purpuræ, Canis inventor.

purpuræ ejúsque tincturæ, cùm enim muricem devorasset, indeque expresso succo os ejus ruberet, pastor putans canem suum cæsum, fundere sanguinem, succum lanâ excepit, quam videns eo pupurari, ac manare ex murice, rem evulgavit. Porrò Naziazenus purpuram vocat pannum luctuosum. Quia purpura superbis Principibus fastum, quo miseros

ros opprimunt, indéque miseris oppressis, luctum conciliant, tum quia purpureus color monet, ut promptis animis sanguinem suum pro subditorum suorum salute fundant, quod cùm non meminerint, qui minimè tales sunt, fastus inde & arrogantiæ ansam trahunt. Quare & dictus Tribunus nec colorem quidem pati voluit, quo eius purpura seu authoritas, innocentis Pauli sanguine rubere videretur.

Caput nonum.

Zelus Pauli intrepidus. Ejusdem sermo in vinculis coram Rege & Præside. Ejusdem in naufragio mens tranquilla. S. Pauli in Malta gesta, morsus à vipera innoxius. S. Pauli in Hispaniis prædicationes.

233. Act. 24.

Actorum 24. Paulus à Tertullo, qui cum Anania Principe Sacerdotum venerat ad Felicem, accusatur. v. 5. *invenimus hunc hominem pestiferum & concitantem seditiones omnibus Judæis in universo orbe & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum.* Ita à Christo Nazareno, Nazareni primitùs vocabantur Christiani, postea Nazaræi dicti sunt hæretici, qui Christianismo volebant adjungere Judaismum. Sed ita causam suam apud Felicem egit & peregit Paulus, ut Felix cupierit ab illo Fidem

Judicium futurum impiis terribile. Seria in crastinum;

Christi audire. v. 25to. *Disputante autem illo* (Paulo) *de justitia & castitate, de Judicio futuro, tremefactus Felix respondit; quod nunc attinet, vade, tempore autem opportuno accersam te. Simul & sperans, quod pecunia ei daretur à Paulo.*

Disputante autem illo de justitia & castitate v. 25. Syrus de justitia & sanctimonia. Castitas

Zelus Pauli intrepidus Actor. 24.

enim est Sanctitas, id est, puritas animæ & Corporis. Uti ostendit P. Cornel. Studio Paulus appositum hoc Felici Thema dicendi accepit, sciebat enim eum esse adulterum, qui Drusillam ob eximiam pulchritudinem ad se pellexerit, ut relicto priori matrimonio Azizi Regis Emesenorum ad suas nuptias transiret.

Moraliter docet hîc Paulus Judices & Præsides debere esse

Continentes, tam à venere, quàm ab avaritia.

Fuit quoque Felix injustus, quia ut ait Tacitus L. 12. An. factus Præses Judææ, insolescebat, cuncta maleficia, sibi impune ratus tanta potentia subnixo. Et mox, Felix intempestivis remediis delicta accendebat. Idem L. 5. Histor. Felix per omnem sævitiam & libidinem, jus Regium servili ingenio exercuit.

Meritò ergo Paulus coram injusto Præside de Justitia disseruit, ubi notanda libertas & magnanimitas Pauli, Felicem enim Tyrannum liberè tyrannidis arguit, sciens ea de causa ab ipso recenter occisum Jonatham Pontificem. Verè S. Chrysost. Hom. 2. de laudibus S. Pauli. Paulus Tyrannos ac Populos spirantes furorem, velut esse quosdam culices existimabat. Mortem verò & cruciatus & mille supplicia quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret.

Injustum terret, Dei Judicium.

Et de Judicio futuro disserebat coram Felice Paulus. Hunc stimulum, quia acerrimus est, impuro & injusto Præsidi adhibet Paulus, ut ad pænitentiam eum adigat, ac saltem, ut frænum ejus cupiditati injiciat. Tremefactus Felix. Vox enim Pauli eum utpotè adulterum & Tyrannum percellebat instar tonitrui. Sperans, quòd pecunia ei daretur à Paulo. Quasi Paulus se litro redempturus esset. Audierat enim Felix à Paulo ipsum pecuniam attulisse Hierosolymam ad faciendas eleemosynas. v. 17. Ac sciebat Fideles & Discipulos, pro eo redimendo sua omnia impensuros. Vide hic sordidam Felicis avaritiam. Præclarè S. Nazianz. in senten. Avarus, inquit, quidam dixit, fortunæ guttam malo, quàm mentis (sapientiæ) dolium huic sapiens reposuit, mentis guttam pluris facio, quàm fortunæ dolium.

Avaritia Judices dedecet.

Sapientiæ pretium.

V. 27. *Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Judæis Felix reliquit Paulum vinctum.* Quadriennio existimant aliqui sustinuisse Paulum carcerem, alii biennio, quidquid sit etiam biennii tempus satis longum incarcerato. Mirum sane videtur, ait P. Cornel. Deum permisisse Paulum tanto tempore claudi, & ab Apostolatu impediri, sed per passiones honoratur Deus magis quàm per actiones, præsertim quia Paulus in Carcere, magis & ardentius, quàm Liber, prædicabat Christum, tam Literis quàm verbis & exhortationibus.

Per passiones magis honoratur Deus quam per Actiones.

Actor. 25.

Actorum 25. Judæis poscentibus Festus rogat Paulum, num causam dicere velit Hierosolymis,

mis, ille negat, & Romam ad Cæsarem appellat. Festus priusquam ad Cæsarem Paulum mittat, rogat Agrippam Regem, ut eum audiat, & quid de eo faciendum sit, suggerat.

V. 11. Dicebat S. Paulus coram instigantibus Judæis in Festi Tribunali, *Si enim nocui aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si verò nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis dare. Cæsarem appello.* Licitè imploravit auxilium Cæsaris S. Paulus, cùm aliud Tribunal & remedium, se, vitamque suam tuendi non haberet. Docet S. August. Ep. 50. Cæsarem appello, Syrus, Protectionem Cæsaris invoco.

Appellavit Cæsarem Paulus. 1. Quia non vitæ suæ sed Ecclesiæ consulebat. ait S. Aug. Ep. 5. 2. Quia eum ut seditiosum & Jura Cæsaris turbantem accusarant Judæi. Unde S. Chrysost. notat miram Pauli generositatem, quia apud eum, quem accusabatur læsisse, judicari velit. 3. Quia oraculum à Deo acceperat. c. 23. 1. se Romæ Evangelizaturum, hujus ergo occasionem commodam captat appellando Cæsarem, sciens hoc Deum velle. 4. Quia experientia didicerat, nunquam & nusquam se in Judæa tutum fore. 5. Ut hac appellatione, Cæsarem, puta Neronem, demereretur sibique & Christianis conciliaret, aut certè, si ab eo damnaretur, gloriosè ut Martyr Romæ, in orbis Theatro, occumberet.

Agrippa Rex, qui venerat ad Festum, ut videret Paulum, non fuit Senior ille, qui ab Angelo percussus interiit c. 12. Sed ejus Filius, Frater Drusillæ & Berenices, quæ fuit Soror & Concubina ejusdem Agrippæ. Vide, inquit Chrysost. quale auditorium congregatur Paulo, cum viris Principalibus civitatis. Princeps enim & Rex Stipatoribus suis omnibus congregatis occurrunt, & cum ipsis Tribuni & primi civitatis affuerunt. Pauli enim fama omnes ad eum videndum & audiendum excitaverat. Unde S. August. tria videre, nimirum: Paulum in Cathedra fulminantem, Romam in flore triumphantem, Christum in carne conversantem, optabat.

Videre tria desiderans S. Augustin.

Actor. 26. Paulus in vinculis coram Rege & Præside ardenter perorat.

Actorum 26. Paulus è vinculis coram Agrippa & Festo ita ardenter perorat de sua conversione ad Christum, prædicatione & persecutionibus Judæorum, ut Festus exclamaret illum insanire. V. 24. *Festus magna voce dixit: Insanis Paule: multæ te Literæ ad insaniam convertunt.* V. 25. Et Paulus non *insanio*, (inquit) *optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba loquor.* Dixit Festus. Insanis Paule tum ob altitudinem mysteriorum, puta,

puta, Passionis Christi Filii Dei & Resurrectionis, quæ ille utpote homo gentilis non capiebat, tum ob visionem Christi quam enarrabat Paulus, tum ob ardorem, vim & impetum dicendi in Paulo.

Moraliter nota. Mundus sui contemptores, virosque Zelosos putat insanire. Sic Propheta uncturus Jehu in Regem audiit. *Quid venit iste insanus ad te.* 4. Reg. 9.

Agrippam deinde allocutus Paulus v. 27. *Credis Rex Agrippa Prophetis? scio quia credis.* q. d. si credis Prophetis, uti credis quia Judæus es, ergo crede & Christo, iisque, quæ ego de Christo prædico, quia eadem de eo prædixerunt Prophetæ.

v. 28. ***Agrippa autem ad Paulum: in modico suades me Christianum fieri.*** v. 29. ***Et Paulus. Opto apud Deum & in modico & in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.***

In modico suades me Christianum fieri. q. d. parum ab est, quin me feceris Christianum. Ait Cyrill. Hierosol. Catech. 17. Cajet. Sanchez & alii. P. Cornel. à Lap. hic. Existimat genuinè. Modico, id est, modice parum aliquantulum suades, cui Paulus & modico & magno, q. d. non tantùm modicè sed & multum toto corde & affectu opto suadeóque te fieri mei similem, puta, Christianum.

v. 30. *Et exurrexit Rex & Præses & Berenice, & qui assidebant eis.* v. 31. *Et cum secessissent, loquebantur adinvicem dicentes: quia nihil morte aut vinculis dignum quid fecit homo iste.* v. 32. *Agrippa autem Festo dixit: dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.* Imò dimitti poterat, etiamsi appellasset, quia appellarat coactus, & appellatione sua nonnisi dimissionem quærebat, quare si illam præstitisset Præses, ultrò appellatione sua cessisset Paulus.

Actorum 27. Paulus Romam deducendus Centurioni Julio traditus fuit, à quo humaniter habitus, Cretam appulit, prædixitque tempestatem & naufragium, sed ab eo vectores omnes eripiendos, foréque salvos, quod & evenit. 234. Actor 27.

v. 21. *Stans Paulus in medio eorum dixit: oportebat quidem O viri, audito me, non tollere à Creta, lucrique facere injuriam hanc & jacturam.* v. 22. *Et nunc suadeo vobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit, præterquam navis.* v. 23. *Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cujus sum ego, & cui deservio dicens:* v. 24. *Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere & ecce donavit tibi Deus omnes,* Pauli in naufragio fortis animus. Actorum 27.

omnes, qui navigant tecum, (erant in navi universæ animæ 276. ut patet ex v. 37.) *Propter quod bono animo estote viri. Stans Paulus.* Corpore & magis animo & corde. Nam navis cordis ejus in marinis fluctibus integra stetit. ait S. Gregor. l. 7. Ep. 127. Amissio enim nullius animæ erit, id est, vitæ corporalis. (P. Cornel.) addit Lyranus & spiritalis, quasi omnes hæ animæ, in Pauli gratiam, à Deo in æternum salvatæ sint. Verùm id non est genuinum, etsi sit probabile, uti innuit, S. Chrysost.

Dei, cujus sum ego. Minister, Cultor, Apostolus. P. Cornel. dicit hoc, ne Gentiles, qui erant in navi, suo Deo aut diis hoc oraculum aut miraculum tribuerent.

Donavit tibi DEus omnes. Ergo omnes perditi erant, id est, certò perdendi, tum cursu naturæ ob vim tempestatis, ut ait Oecumen. tum ultione Dei ob eorum scelera.

V. 35. *Et cum hæc dixisset* (Paulus) *Sumens panem, Gratias egit Deo in conspectu omnium: & cum fregisset, cœpit manducare.* P. Cornel. nota hic prudentiam charitatis Pauli, ut afflictos in periculo tempestatis consolaretur, & inedia penè confectos inducat ad sumendum cibum, ipse primus cœpit manducare.

Describitur deinde naufragium. v. 41. *Et cùm incidissemus in locum Dithalassum*, (est locus inter duo maria sive Isthmus) *impegerunt navem, & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis verò solvebatur à vi maris.* v. 42. *militum autem consilium fuit, ut custodias* (id est vinctos reos, quos custodiebant) *occiderent: ne quis cum enatasset, effugeret.* v. 43. *Centurio autem volens servare Paulum, prohibuit fieri: jussitque eos, qui possent natare, emittere se primos & evadere & ad terram exire.* v. 44. *Et cœteros alios in tabulis ferebant: quosdam super ea, quæ de navi erant. Et sic factum est, ut omnes animæ evaderent in terram.*

Moraliter. 1. disce hinc quanta sint maris pericula, in quo, ut ait Anacharsis, vectores tantum 4. digitis, quibus scilicet navis mari eminet, distant à morte. 2. Quam Deus suorum habeat curam. Paulum ecce hic Deus præsenti maris periculo eripit & propter eum vectores omnes, verè Poeta. *Favente numine* naviges vel vimine. 3. Paulum & Sanctos in tempestate, naufragio, prælio, peste, latronibus, fame, carcere, & quavis alia calamitate, stare serenos & securos, præsertim cum obeunt opus pium, & Apostolicum, sciunt enim se Deo cordi & curæ esse. Quare tunc adeò non cadunt animo, ut celsiores evadant, eóque magis sperent in Deum, illique se uniant, quo majus est periculum, ita Psaltes Ps. 26. In periculis quando se gerere debeamus.

1. *Dominus illuminatio mea & Salus mea, quem timebo? Dominus Protector vitæ meæ, à quo trepidabo?*

Quodsi quandoque DEus justum, imò Apostolum naufragio alioque periculo non eripiat, conquiescat ille in voluntate Dei, dicatque cum S. Jobo afflicto. c. 1. 21. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est. Et S Paul. Rom. 14. 8. sive vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur. Præclarè S. August. Ep. 122. in fin. Quid interest, febris an ferrum de corpore solverit? non qua occasione exant, sed quales ad se exeant, Deus attendit in servis suis. Idem l. 1. de civ. c. 11. mala mors putanda non est, quam vita bona præcesserit.

235. S. Pauli in Malta gesta. Act. 28.

Actorum 28. & ult. Paulus Maltæ viperam è manu illæsa excutit, sanat Patrem Publii, & alios, inde post tres menses navigat, pervenitque Romam, ubi Judæis convocatis causam adventûs sui denuntiat, ac biennio in libero carcere, quasi Hospitio degens, intrepidè prædicat Evangelium.

S. Paulus mordetur à vipera.

E naufragio elapsis, non modicam in Melita insula, Barbari licet, præstitere humanitatem. v. 2. *Accensa enim pyra reficiebant nos omnes, propter imbrem, qui imminebat, & frigus,* ibi vipera in vasit manum S.Pauli. v. 4. *ut verò viderunt Barbari pendentem bestiam de manu ejus, adinvicem dicebant: utique homicida est homo hic, qui cùm evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere.* V. 5. *Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est.* V. 6. *At illi existimabant eum in tumorem convertendum & subito casurum & mori. Diu autem illis expectantibus & videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes se dicebant, eum esse DEum.*

Notandum. 7. Eximia beneficia & privilegia S. Paulum contulisse Melitæ & Melitensibus. 1mum Melitensium conversio, fides, & Salus. Mox enim à Christo sub ipsa Ecclesiæ primordia Melitenses præ aliis Insulis & Gentibus prædicationem Evangelii accepêre, à S. Paulo. 2. Quòd apud eos 276. navigationis & naufragii sui socios baptizârit. 3. Quòd ibi S. Paulus commoratus sit per 3. menses. 4. Quòd Melitæ scorpiones & serpentes, tam nati, quàm eò illati, ponant venenum, imò terra Melitensis sanat quoslibet morsus venenosos, etiam canum rabidorum, si in potu sumatur, aut plagæ imponatur, nec id solùm in hominibus, sed etiam in bestiis, adeò ut nonnulli Medici Siculi eam præferant terræ sigillatæ. 5. Quòd. S. Paulus sæpè Melitam ab incursu hostium tutatus sit. 6tum. Quòd Melitæ,

tæ tres extent B. Virginis imagines, depictæ à S. Luca, qui fuit comes S. Pauli, cum eoque ibidem habitavit per 3. menses. 7mum. Quòd Melita à tempore S. Pauli hucusque nunquam defecerit à fide, à S. Paulo accepta, etiamsi Mauri eam occuparint, tenuerintque per centenos & amplius annos. Idem Coloniæ Agrippinæ datum à Deo, ob merita Martyrum Thebæorum ac 11. milium virginum ibidem quiescentium. Unde de ea canitur. Ex quo fidem recepisti, Recidiva non fuisti, civitas Prænobilis.

Fides firma,

Vipera unde dicta.

Nota ex occasione viperæ, quæ S. Paulum momordit, multi censent viperam dici, quasi, vi parientem, eò quòd fætus viperæ alvum matris erodant. Verùm experientia (ait P. Cornel. à Lap. hic) id docet esset falsum. Unde veriùs Theophrastus, Ælianus censent viperam dici quasi, viviparam, eò quòd pariat vivum animal, non ova, ut alii serpentes. Porrò vipera adeò venenosa est, ut solo sibilo & anhelitu, quem afflat, hominem obstupefaciat, eique mortem vel morbum, quasi lethalem infligat. Arabes viperam dicunt ex Græco Therion, unde Theriaca, quæ conficitur è viperæ carnibus, cujus compositionem sub Nerone imperatore (qui matrem interfecit, uti vipera fertur matrem enecare) invenit Andromachus medicus, uti narrat Galenus, qui paulò post vixit.

Ex carnibus ejus Theriaca.

V. 5. *Ille quidem excutiens bestiam.* Præclarè Oecumenius. vipera, inquit, cùm in manus Apostoli dentes injecisset, & nullam peccati in ea mollitiem & laxitatem invenisset, statim, (ab eo excussa) resiliit & in ignem se se projecit, quasi pœnam de se exegerit, quod nihil ad se pertinens corpus invasisset. Nos verò bestias timemus, propterea quod armatura virtutis muniti minimè simus.

Nota 1. Sunt in Italia, qui se de Genere & cognatione Pauli esse jactitant & serpentes impunè contrectant, sed hos imposturæ arguit Delrio. l. 1. mag. c. 3. q. 4. Eò quòd compertum sit eos se contra morsum antidoto præmunire.

Navigantium Patroni.

Nota 2. Nautæ Christiani, post B. Virginem, quæ est stella Maris, in periculo invocant S. Paulum, qui die ac nocte in profundo maris fuit. S. Clementem, S. Nicolaum, S. Franciscum Xaverium, qui immensa Oceani spatia à Lusitania in Indias absolvit &c.

Nota 3. Olim Marsilius de Padua, tempore Joannis XXII. Pontificis, scripsit Librum, cujus titulus: Defensor Pacis. In-

quo contendit S. Paulum fuisse Romæ Episcopum non S. Petrum, eò quòd S. Lucas Paulum biennio Romæ versatum dicat, Petri verò non meminerit, eum secutus est Udalricus aliique Hæretici, quem fusè refutat Bellarminus. l. 2. de Rom. Pontif. c. 1. 8. Nam, ut alia taceam, ait. P. Cornel. ejus impudentiam refutat continua Ecclesiæ Romanæ & cæterarum omnium fides & sæculorum omnium traditio. Ad hæc omnes Historici & Patres, quos operosè citat Bellarminus. S. Petrus ergo fuit Romanus Episcopus, ac Episcopatui Romano annexuit Pontificatum totius Ecclesiæ, in eoque sibi sequentes Romanos Episcopos succedere voluit, & Sanxit, ut, quicumque eligeretur in Romanum Episcopum, is pariter esset Episcopus. Paulus ergo Romæ in vinculis prædicando Petrum in fundando Romano Episcopatu juvit. Eáque de causa S. Epiphan. Hæres: 27. Petrum & Paulum vocat Romanos Episcopos, quia uterque Romanam Ecclesiam erexit. Petrus tanquam proprius Episcopus, Paulus ut Petri Administer & adiutor.

S. Paulus non fuit Romæ Episcopus.

Paulus in Hispania prædicat.

Nota 4. Patrum traditio est, Paulum vinculis solutum, inter alias provincias adiisse Hispaniam, ibique prædicasse, præsertim, ut apud Hispanos, jam quasi desertos, suppleret locum S. Jacobi ab Herode capite truncati. S. Ansel. in Ep. ad Rom. c. 15. asserens Paulum in Hispania prædicasse subiungit: Pervenit igitur usque ad Hispanias, & à mari Rubro usque ad Oceanum prædicando cucurrit, imitans solis cursum, ab oriente usque ad occasum, ut ante ei terra deficeret, quàm studium prædicandi.

Nota 5. Paulus è primis hisce vinculis dimissus vixit adhuc 8. Annos, quibus Hispanias aliásque provincias evangelizando peragravit, quibus exactis Romam rediens, certansque cum S. Petro contra Simonem magum & Neronem, ab ipso, eò quòd pellices à se ad Christum traduxisset, damnatus, gladióque percussus, gloriosum Apostolatum gloriosa morte conclusit. An Christi 69no. die 29na. Junii. Sed illicò Neronem persecuta est Divina, effusi tam sancti sanguinis, ultio, nam anno sequenti eodem mense Junio, die decima, qua olim Octaviam uxorem occiderat, à Senatu proscriptus, quæsitúsque ad necem, ex desperatione semetipsum confodit. Ita Sueton. Dio. &c.

Pœna peccati quid?

Caput

Caput decimum.

Apocalypsis quid? Authoris ejus S. Joannis prærogativæ. Visio Prima S. Joannis de Simili Filio Hominis inter Candelabra. Quid hæc Candelabra! quid Zona aurea? &c.

236. Actis Apostolorum aliqua ex Divino S. Joannis Apostoli & Evangelistæ Apocalypsis opere annectenda censui, præcipuè stupendas illius visiones, ut continua serie illa, quæ ad historicam scripturæ novi Testamenti notitiam conducunt, haberentur in promptu.

Apocalypsis quid?

Apocalypsis græcè idem est quod Revelatio. Quanta sit sublimitas & excellentia Apocalypseos præ aliis scripturis Canonicis, ex tribus maximè capitibus æstimari potest, ait P. Cornel. in Prologomenis ad Apocalypsim. 1mum. est materia, sicut enim in Evangelio S. Joannes cœteros Evangelistas antecellit, eò quòd ipse penè solus ex professo agit de Christi Divinitate, de Verbi origine, de Processione Spritus S. de Sanctissima Trinitate, de ejusdem Unitate, attributis. &c. ita in Apocalypsi idem ipse Dei in cælesti Throno Residentis, Agni ab origine mundi occisi. Spiritus S. multoculi & multivarii Majestatem, Angelorum & Beatorum venerationem, Prædestinatorum Signationem, Martyrum & Virginum gloriam, futuras Ecclesiæ Persecutiones, successus, & Triumphos, ad Antichristum & finem usque mundi, Babylonis exidium, Henochi, & Eliæ prædicationem & Martyrium. Gog & Magog & Antichristi interitum, æterna Gehennæ supplicia, Jerusalem cælestem gemmis & auro radiantem vivis coloribus depingit, & quasi corporata ac præsentia oculis spectanda subiicit, ut cælum palmo metiri, ut ait S. Cyrill. videatur. 2dum est. Ordo temporis. Ultimus est Scriptorum S. Joannes, ultimus pariter Bibliorum liber est Apocalypsis, ultimam ergo manum & coronidem Evengelii ac S. Scripturæ, hàc Apocalypsi S. Joannes imposuit.

Richar. de S. Victor. l. 7. c. 12. asserit. Librum hunc non solùm esse Evangelium, sed in Evangelica doctrina, sicut ultimum ita & summum locum obtinere, ac in ipso S. Scripturam ad modum arboris cacumen extulisse.

S. Joannis Prærogativæ.

3tium est. Author Apocalypsis S. Joannes Apostolus, Evangelista, Propheta, virgo, Martyr, Martyr inquam, magnas enim persecutiones perpessus sub Domitiano, cujus jussu ante Portam Latinam, in ferventis olei Dolium immissus, mortis agonem obiit, sed miraculo evasit incolumis, eun non mortuum, & in fine mundi rediturum, graves Doctores censuerunt.

An mortuus?

Verùm S. Joannem esse mortuum, asseverant S. Hieronym. Euseb. & veteres penè omnes, ait. P. Cornel. Imò tota Ecclesia, quæ Joannis quasi mortui, & in cælo jam cum Christo Regnantis festum celebrat, eúmque in Litannis, æquè ac alios Sanctos, invocat. Accedit, quòd in Concilio Ephesino jubentur coli Reliquiæ SS. Martyrum, & ejusdem S. Joannis, & earundem Reliquiarum meminit Cælestinus Pontifex in Ep. ad Concil. Ephesin.

Dignum quoque notatu de hoc Sancto ac mirum, quòd adhuc vivens 4. animalia & se ipsum in aquila repræsentatum in cælo Empyreo Throno Dei astantem, ac inter beatas mentes Deum assiduè collaudantem vidit.

S. Dionysius Areopagita, scribens ad S. Joannem, eundem solem Evangelii indigitat. Idem S. Joannes cum S. Jacobo Fratre à Christo nomen excelsum, scilicet, Boanerges, id est, Filius Tonitrui, accepit, unde illi aptari potest, quod de S. Basilio scribit S. Nazian. Oratio ejus erat tonitruum, quia vita erat fulmen.

Apocalypsis scriptura Canonica.

Apocalypsis est scriptura Canonica, idque est de fide, ut patet ex Decreto Concilii Romani sub Damaso, ac Florentini, & Tridentini. Author ejus non Joannes Presbyter, ut aliqui existimabant, sed S. Joannes Apostolus. uti probat P. Cornel. in quæst. Proemial. in Apoc.

Hæretici quos libros S. Scripturæ suscipiunt quos non

Hanc Apocalypsim è Canone librorum S. Scripturæ excludunt Lutherani, uti & Epistolam ad Hebræos S. Pauli, Epistolam Jacobi, Epistolam Judæ. è veteri item Testamento: Esther, Judith, Tobiam, Sapientiam, Ecclesiasticum, Machabeos. Calvinistæ quoque prædictos hos veteris Testamenti Libros excludunt, illos verò de novo Testamento admittunt. Ita secum conveniunt Ecclesiæ Hostes, & tamen è sacra Scriptura, quam pro placito admittunt aut reiiciunt, convinci volunt, cum Canonem antiquum Ecclesiæ, libro-

librorum S. Scripturæ, perperam non suscipiant.

Libri Canonici S. Scripturæ juxta Concil. Trident.

Porrò Canonici libri sacræ Scripturæ in Concilio Tridentino sessione 4. hi agnoscuntur: è veteri Testamento. 1mo. Genesis, Exodus Leviticus, Numeri, Deutronomium. 2do. Josue, judicum, Ruth. 3tio. Libri 4. Regum, & Duo Paralipomenon. 4to. duo Esdræ. 5to. Tobias, Judith, Esther. 6to. Job. Psalterium. 7mo. Parabolæ, Ecclesiastes, Cantica. 8vo. Sapientia, Ecclesiasticus. 9no. Prophetæ Majores 4. Minores 12. 10mo. Duo libri Machabæorum. Ex novo Testamento. 1mo. 4. Evangelia. 2do. Actus Apostolorum. 3tio. Epistolæ 14. S. Pauli. 4to. Duæ Petri, tres Joannis. 5to. una Jacobi, una Judæ, 6to. Apocalypsis Joannis. Hos libros acceperunt Patres Concilii Tridentini à Concilio Florentino, Patres Concilii Florentini à Gelasio Papa in Concilio Romano, Gelasius ab Augustino, qui illos accepit à Concilio Carthaginensi, Tertio, Patres Concilii hujus, ab Innocentio Primo. Epist. 3. ad Exuperantium c. 7. Vixit autem Innocentius an. Christi. 402. Plura vide apud P. Becanum in controversia.

Non Hebraicè nec Latinè sed Græcè scripsit Apocalypsim S. Joannes, unde græce dicit ego sum α & ω non ego sum Aleph & Thau, post excidium Hierosolymæ per Titum, scripta Apocalypsis, idque 25. annis post excidium, excisa enim est an. Chri. 72. Apocalypsis autem scripta est. An. Chr. 97. Scripsit S. Joannes Apocalypsim, antequam scriberet Evangelium, hoc enim scripsit reversus ab exilio Patmos, ut docet S. Hieronym. Augustin. Beda & alii. Certum verò est, quòd Apocalypsim scripsit in Patmo, sub An Chr. 97. ita Irene. S. Hieronym. citati à P. Cornel. mortuus anno à Nativ. Christi. 101.

Apocalypsis Argumentum.

Argumentum Apocalypseos est duplex. 1mo. enim usque ad cap. 4. exhortatur S. Joannes fideles ac corrigit mores 7. Episcoporum Asiæ. 2do. & longè potiori parte scilicet à c. 4. usque ad finem libri prophetat de rebus in Ecclesia futuris, maximè sub finem mundi, tempore Antichristi.

Scopus.

Scopus & finis, quem spectat, est, ut per hæc omnia, maximè per gloriam Martyrum, virginum, pœnas reproborum, fideles tum sui temporis, tum deinceps futuros, excitet ad constantiam in fide & pietate, ac ad Martyrium fortiter obeundum.

Apocalypsis difficultas.

Consentiunt omnes Interpretes Apocalypsin esse librum omnium librorum S. Scripturæ ob-

obscurissimum & difficillimum, tum ob ejus sublimitatem, tum quia Prophetiæ ejus necdum impletæ sunt. Porrò in hac obscuritate facem præbent Canones aliquot, quos recenset P. Cornel. in Prolog. ad Apoc. 1mus. quem dat S. Augustin. l. 3. de Doctr. Christ. c. 10. Apocalypsis omnisque S. Scriptura ad Literam, uti sonat, accipienda est, nisi videlicet quid ab ea dicatur, quod planè & simpliciter acceptum, absurdum sit, ac sanæ fidei bonisque moribus repugnet, v. g. cum Christus ait: Matth. 18. si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum. Et. v. 9. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proiice abs te.* Si ut sonat, accipias (uti fecit Origenes, qui tentatus stimulo carnis se castravit, ut castitatem conservaret, zelosè quidem, sed imprudenter, & illicitè) absurdum quid significat, scilicet, ut quis se ipsum mutilet, ergo hæc figuratè & metaphoricè accipienda. q. d. si amici, fratres &c. te ad hæresin vel aliud scelus sollicitant, eorum familiaritatem reseca. 2dus. Canon. Prophetæ non servant ordinem temporis, ac rei gestæ vel gerendæ, idque, ut scriptura eorum prophetia esse videatur, & non historia, & quia diversis temporibus & occasionibus, revelationes à Deo acceperunt. ita in Apocalypsi visiones, Prophetiæ non describuntur ordine quoad tempus. 3tius. eadem res apud Prophetas per plures & diversas visiones præfiguratur. 4tus. Apocalypsis tota plena est allusionibus ad veteris Testamenti Locos, Historias, & figuras. Hic advertendum, quantum, errent Acatholici, qui spreta authoritate Ecclesiæ interpretantis sacram Scripturam, proprii sensus mancipia, eamdem pro placito suo explicant, interpretantur, idque interdum homines opificiis, mercimoniis, rebus bellicis dediti, aliisque sæcularibus negotiis intricati, qui vix norunt literas, vix illis vacat aliquando obiter scripturam evolvere, hi tamen se, antiquis Ecclesiæ Doctoribus, qui magnam vitæ partem in legendis & relegendis sacris Codicibus impenderunt, audent nedum æquare, sed & præferre. At enim dicunt: Spiritus Sanctus, tanquam verus scripturæ interpres, nobis assistit, nobis genuinum scripturæ textum explicat, & unde vobis hoc, quod non potius illis viris & Doctis & Sanctis adstitit, & Vicario Christi in Terris? Unde vobis, quod potius vos inflat Spiritus Sanctus, & non Spiritus superbiæ? Unde cognoscitis, quod hæc scriptura sit

Scriptura ad literam quantum fieri potest sumenda.

Di-

Divina, quod illi potius fides danda, quàm profanis historicis, si authoritatem Ecclesiæ excluditis. Si sola apud vos Regula fidei scriptura, ergo caruit Regulâ fidei Ecclesia, in lege naturæ, in qua non extitit ulla scriptura, circiter ad annum mundi 2483. satis tamen illi fuit in pura & puta traditione. In lege Moysi magna librorum sanctorum Pars bellorum injuriâ distracta, captivitate Babylonicâ amissa. Ecclesia tamen beneficio Traditionis ad Esdræ tempora perseveravit, qui, quidquid illi memoriæ thesaurus suppeditavit, recollegit & in ordinem digessit, posteritati tradidit. In lege autem Evangelica tempore Christi. ante Domini ascensionem & post ascensionem, in majori hominum multitudine & nationum varietate virtute Traditionis, Prædicationis, sine ulla scriptura novi Testamenti in suo vigore permansit Ecclesia, imò multæ Gentes, postquam jam alicubi sacræ scripturæ extabant, longo iis tempore caruerunt, Christianam tamen fidem solâ traditionis efficaciâ retinuerunt. Testis est S. Irenæus l. 3. c. 4. Doctor tam antiquus, qui circa annum Christi 176. Martyrium passus est, tradit plures populos absque characteribus & atramento, solùm in Tabulis cordium S. scripturam habentes, & custodientes veterem Traditionem, in DEum credidisse. Ait ulterius S. Irenæus: quid autem, si neque Apostoli scripturas reliquissent nobis, nonnè oportebat ordinem sequi Traditionis? Una est Catholicorum Theologorum doctrina, quod verbum, Divinū tribus consideretur modis: vel ut plantatum per fidem in corde Ecclesiæ, vel ut Prædicatum ore ejusdem Ecclesiæ, vel demum in Libris Canonicis scripturæ, absque hoc ultimo modo subsistere potest Ecclesia, absque cæteris duobus non potest, de scribendo, nullum reperitur præceptum Christi, datum Apostolis, Christus ipse, nullum apicem scriptum, qui alicubi extet, reliquit, quod id præstiterunt Apostoli, bonis motivis ad id compulsi sunt. Occasio scribendi Evangelii, ut testatur Eusebius. l. 3. c. 24. Historiæ, S. Matthæo fuit, ejus ab Hebræis ad Gentes discessus, ut memoria doctrinæ ejus extaret. Idem testatur l. 2. c. 15. S. Marcum neque proprio motivo, neque jussu S Petri, sed tantummodo Romanorum precibus sollicitatum, Evangelium scripsisse. De S. Luca verò loquens, ait, illum ad scribendum stimulatum fuisse, eò quod multi ad multa scribenda se ingererent, quæ ignorabant, ne ergo veritas sensim

Traditionibus etiam in lege naturæ regebatur Ecclesia.

ob-

obscuraretur, scripsit Evangelium? S. Joannes fatetur se in extrema senectute ab Episcopis Asiæ fuisse impulsum ad scribendum Evangelium, idque ad confutandam exortam Esbonitarum hæresim. Legimus quidem in Apocalypsi l. v. 18. &c. ei ab Angelo demandatum, ut quasdam scriberet Revelationes, non tamen volumen aliquod, in quo totius fidei nostræ norma inclusa contineretur. Nec omnes habemus scripturæ Canonicos libros in manibus, plura hujus sacri Thesauri volumina perierunt: ubi enim sunt tria millia Parabolarum & 5000. Carminum Salomonis? quorum fit mentio 3. Reg. 4. v. 32. Locutus est quoque Salomon, tria millia Parabolas, & fuerunt Carmina ejus quinque millia. Ubi liber Prophetæ Nathan & volumen Gad videntis. Quæ extitisse patet ex c. ult. L. 1mi. Paralip. v. 29. Ubi sunt Libri Ahiæ & Addo Prophetarum expresse nominati. l. 2. Paral. c. 4. v. 29. In quibus quis scit, an non & puncta fidei, de quibus dubitant Hæretici, annotata fuere? Recurrunt adverrii passim ad textum Originalem & Authenticum, numquid illi habent manu ipsius Moysis descriptos libros ejusdem Moysis? aut Evangelium scriptum manibus Evangelistarum. fateantur ergo ab una Ecclesia universali & Romana, se veram germanam atque Canonicam scripturam accepisse, & ab Ecclesia interpretationem illius petant. Plura videantur in controv. P. Baile. Soc. JEsu.

S. Scripturæ plura volumina perierunt.

In Apocalypsim Interpretes.

Interpretes, qui in Apocalypsim scripserunt, fuerunt Plurimi, Plures quàm centum recenset P. Alcazar. notat. 26. iique extiterunt quovis sæculo, uti notat Pererius & P. Cornel. ubi hos omnes Interpretes, præsertim Recentiores Orthodoxos, ac nominatim totum Alcazarium, à capite ad calcem se perlegisse, discussisse, & in Compendium redegisse fatetur. Ex Hæreticis in Apocalypsim scripserunt Beza, Bullingerus & alii: qui, dum in Pontificem Romanum sua omnia detroquent, livore cæci, mania & cerebro laborare videntur, ait P. Cornel. ac elleboro potiùs indigere, quàm calamo.

237. Apocalyps. 1.

Apocalypsis 1mo. Capite. Proponitur libri titulus & elogium adversum 4. Deinde subditur Epistola seu Dedicatio libri usque ad 8. quia septem Asiæ Ecclesiis, quibus prædicaverat, suam Apocalypsim dedicat, eisque gratiam & pacem apprecatur. 3tio. Est Prologus, continens narrationem primæ visionis à. v. 8. ad finem: describit enim

enim speciem gloriosam Christi, quam vidit in medio 7. candelabrorum, id est, 7. Ecclesiarum Asiæ.

V. 4. *Joannes 7. Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Gratia vobis & pax ab eo, qui est & qui erat, & qui venturus est; & à 7. Spiritibus, qui in conspectu Throni ejus sunt.*

Spiritus S. Dona.

Quæres: Qui sunt hi 7. Spiritus? Beda, Rupertus & alii intelligunt 7. Dona Spiritus S. id est ipsum Spiritum S. qui est Auctor Donorum. Septem Dona Spiritus S. colligunt Theologi ex Isai. c. 11. v. 2. *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & Intellectûs, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & Pietatis & replebit eum Spiritus Timoris Domini.* P. Cornel. à Lap. hìc intelligit. 7. Primarios Angelos, qui assistunt Deo quasi stipatores ac Primores Regni ipsius parati ad omne imperium Dei, per se, vel per alios inferiores exequendum. Hi enim vocantur & sunt Spiritus admistratorii. Hebr. 1. ab his ergo 7. Angelis quasi ab administris Dei, non autem quasi ab Auctoribus, gratiam suis postulat. S. Joannes. Serarius in Tob. 12. v. 15. nomina horum ita recenset: Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, (qui nominatur l. 4. Esdr.) Sealtiel, (quem colligunt ex Gen. 16.) Jehudiel, (quem ex Exod. 23.) Barachiel, (quem colligunt ex Genes. 18.) sed ultima quatuor nomina incerta sunt. ait P. Cornel.

Angeli 7 Deo assistentes.

Officium horum Angelorum.

Porrò nomina Angeli desumunt pro ratione ministerii, quod apud homines obeunt. Sic Michael, id est. Quis ut DEus. Quia pro hominibus pugnat, contra superbum Lucifer. Ap. 12. 1. Gabriel, id est, Fortitudo Dei. Quia fortia Dei bella & gesta annuntiavit Danieli. B. Virgini. Raphael. id est Medicina Dei. Quia Tobiæ cæcitatem curavit. Uriel. id est. Lux vel ignis Dei, is qui homines Dei cogitatione illuminat & amore inflammat. Sealtiel, id est, Oratio Dei, qui pro hominibus orat. Jehudiel, id est, Confessio vel Laus Dei, qui hominem ad confessionem & Laudem Dei exhortatur. Barachiel, id est, Benedictio Dei, qui Beneficia Dei nobis procurat, nosque ad gratitudinem pro illis excitat.

Sintnè isti Angeli Assistentes Deo Seraphini an Principatus, controvertitur. Sanè Michael & Gabriel Seraphini esse videntur. v. 8. *Ego sum. α & ω.* (alpha & Omega) Principium & finis, dicit Dominus DEus, qui est & qui erat, & qui venturus est, omnipotens.

Apoc. 1. Deus α & ω.

Quæres. 1. Quis hìc loquatur? P. Alcazar censet loqui Christum. P. Cornel. hìc dicit loqui Deum, prout Communis est

Tribus Personis scilicet Patri, & Filio est Spiritui Sancto.

Quæres 2. Quis est sensus. Ego sum α & ω. Arias Montanus in c. 4. Zachar. exponit. q. d. in Ecclesia Christus est α & ω. id est consummatio Deus & perfectio rerum omnium. Rursum ait P. Cornel. & potius activè sum α & ω. id est. Principium & finis, hoc est : sum causa efficiens & finalis universorum, universa enim à Deo & ad Dei gloriam creata sunt. Mysticè Pererius per α. inquit, quod est principium alphabeti, significatur Christi Divinitas, per ω Christi Humanitas.

Visio Prima S. Joannis. Similis filio hominis inter candelabra. Apoc. 1.

à v. 9. *Fui in Insula, quæ appellatur Patmos* (ait S. Joannes) *propter Verbum Dei & testimonium JEsu.* v. 10. *Fui in spiritu in Dominica die & audivi post me vocem magnam tanquam tubæ.* v. 11. *Dicentis : quod vides, scribe in Libro, & mitte 7. Ecclesiis quæ sunt in Asia, Epheso, Smyrnæ & Pergamo & Thyatiræ & Sardis & Philadelphiæ & Laodiciæ.* v. 12. *Et conversus sum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum: & conversus vidi 7. Candelabra aurea* v. 13. *Et in medio 7. Candelabrorum aureorum similem filio Hominis, vestitum Podere & Præcinctum ad mamillas Zonâ aureâ.* v. 14. *Caput autem ejus & capilli erant candidi tanquam lana alba & tanquam nix, & oculi ejus tanquam flamma ignis* v. 15. *Et pedes ejus similes aurichalco, sicut in Camino ardenti, & vox illius tanquam vox aquarum multarum* v. 16. *Et habebat in Dextera sua stellas 7. & de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat : & facies ejus sicut Sol lucet in virtute sua* v. 17. *Et cùm vidissem eum, cecidi ad pedes ejus, tanquam mortuus. Et posuit Dexteram suam super me dicens: noli timere: Ego sum Primus & Novissimus* v. 18. *Et vivus & fui mortuus ; & ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo claves mortis & Inferni.* v. 19. *Scribe ergo quæ vidisti & quæ sunt & quæ oportet fieri post hæc.* v. 20. *Sacramentum 7. Stellarum, quas vidisti in Dextera mea, & 7. candelabra aurea : Septem stellæ, Angeli sunt 7. Ecclesiarum : & Candelabra 7. Septem Ecclesiæ sunt.* Patmos Insula non longè distat à Candia seu Creta.

Dominicæ antiquitas.

In Dominica die ergo à temporibus Joannis, & Apostolorum, cultus Sabbati fuit translatus in Dominicam, ob honorem Resurrectionis Christi, quæ Dominica contigit.

Providentia Dei nos semper respicit nobis etiam non advertentibus.

Audivi post me vocem. Mysticè significatur hic singulare præsidium Dei, Joannem & fideles suos inter tot persecutiones Protegentis & Dirigentis. Rectè enim Christi Providentia post nos esse describitur, quia cum ipsam non cernamus, ipsa tamen nos cernit, & semper ante oculos habet, tuetur, & protegit, ait Origen. S. Hieronym. in Ezech 3. 12.

Tanquam Tubæ. Ergo hæc vox fuit non tantùm ingens & contensa, sed & tubalis, sive, sonitum tubæ referens, & exprimens, ait. P. Cornel. Vidi 7. Candelabra. Candelabra hæc erant similia illi, quod fecit Moyses in Tabernaculo, & aliis 10. quæ fecit Salomon in Templo.

Porrò per Candelabrum, tam Joannes, quàm Moyses, significavit Ecclesiam.

7. Candelabra.

v. 13. Et in medio 7. Candelabrorum aureorum similem Filio hominis, hoc est, hominem. ait P. Cornel. Christum scilicet, homo enim est Homini similis, & Christus in similitudinem hominum factus est. Ribera tamen putat, non fuisse ipsum Christum, sed Angelum, qui Personam Christi gerebat.

Quæres : An revera hic Joannes viderit Christum Dominum in seipso. Resp. P. Cornel. Probabile est vidisse, sed in alio habitu quàm sit in cælo. Probabilius tamen est contrarium, scilicet Joannem non vidisse Christum ipsum, quia erat in spiritu, unde hæc omnia Symbolicè coram ipso gerebantur.

Porrò quòd ait in medio candelabrorum, intellige non consistentem sed ambulantem, sic enim ait. c. 2. v. 1. Qui ambulat in medio candelabrorum. Moraliter notat S. Thomas. To in medio. significare Christum, singulis Ecclesiis exhibere se communem, à nemine recedere longius, ad neminem accedere propius, sed omnibus æqualiter adesse & prodesse, ut doceat Episcopos in Ecclesia, Rectores in Collegio, Patres in Familia, se exhibere, omnibus indifferentes. Hæc repræsentat Pontifex Romanus, dum ipse solus solenniter celebrans, circum se in altari habet septem Candelabra (quod nulli Episcoporum concessum est) ipse enim est Vicarius Christi.

Prælati debent esse in medio.

Nota, alia forma & specie, Christus apparuit, quàm habeat in Cælo, nimirum, vestitus Podere, Canus &c. ut per hæc repræsentarentur res admirandæ, quas Christus in Ecclesia, & suis Fidelibus, operatur.

Vestis Poderis.

Vestitum podere. P. Cornel. hoc est, veste, sive Tunica, Talari, quæ ad pedes usque adaptetur & descendat. Nota, Pontifex duplicem habebat Tunicam, unam Lineam, qua semper in sacris utebantur omnes Sacerdos. 2dam. Hyacynthinam, quæ erat propria Pontifici, ab eaque dependebant mala punica & tintinnabula, de qua

qua dicitur. Sap. 18. v. 24. In veſte enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum.

Quæres: Utram Tunicam hic intelligat Joannes. Verius videtur, ait P. Cornel. Poderem eſſe tunicam Hiacynthinam. Podere, ergo, ſignificatur ſummus Chriſti Pontificatus, quo Chriſtus præeſt ſeptem, id eſt, omnibus Eccleſiis.

238. Zona aurea.

Et præcinctum ad mamillas zona aurea, alludit primo ad cingulum veterum Sacerdotum & Pontificum, hoc enim adeò altè ſuccingebant ſe, ut Joſeph. L. 3. Antiq. c. 10. aſſerat, Lineam veſtem accingi ſolitam circa pectus, paulò axillis inferius.

Quæres: Quidnam ſignificet zona aurea Chriſti. Per hanc volunt ſignificari Andreas & Aretas Chriſti Clementiam, Rupertus, Perer. Dignitatem Regiam. Albertus, Sapientiam. Aliqui, Juſtitiam. Abbas Joachim, Ejus pietatem. Chryſoſt. Anſel. Caſtitatem. Ribera. Thom. Angli. Charitatem. Propriè, ait P. Cornel. Zona, conſtringens veſtes & corpus, illúdque formans & roborans, ſignificat diſciplinam ſanctam, quæ Chriſti & Chriſtianorum mentem, corpus, motúsque omnes componit, à vitiis reſtringit, Deo Deique Legi aſtringit. Porrò multi hæc aptant Eccleſiæ & Fidelibus. Hanc ergo Chriſti zonam eſſe eam, qua Sancti præcincti ſunt. Ita Alcazar. Imò multi volunt, hanc zonam Chriſti eſſe ipſam Eccleſiam.

Caput & capilli candidi.

Caput autem ejus & capilli erant candidi. Aretas per caput & capillos candidos accipit candidam & puram Humanitatem Chriſti. S. Auguſtin. accipit quoslibet Sanctos. Lib. de eſſen. Divin. optimè ait P. Cornel. Capilli, ſive candidi, ſive cani, ſignificant Chriſti æternitatem, ac conſequenter omniſcientiam, omniprudentiam.

Oculi ejus tanquam flamma ignis. Ribera. Oculi, inquit, Chriſti flammantes ſignificant, Chriſti iram & vindictam in perſecutores Chriſtianorum. Addit P. Alcazar. Flammas oculorum Chriſti ſignificare ab ejus ira neminem ſe poſſe abſcondere.

Pedes ſimiles aurichalco.

Pedes ejus ſimiles aurichalco. P. Cornel. Aurichalcum vocatur æs, quod colorem habet aureum. Pedes Chriſti ſimiles aurichalco, non frigido, non etiam liquefacto, ſed calenti, candenti, hoc eſt, pedes Chriſti erant ſplendidiſſimi, puta Humanitas Chriſti, per caminum paſ-

ſionis & crucis facta eſt ſplendidiſſima & fortiſſima ad conculcandum Domitianum ſuosque Hoſtes.

Myſticè Haymo, Beda, Ambroſ. pedes, inquiunt, Chriſti ſunt Fideles, qui vivent in fine mundi tempore Antichriſti, durabúntque in igne perſecutionis, quaſi in camino fortes & conſtantes. 2do. Pererius, Alcazar & alii. Pedes, inquiunt, Chriſti ſunt Apoſtoli, qui nomen Chriſti, quaſi per totum orbem, deportarunt.

Vox aquarum.

Vox illius tanquam vox aquarum. Poteſt per hanc vocem cum Ribera intelligi, vox Chriſti, condemnantis impios in die Judicii. Sed quia hæc ſignificatur per gladium, ait P. Cornel. meliùs per hanc vocem accipitur ipſa Prædicatio Evangelii.

7. Stellæ in manibus.

v. 16. Et habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem. Victorinus. Seraphinus. Per 7. ſtellas & Angelos, accipiunt 7. dona Spiritus Sancti. P. Cornel. ait: Certum eſt has 7. ſtellas eſſe 7. Angelos uti ait Joan. v. ulti. Porrò Angeli hi ſunt Epiſcopi, quare Angeli, id eſt, Epiſcopi in Eccleſia debent eſſe quaſi ſtellæ.

Paſtores Stellæ.

1. ut quaſi ſtellæ non errantem, ordinatum habeant motum. 2. ut claritate alios illuminent. 3. ut ſuo calore alios foveant, vivificent. 4. ut ſuis influentiis conſervent & vegetent mundum. 5. ſtellæ fixæ parvæ videntur & humiles, ſunt tamen terrâ majores. 6. Lucent noctu, ſic Epiſcopi tempore perſecutionum. P. Alcazar. Haſce 7. ſtellas concipit ut 7. gemmas, inſtar ſtellarum, annulis totidem infixas vel inſculptas. Pari modo, ait, hæ 7. ſtellæ erant 7. annuli cum totidem gemmis ſive ſtellis, ſingulæ autem gemmæ habebant ſtemma aliquod, ſive inſigne inſculptum v. g. crucem &c.

Stellæ gemmæ.

Stellæ Epiſcopi Planetis ſimiles.

addit P. Alcazar Chriſtum habere in manibus ſtellas fixas, ſed tamen alludi hìc ad 7. Planetas, ut per ipſos ſignificetur diſcrimen, quod erat inter ipſos Epiſcopos Aſiæ. Smyrnenſis enim ſe habebat ut ſol, qui ſua virtute ſuperat omnia. Philadelphenſis ut Jupiter ob proſperam fortunam. Sardenſis ut Mars propter audaciam. Laodicenſis ut Saturnus, ob ignaviam & piritigam. Epheſinus ut Mercurius, quia licet prudens eſſet, erat tamen remiſſi ardoris. Pergamenus ut Luna propter morum inæqualitatem. Thyatirenſis ut venus, propter imprudentem fervorem. (nota non tamen luxuriam, hæc nec nominatur,) licet Chriſti intentio ſit, ut omnes ſolis inſtar efful-

effulgeant. Hæc sunt commenta ejus ingeniosa & erudita magis, ait P. Cornel. quàm solida & genuina, itaque simplicius & significantius 7. stellas hic propriè accipimus. Stellarum enim lux fulgentior est quàm gemmarum.

Moraliter, ait Haymo, non soli Episcopi, sed quivis insignes Evangelii Præcones sunt stellæ, uti fuit S. Dominicus, cui proinde in fronte visa est stella.

Gladius utraque parte acutus, condemnatio, in die Judicii.

v. 16. *Et de ore ejus gladius utráque parte acutus exibat.* S. Ambros. per gladium accipit Fideles validos & electos, qui in fine mundi contra Antichristum pugnabunt. P. Cornel. per gladium hunc sententiam condemnationis, ipsamque condemnationem & punitionem æternam, quâ Christus impios in die Judicii efficacissimè & dirissimè feriet, adigetque in gehennam. Sic Joannes Bohemus de Gentili ritu in Asia scribit, Principem cùm primum accepto diademate, Rex inauguratur, dicere solitum. Oris mei sermo, de cætero, gladius meus erit.

Gloriosi Corporis Lux.

Et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua. P. Cornel. significatur hic gloria Corporis Christi gloriosi, quia instar solis splendet nunc in Cælo, & quâ redimitus apparebit in die Judicii, unde in Transfiguratione resplenduit facies ejus sicut sol. Ita Ribera.

Deus & Christus soli similis.

Symbolice sol est Hieroglyphicum Dei & Christi gloriosi. Sol omnia calefacit, fæcundat, solus est in mundo. Lunam aliasque stellas illuminat, in medio est Planetarum & mundi. Solis radii purissimi. Apud veteres celebris fuit solis mensa, hæc proportionatè Deo & Christo accomodentur.

Cecidi ad pedes ejus quasi mortuus. Non tam ex reverentia quàm ex ingenti pavore. Ait P. Cornel. quasi exanimatus ob tam augustam & terribilem visionem Christi, gladium ore vibrantis. Mysticè significatur hoc Joannis casu acerbitas persecutionum, quas in Apocalypsi Christus Joanni revelavit, quæ tantæ fuerunt, ut Fideles viribus & animo in iis defecissent, nisi Christus eos corroborasset.

Dixit Christus. Noli timere, Ego sum primus & novissimus q. d. Ego sum Deus & Homo, qua Homo enim fuit Christus novissimus virorum, ut ait Isai: c. 53. Ita Aretas. Rupert.

P. Cornel. dicit hæc duo, esse Epithetum Dei. q. d. ego sum α & ω. sum Principium & Finis.

Fui mortuus & ecce sum vivens. q. d. sicut ego ex morte gloriosus surrexi, ita faciam, ut Ecclesia ex tribulationibus, quibus videtur obrui & sepeliri, gloriosa resurgat.

Claves mortis & inferni.

Habeo claves mortis & inferni. q. d. habeo potestatem dimittendi peccata, sicque hominem liberandi à morte & inferno, eáque obstruendi, atque hanc potestatem communicavi Ecclesiæ. Ita Beda, Rupertus & alii. Aptissimè ait P. Cornel. Christo non ùt Deo sed ùt homini dantur claves mortis & inferni, sensúsque est q. d. Domitianus & Gentiles Tyranni æquè ac Judæi ob fidem in me minantur vobis necem & infernum, at nec ipsos, nec ipsa metuite, ego enim habeo claves mortis & inferni, ego sum Dominus illorum, possum, cui volo, vitam dare, possum occisos pro me resuscitare.

Episcopi Angeli.

v. 20. 7. Stellæ, sunt Angeli 7. Ecclesiarum. P. Cornel. Episcopi dicuntur Angeli. 1. Quia sunt internuntii Dei ad populum. 2. Quia ut Angeli debent homines purgare, illuminare, & perficere 3. Quia castè, sanctè, & Angelicè vivere & versari debent inter homines. Ait S. Chrysost. Nota, hi Angeli sunt in dextera Christi. Primo. Quia in digniore gradu in Christi Ecclesia ab eo constituti. Ita Anselm. Aretas. Concilium Trident. ait: Episcopatum esse munus Angelicis humeris formidabile. S. Gregor. in Pastorali. Ab imperitis Pastorale Magisterium quanta temeritate suscipitur, cùm sit ars artium regimen animarum? Et tantum debet populi actionem actio transcendere Præsulis, quantum distat à Grege vita Pastoris. Rursum. Lux Gregis est Flamma Pastoris.



Caput undecimum.

Jussu Christi scribit Joannes 7. Episcopis Asiæ.

Nicolaitæ quid? Eucharistia Lignum vitæ. Manna quid? Beati columnæ. Christus Amen. Tepiditas quantum malum. Charitas Aurum.

239. Apoc. 2. Epistolæ Joannis ad Episcopos Asiæ.

Apocalypsis 2. S. Joannes jussu Christi scribit. 1mò. Angelo Ephesi, ut primam charitatem collapsam reparet, ni faciat, minatur, quòd amovebit Candelabrum ejus, si faciat, promittit illi Lignum vitæ. 2do. Angelo Smyrnæ, ut sit constans in fide & virtute usque ad mortem, promittens ei coronam vitæ. 3tio Angelo Pergami, ut fortiter se opponat Nicolaitis, promittens ei manna absconditum & calculum candidum. 4to. Angelo Thyatiræ, ut resistat Jezabeli docenti fornicari & vesci idolothytis, promittens eidem Episcopo, potestatem super gentes & stellam matutinam.

V. 4. *Habeo adversum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti.* S. Ambros. Haymo. censent hunc Episcopum Ephesinum, charitatem amisisse & fuisse in statu peccati moralis. Verùm ait P. Cornel. quis credat hoc de S. Timotheo, præcipuè cùm ejus illustria opera non solùm præterita sed & præsentia recensentur. Pererius, Ribera & alii exponunt. q. d. primam charitatem, id est, primum illum charitatis fervorem reliquisti, hæc enim est humana infirmitas, ut qui magno Spiritu cæperunt servire Deo, sensim de ejus contentione remittant. Monitus ergo hic Timotheus remissionem suam correxit, fervidéque reprehendit cultores Dianæ, ideóque ab iis martyrio est affectus. An. Chr. 109. Adde hæc non dici soli Episcopo, sed & ejus Ecclesiæ Ephesinæ. Moraliter disce, quàm facilè homo, etiam sanctus, à primo fervore tepescit. Hinc S. Bernard. Ep. 96. ad Richard. Multò faciliùs reperias multos sæculares converti

verti ad bonum, quàm unum quempiam de Religiosis transire ad melius. Et alibi Ep. 91. In scala Jacob Angelos omnes vel ascendere vel descendere, neminem stare, & tu ergo si non proficis, deficis, & ubi incipis nolle fieri melior, desinis esse bonus.

V. 5. *Movebo candelabrum tuum de loco suo.* Candelabrum, id est, Ecclesiam à te auferam, ne sis ejus caput & Episcopus.

Nicolaitarum secta.

V. 6. *Odisti facta Nicolaitarum.* Quorum hæresis erat, licere fornicari, & promiscuè uti fæminis etiam conjugatis. Vide S. August. Hæresi. 5.

V. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Quæres: Quodnam hoc lignum vitæ? Rupertus & alii per lignum vitæ intelligunt Christum. Alcazar addit Christum promittere hìc suam opem

Eucharistia Lignum vitæ.

& præsidium per Eucharistiam iis, qui cum serio fervoris renovandi proposito ad eam accedunt. 2do. magis genuinè & planè lignum hoc est Fruitio Dei, & Beatitudo, indéque consequens immortalitas. Ita P. Cornel.

V. 10. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi Coronam vitæ.* Hæc Angelo Smyrnæ. Quæres: Quis fuit hic Angelus seu Episcopus. Respondet P. Cornel. valde verisimile est fuisse S. Polycarpum.

Per coronam vitæ, intelligitur æterna felicitas. 1. Quia datur certantibus & vincentibus. 2. Quia corona significat perfectionem & complexum bonorum omnium. 3. Quia pretiosissima.

V. 11. *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* id est, à peccato, quod animam separat à sua vita, id est, à gratia Dei, ita Rupert. Alber. Magn. Angelo Pergami V. 17. *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Quæres: Quis fuerit Angelus seu Episcopus Pergami? Respondet P. Cornel. quod sit incertum, Aureolus & Lyranus putant fuisse S. Carpum.

Quæres: Quid fuit manna absconditum? Respondet P. Cornel. hoc manna notat ingentem suavitatem & delicias. Sed quam & quas? Beda, Rupertus censent hoc manna, Eucharistiam. P. Cornel. à Lap. manna hoc sunt consolationes spirituales, quæ quasi congrua merces à Deo datur vincenti tum delicias & concupiscentias carnales, tum suum metum & pusillanimitatem, qualis erat hæc Episcopi Pergami. Per calculum album intelligunt, Hugo Christum, in

Eucharistia manna.

Calculus albus.

in Eucharistia. Beda Corpus in Baptismo candidatum. Aretas, claritatem nominis. Ambrosius, Evangelium Christi. P. Cornel. à Lap. hìc Sententiam felicitatis, quam Christus proferet in vincentes, ipsamque æternam felicitatem, qua Deus vincentes donabit.

Angelo seu Episcopo Thyatiræ scripsit v. 20. *Sed habeo adversus te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Propheten, docere, & seducere servos meos, fornicari & manducare de idolothytis.* Vincenti deinde promittitur. v. 26. *Dabo ei potestatem super gentes.* v. 28. *Dabo illi stellam matutinam.* Hic Episcopus Thyatiræ ab Aureolo censetur esse S. Irenæus. Verisimilius ait P. Cornel. si quis asserat fuisse S. Carpum. Jezabelem aliqui putant fuisse uxorem Episcopi Thyatirensis. P. Alcazar Synagogam. Ad literam hæc Jezabel fuit nobilis & potens aliqua mulier Hæretica, quæ Prophetissam se mentiendo, propagavit sectam Nicolaitarum docens licere fornicari & edere idolothyta, sicut Jezabel propagavit cultum Baal, ita Beda, Rupertus, P. Cornel.

Per potestatem super gentes, intelligit P. Cornel. judiciariam potestatem in die Judicii, quam habebunt Sancti victores, Dei mandata custodientes usque in finem vitæ. Per stellam matutinam. P. Alcazar. P. Cornel. à Lap. intelligunt Christum, qui ait c. 22. v. 16. *Ego sum stella splendida & matutina.* Rursum, ait P. Cornel. plenius ac clarius stella matutina est lumen
gloriæ & clara visio Dei. Apo- 240.
calypsis 3. scribit Episcopo Sar- Apocalyp. 3.
densi, quòd dicatur vivere sed mortuus sit, minatur, quòd veniet ei, sicut fur in nocte, sin resipiscat & vincat, promittit illi vestes albas, quodque scribet eum in libro vitæ. 2do. v. 7. Episcopo Philadelphensi modicæ virtutis suadet; Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Quod si fecerit, promittit, quod faciet eum columnam in Templo Dei, & scribet in eo nomen Dei & novæ Jerusalem. 3tio. v. 14. Exprobat Episcopo Laodicensi, quod neque calidus sit, neque frigidus, sed tepidus, quem proinde Deus ore suo sit evomiturus, suadet ei ergo, ut emat aurum ignitum, vestesque albas induat, & collyrio ungat oculos, quod si fecerit, vincenti promittit sessionem in Throno suo.

Nota. Sardensis Episcopi (cujus nomen incertum) peccatum suspicatur Rupertus fuisse occultas libidines, quare nec exprimitur. Lyranus. Hypocrisin. Optimè ait P. Cornel.

Beda, & P. Alcazar docent, hoc peccatum fuisse negligentiam in Pastorali & Episcopali munere.

In Epistola ad Episcopum Philadelphensem scribitur v. 12. *Qui vicerit, faciam illum Columnam in Templo Dei mei.* Prælatus vocatur columna. 1. Quia corpore terram, mente cælum tangit 2. per vitam activam inferioribus inhæret, & tamen per contemplationem sursum aspicit &c. v. 12. *Et scribam super eum nomen Dei mei & nomen civitatis Dei mei, novæ Jerusalem.* Nomen hoc, ait S. Ambros. esse æternum, sive esse participem æternitatis, deinde P. Cornel. hìc dicit: alludit ad columnas,

Beati Columnæ.

in quibus Principes eas erigentes sua nomina incidi curabant, quo significabant, quod columnæ hæ sibi charæ, pretiosæ & gloriosæ essent. Et nomen meum novum. Nomen Christi novum est JEsus, hoc enim novum nomen illi impositum in circumcisione, esto, ait S. Thom. 3. par. q. 37. in victoribus quasi in columnis, scribetur nomen JEsu, ut significetur eas esse erectas per JEsum, victorias adeptos per JEsum,

Beati à Jesu Jesuitæ.

ideóque per excellentiam vocabuntur Jesuani sive Jesuitæ, id est Filii & Clientes JEsu. Ita Perer. Ribera. Imò Hugo, qui primus ex ordine Prædicatorum in Collegium Cardinalium est electus & ex eo Ludolphus Carthusian. ante annos plusquam 260. Porrò hoc nomen novum tum ad Fidelium, tum potius ad Christi gloriam spectat.

Christus Amen.

v. 14. *Et Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe: hæc dicit: Amen, Testis Fidelis.* Amen hìc ait P. Cornel. non est adverbium sed nomen sive epithetum Christi, uti & Isaiæ 65. v. 16. Ubi vocatur. Deus Amen. Sed cur hic tantùm Christus vocat se Amen & Testem Fidelem, non autem in aliis ad alios Episcopos Epistolis? Probabilem dat causam P. Alcazar. Præmittit, inquit, Christus asseverationem suæ Fidelitatis & veracitatis, quia huic Episcopo dicturus est quædam, quæ minus verisimilia videntur, ut quod præstet frigidum esse quàm tepidum, quod Episcopus hic miser esset, quodque tali tam ingentia promittat.

Tepiditas quantum malum.

v. 15. *Utinam frigidus esset aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Quæres: Quinam vocantur hìc calidi, frigidi, tepidi.

Qui tepidi qui frigidi.

Respondent. 1. Beda, Ambros. & alii. Frigidi sunt infideles, qui peccant per ignorantiam, his peiores sunt Tepidi, id est, Fideles Peccatores. 2. Victorinus cen-

ſet. Frigidos eſſe Hæreticos. Calidos Catholicos, Tepidos Politicos. 3. Primus, Frigidi, ait, ſunt, qui nullas habent opes, quas erogent Pauperibus, Calidi, qui habent & erogant, Tepidi, qui habent, nec erogant. 4. S. Gregor. ait. 34. moral. 2. Calidus eſt, qui charitatem habet. Frigidus, qui in peccato mortali exiſtit, ſed culpam ſuam agnoſcit. Tepidus eſt, qui eſt in peccato, ſed illud non agnoſcit. 5. Haymo & Ansbert. Frigidi, inquiunt, ſunt ſæculares, Calidi monachi ferventes, Tepidi ſunt, qui habent habitum Monachi, ſed animum & mores ſæculares. 5. Rupertus. Perer. Tepidi hìc, ſunt ſuperbi, qui ſibi placent & præfidunt, perſuadentque ſibi ſe eſſe bonos, & ſecuri vivunt, quaſi nullius egentes, nihil timentes. Hi frigidis, id eſt, manifeſtis Peccatoribus ſunt peiores. Unde S. Auguſt. L. 6. 14. de civit. c. 13. audeo dicere ſuperbis eſſe utile, cadere in aliquod apertum manifeſtúmque peccatum, unde ſibi diſpliceant, qui jam ſibi placendo ceciderant. 6. Tepidus eſt, qui inter virtutes & vitia fluctuat, quique ex virtute quidem vivere & peccata vitare vellet, ſed certamen cum vitiis & virtutis laborem refugit. Ita Haymo. Anſel. unde notat P. Cornel. licet pejus ſit in ſe eſſe Frigidum, quàm Tepidum, ſed periculoſius eſſe Tepidum. Deinde hic tepor per accidens pejor eſt frigore, quia conjunctus eſt & oriri ſolet ex magna præfidentia, ſuperbia.

Moraliter diſce, quantum malum ſit tepor & ignavia. Unde Plato: Peſtis mortalibus eſt ignavia. Catonis fuit ſententia: nihil agendo, hominem, malè agere perdiſcere. v. 16. *Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* P. Cornel. eſt metaphora à cibis, qui tepidi vomitum provocant. Significatur hîc 1. Deum execrari tepidos, ſicut execramur id, quod os evomit. 2. Sicut violentia magna fit vomitus, ita quaſi contra Bonitatem Dei eſt, ut eos evomat &c.

v. 17. *Quia dicis: quòd dives ſum & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper & cæcus & nudus.* Dives ſum. Auro ſcilicet & opibus temporalibus, inde enim factus es pauper & tepidus in rebus ſpiritualibus. Ita Andreas. Aretas. 3. Dives ſum ſcilicet virtutibus. Ita Ambroſ. & S. Greg. 3. Mor. 2. Ubi pulchrè docet, Electos, quærere Cæleſtes, Reprobos verò Terreſtres Divitias. Cur fuerit miſer, cauſas tres ſub-

Apoc. 3. Quæ veræ divitiæ vel egeſtas?

dit:

dit: 1. Pauper. Id eſt. Carens charitate. 2. Cæcus. Quia imprudens in rebus agendis. 3. Nudus. Quia carens bonis operibus. Aurea eſt ſententia S. Auguſtini: n. 27. Nemo tam eruditus, nemo tam doctus eſt, qui ſuperna illuſtratione non egeat. Non enim ulli ita divinorum bonorum augmenta ſufficiunt, ut non ſemper ſuperſit, quod mens rationalis, & intelligendum deſideret & gerendum.

241. v. 18. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias.* Per aurum multi intelligunt ſapientiam Sanctorum. Haymo, per aurum ignitum intelligit Chriſtum Paſſionis igne inflammatum. Richardus. Beda. Hugo. P. Cornel. & alii. per aurum intelligunt Charitatem, quæ ignita & probata eſt, id eſt, pura & defæcata ab hypocriſi, & ſociis cupiditatis, ardens & fervens. Nota. Hoc aurum emendum eſſe oratione, lachrymis, pænitentiâ, bonis operibus. Addit S. Ambroſius. Lib. de Joſeph. Patr. c. 7. Hoc aurum emi argento, non noſtro, ſed Chriſti, ſcilicet pretioſo ejus ſanguine. v. 18. *Et collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Collyrium eſt pharmacum oculorum, præſertim lippitudinis. Jam per collyrium hoc accipiunt Beda, S. Gregor. conſiderationem & obſervationem mandatorum Dei. Viegas, memoriam Paſſionis Chriſti. Haymo & P. Alcazar. Mortificationem paſſionum, vel munditiam cordis, vel imitationem Chriſti, vel aſſiduam piæ legis meditationem, vel captivitatem intellectûs in obſequium fidei. Rupertus. P. Cornel. tum humilitatem. q. d. Cor tuum verâ humilitate purifica, ut paupertatem tuam videas, divitias Bonitatis Dei agnoſcas. Tum conſiderationem noviſſimorum.

Charitas aurum.

Cæcitas mentis quo curatur.

Hinc patet efficax tepiditatis remedium eſſe. 1. Ferventem Dei amorem. 2. Studium bonarum operationum. Stimulo poteſt eſſe ad fervorem, quod apud Deum in numerato ſunt omnes Anni, Dies, omnes horæ, imò omnia momenta vitæ noſtræ. Audiant tepidi & torpidi claſſicum Boetii. L. 4. Conſolat. Philoſoph. metro 7. Ite nunc Fortes, ubi celſa magni. ducit exempli via, cur in ertes. Terga nudatis, ſuperata Tellus, ſidera donat.

Tepiditatis remedium.

v. 21. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in Throno.* q. d. Faciam illum participem Regni mei cæleſtis. P. Alcazar, ad Thronum, ait, Chriſti viri perfecti exaltantur, non in futura, ſed in hac vita, dum in altiſſimæ pacis ſede exaltantur.

Genui-

Genuinus Literalis sensus est. ait P. Cornel. Huic Episcopo uti & cæteris promittitur merces & bravium Regni cælestis, licet sub alio & alio nomine & titulo, ut ad studium virtutis & pietatis acuantur. Huic ergo Tepido eam promittit nomine Sessionis, quia tepidus fugit laborem & cursum, hinc si eum amplectatur, promittit illi requiem æternam & sessionem Regalem in Cælis.

Pro Coronide horum trium capitum Apocalypsis nota singulis ad 7. Asiæ Episcopos Epistolis Christum alludere ad agones, victorias & coronas Athletarum, præsertim Olympionicarum, quæ celebres erant in Asia & Græcia, ut accirentur ad coronas & Triumphos. Si tanti vitrum, quanti margaritum, si tanti erat victoria Olympica, quanti esse debet victoria Christiana, quanta ad eam lucta & contentio?



Caput

Caput duodecimum.

Repræsentatur in Throno sedens Deus. Circumsedentes 24. Seniores. Quid significant illi? Quid 4. Animalia? Quid mare vitreum in conspectu sedis? &c.

Apocalyp. 4 APocaypsis c. 4. Post 7. Epistolas transit Joannes ad suas visiones & Prophetias, itaque hoc capite incipit propriè Apocalypsis, id est, Revelatio futurorum Prophetica, cùm hucúsque fuerit Historia potiùs quàm Prophetia. Hoc ergo capite videt Joannes per ostium apertum in Cælo Deum habitu Jaspideo & Sardinio in Throno Smaragdino Residentem, ac iride amictum & circumsedentes 24. Seniores, & 4. Animalia plena oculis, alis senis instructa, dicentia ter: Sanctus, ad eorum Laudes 24. Seniores procidunt cum suis coronis ante Thronum, & Deum celebrant.

v. 1. *Post hæc vidi: & ecce ostium apertum in Cælo: & vox prima, quam audivi tanquam Tubæ loquentis mecum dicens: Ascende huc & ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc.* v. 2. *Et statim fui in Spiritu: & ecce sedes posita erat in Cælo, & supra sedem sedens.* v. 3. *Et qui sedebat, similis erat aspectui Lapidis Jaspidis & Sardinis: & iris erat in circuitu sedis, similis visioni Smaragdinæ.* v. 4. *Et in circuitu sedis sedilia 24. & super Thronos 24. Seniores sedentes circumamicti vestimentis albis & in capitibus eorum coronæ aureæ.* v. 5. *Et de Throno procedebant fulgura & voces & tonitrua: & septem Lampades ardentes ante Thronum, qui sunt 7. Spiritus Dei.*

Ostium apertum in cælo. P. Cornel. Fuit hæc tantum imaginaria vel intellectualis visio, & consequenter non realis sed imaginaria apertio cæli, nec enim cælum habet ostium, quod aperiatur & claudatur. Ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc. Oportet fieri propriè significat ea, quæ nondum facta, sed adhuc futura sunt.

v. 2. Ecce Sedes posita erat in Cælo. P. Cornel. censet ad Literam S. Joanni ostensam fuisse Sedes.

ſpeciem Throni cujusdam magnificentiſſimi, puta Regalis, id eſt, Cæleſtis & Divini. Myſticè Sedes hæc eſt Eccleſia, ait Rupertus. Et ſupra ſedem ſedens. Sedens hic non fuit Chriſtus, ùt vult Ambroſ. Chriſtus enim eſt agnus ante Thronum. P. Alcazar cenſet tam hic, quàm Iſaiæ 6. Seſſorem

Seſſor.

fuiſſe DEum Patrem tantùm, verùm longè melius alii cenſent, ait P. Cornel. fuiſſe Deum abſolutè, prout communis eſt tribus Perſonis.

v. 3. Similis erat Aſpectu P. Cornel. Corrige cum Romana Aſpectui, id eſt, colori, vel ſpeciei Jaſpidis. Jaſpis eſt coloris ſubviridis, Sardius rubei. P. Alcazar cenſet non commixtos fuiſſe hos colores, ſed corpus Dei ab imo ad lumbos fuiſſe ſimile Jaſpidi, à lumbis verò ſurſum Sardio. Quæres. Quid ſignificent hi lapides? Viegas & Perer. aiunt: Jaſpide virente ſignificatur miſericordia, Sardio rubente juſtitia. Ribera P. Cornel. Et alii. Jaſpis, quia firmiſſima eſt Gemma viridis & ſæpè pellucens, ſignificat ſplendorem & pulchritudinem Divinitatis ſemper virentis, Sardius, quia ſanguinei & ignei coloris eſt, ſignificat 1. Subtiliſſimam DEi naturam, 2. Juſtitiam.

Miſericordia & juſtitia.

242. v. 3. Et iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni Smaragdinæ. Per iridem inteligunt Richardus Judicium univerſale, Beda, Sanctos, qui Eccleſiam ſuis precibus protegunt. Albertus Incarnationem verbi. Magis generatim & genuinè, (ait P. Cornel.) Viegas Pererius & alii paſſim. Iris, inquiunt, eſt miſericordia DEi, quæ undique Thronum Dei circumdat. Similis viſioni Smaragdinæ. Non ſedens in Throno, ùt vult Ribera, ſed ipſa iris. Rurſum Smaragdus, ait Ribera, ſignificat Dei, ; & Creaturarum in Deo, quaſi in ſpeculo pulcherrimo viſionem.

Iris miſericordia Dei.

Tropologicè, Iris inſtas Smaragdi, Symbolum eſt virginitatis, quæ ſemper viret. Quo circa appoſitè Poloni in Canonizatione S. Caſimiri, qui maluit mori, quàm virginitatem perdere, hoc Anagrama ei dederunt. Caſimirus. *Sum quaſi iris.* Rurſum Caſimirus, quaſi Cadis mirus. Quia pro caſtitate victima Occumbis. Unde Poeta:

In iride S. Caſimiri Symbolum & virginit.

Sponte cadis, ſed amore cadis, Caſimire, pudoris,
Mirus, te Chriſto mirificante cadis.

v. 4. Et in circuitu Sedis ſedilia 24. & ſuper Throno 24. Seniores ſedentes. P. Cornel. alludit ſcriptura tum ad Ordinem Angelorum Primæ Hierarchiæ, qui vocantut Throni, tum ad 24. Principes Sacerdotum, tot enim erant eorum Familiæ à Davide diſtributæ, ut per vices ſacra obirent in Templo, quæ ſingulæ ſuos habebant Principes, qui proinde Principes Dei & Principes Sanctuarii vocantur. 1. Para. 24. Hi enim 24. Principes Templi fuerunt typus 24. Seniorum in Templo cæleſti. Seniores enim ſive Senatores vocantur Principes populi, quia Senatus olim ê ſenibus eligebatur, eſto poſtea Seniorum Senatorum filii, etſi juvenes, Parentibus defunctis, in magiſtratu ſuccederent. Senior ergo non tam ætatis, quàm dignitatis eſt nomen, unde & Presbyteri vocabantur apud Spartanos ſummi Magiſtratus. Sedilia, id eſt, Throni Auguſti, quales ſunt Regum & Principum. Porrò hi Throni cingebant Thronum Dei. Alcazar. imaginatur illos fuiſſe, quaſi in SanctoSanctorum, quod quadratũ erat, ac proinde cenſet Thronos hos in quadrum diſpoſitos.

Apocal. 4. 24. Seniores.

Seniores ſive Seznatores.

Throni quales.

Circumcincti veſtimentis albis. P. Cornel. Albæ veſtes notant non tam ſacerdotium, ut vult Alcazar, quàm claritatem & gloriam Beatitudinis 24. Seniorum.

Quæres. Quinam ſint hi 24. Seniores? Andreas, Cæſar, Aretas intelligunt 12. Patriarchas & 12. Apoſtolos. Aureolus, Lyranus, Cælum, inquiunt, eſt Eccleſia militans Dei, ſedes Eccleſia Romana, in qua ſedet Romanus Pontifex, 24. Seniores ſunt omnes Epiſcopi. P. Alcazar per 24. Seniores ait, deſignatur Dignitas Sacerdotum in Eccleſia Chriſti. Magis genuinè, (ait P. Cornel.) Haymo, Maldonatus, Ribera, 24. Seniores, inquiunt, ſunt omnes Patres & Sancti Illuſtriores tam veteris quàm novi Teſtamenti. 12. enim ſunt Apoſtoli in novo, ſub quibus omnes viros Apoſtolicos accipe. & 12. ſunt Patriarchæ & Prophetæ veteris Teſtamenti, ſub quibus omnes Sanctos Illuſtres veteris Teſtamenti accipe. Eſto enim non omnes Patriarchæ fuerunt Sancti, tamen quia Patriarchæ fuerunt Iſraelis ſive populi Dei, ſic aptè ſignificant Sanctos Illuſtres veteris Eccleſiæ aut Progenitores. Hoſce 24. Seniores repræſentant Cardinales, adeóque totum hoc caput conſeſſus (vulgo Capella) Pontificis, in qua videtur imago cæleſtis Jeruſalem. Pontifex, quaſi vicarius Dei, Deum repræſentat, 7. Priſci Diaconi, 7. Spiritus Deo aſſiſtentes, Cardinales, Seniores 24. Agnus Chriſtum, qui in miſſa offeretur. Liber ſignatus librum Evangeliorum, deníque Patriarchæ, Epiſcopi, Canonici &c. repræſentant innumerum Angelorum Sanctorum multitudinem. Symbolicè

licè Pineda in Job 19. v. 19. n. 3. cenſet in his 24. Senioribus, qui ſunt quaſi Senatores & Conſiliarii Divinæ Sapientiæ, notari, quales debeant eſſe Principum Conſiliarii. Nimirum. 1. ut jugiter aſtent Principi, Princépsque nihil ſine illorum Conſilio agat. 2. ut ſint Senes, Senes enim Conſiliô & experientia pollent. 3tio. ut ſint circumamicti veſtibus albis, ſcilicet candore & ſinceritate animi polleant. 4to. ut habeant coronam in capite, hoc eſt, prædití ſint libertate & animo Regali, ideóque non obſequantur cupiditatibus Principum, ſed liberè, quod æquum & rectum eſt, pronuntient. 5to. ut non ſint tenaces proprii judicii, nam Seniores illi procidebant ante Thronum, & mittebant Coronas. 6to. ut exactè ſervent ſecretum, ſic enim Seniores hi verſantur circa librum ſignatum, nec quisquam eum reſerat, ſed omnes eum Agno reſerandum pemittunt.

Symbolice 24. Seniores repræſentant quales debeant eſſe Senatores.

v. 5. Et de Throno procedebant fulgura & voces & tonitrua. P. Cornel. Hiſce Symbolis DEus ſuam Potentiam, Majeſtatem, & Magnificentiam oſtendit. Myſticè voces ſunt Prædicatio, fulgura ſunt Energia & efficatio verbi Dei, hoc enim cor peccatoris penetrat, quaſi fulgur.

De Throno voces, tonitrua.

Et 7. Lampades ardentes ante Thronum, qui ſunt 7. Spiritus Dei. Alludit ad 7. Lucernas Candelabri in Tabernaculo Moyſis. Septem Hi Spiritus & Lampades genuinè ait P. Cornel. ſunt 7. Primarii Angeli, quibus commiſſa eſt eura Eccleſiæ, hominum.

v. 6. *Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile criſtallo: & in medio ſedis, & in circuitu ſedis, quatuor animalia plena oculis antè & retrò.* v. 7. *Et animal primum ſimile Leoni & ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti.* v. 8. *Et 4. Animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas: & in circuitu & intùs plena ſunt oculis: & requiem non habebant die ſac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.*

Apoc. 4. Mare vitreum.

Quæres. Quidnam hoc mare vitreum? Richard. & Rupertus accipiunt Sacramentum Baptiſmi. Dionyſ. Carthus. pœnitentiam. Huc accedit P. Alcazar, qui cenſet mare vitreum ad literam referre, ingens illud vas aquæ in Templo. Porrò mare hoc vitreum æquè ac illud æneum ſuſtentabatur à 12. Bobus æneis. Sicut ergo mare æneum, quô lavabant ſe Sacerdotes ſacrificaturi, erat Symbolum pœnitentiæ, ita & hoc vitreum ſuſtentatut à 12. Apoſtolis &c. Joachim per ma-

mare vitreum intelligit S. Scripturam. Ribera præſens ſæculum, per quod, quaſi per mare tranſimus ad Portum Beatitudinis. Andreas. Cæſar. dicit: mare vitreum ſunt aquæ, quæ ſunt ſupra Firmamentum. P. Pererius. P. Cornel. propriè mare vitreum cenſent eſſe cælum Empyreum, quod eſt ſedes Dei & Beatorum. Hoc dicitur mare ob amplitudinem, quia vaſtiſſimum eſt. Vitreum ob ſubtilitatem & tranquilitatem, unde Joannes c. 21. comparat cæleſtem Jeruſalem vitro &

243. cryſtallo. Et in medio ſedis & in circuitu ſedis 4. animalia. P. Cornel. Propriè animalia non poterant eſſe in medio ſedis & ſimul in ejus circuitu, ùt ait Ambros. præſertim quia in medio ſedis ſedebat ipſe Rex. Unde P. Alcazar exponit, in medio ſedis, id eſt, in medio conſeſſus hujus, ſcilicet inter DEum & 24. Seniores. Sedes deinde, ait, ſumenda eſt latè cum ſuppedaneo ita ampla, ut 4 hæc animalia per 4. Latera diſtributa caperet.

4. Animalia. Apoc. 4.

Iſta animalia P. Cornel. cenſet fuiſſe eadem cum illis Ezechielis c. 1. quoad primariam ideam, non quoad accidentia & emblemata omnia, dicítque, communem eſſe ſententiam, tota & integra animalia hæc fuiſſe, qualia hic nominantur. v. g. animal, quod dicitur ſimile Leoni, habuit, pectus, caput, jubas, omniáque membra Leonis, ſimilter de aliis dicendùm. Non minus tamen probabiliter & concinnè imò probabilius, ait P. Cornel. cenſet P. Alcazar hæc animalia non integra fuiſſe, ſed tantùm capita animalium quoad cætera membra habuiſſe ſpeciem & figuram humanam, (erant enim Animalia non vera & naturalia, ſed Symbolica.) Quæres. Quidnam ſunt hæc 4. Animalia? Aretas hiſce 4. animalibus ſignificari putat 4. virtutes Cardinales. In Leone fortitudinem, in vitulo juſtitiam, in aquila Temperatiam, in homine Prudentiam. Alii cenſent eſſe 4. Doctores Eccleſiæ. Scilicet hominem eſſe Facilem S. Gregorium Leonem fortem Ambroſium. Bovem Laborioſum & ſolidum Hieronymum. Aquilam ſublimem Auguſtinum.

Doctoribus quatuor. Eccleſiæ, accomodantur 4. Animalia.

P. Alcazar deſignari his animalibus cenſet non ſolùm 4. Evangeliſtas, ſed viros Sanctiſſimos, qui majoris ſunt perfectionis, quàm 24. Seniores. Multi deinde cenſent (ait P. Cornel.) eſſe 4. Evangeliſtas, nam iis hanc viſionem adaptat Eccleſia, dum eam legit in officio Eccleſiaſtico eorundem. Plures planiùs hæc animalia Evangeliſtis ſic accomodant. Ut Leo

 ſit

ſit S. Marcus. Vitulus S. Lucas. Homo S. Matthæus. Aquila S. Joannes.

P. Cornel. cum Perer. & Hieronym. Prado. in cap. 1. Ezechiel. dicit ad Literam hæc 4. Animalia eſſe eadem cum illis, quæ vidit Ezechiel, c. 1. ac proinde eſſe 4. Angelos, Primarios ſtipatores & adminiſtros Dei circa curam Eccleſiæ, hominum. Hinc affingitur illis ſimilitudo 4. animalium nobiliſſimorum, quibus ſignificantur ſtemmata tum Dei, tum ſua. Aquila ſignificat Dei Celſitudinem & Sapientiam. Homo Bonitatem & Manſuetudinem. Bos patientiam, juſtitiam, religionem & cultum. Leo fortitudinem & potentiam. Quæ 4. à Deo participant & in ſe repræſentant hi Angeli, ita S. Dionyſ. & alii.

Plena oculis antè & retrò Animalia. Ezechiel. c. 1. v. 18. oculos hoſce conſpexit in Rotis currûs, Joannes verò in ipſis animalibus, puta Cherubinis. Communiter veri hic accipiuntur oculi, non picti. Jam ſenſus eſt plena oculis ante & retrò, quaſi diceret. Hæc Animalia, puta hi Cherubini, perſpicaciſſimo ſunt intellectu & cognitione tum naturali, tum ſupernaturali, omnia vident præterita & futura, ut videantur eſſe puri & meri oculi.

v. 8. Singula habebant alas Senas. Alludit ad Seraphinos Iſaiæ c. 6. hiſce ergo quoad alas, uti & quoad voces. Sanctus Sanctus, Sanctus. Similia erant hæc Animalia Joannis,

Requiem non habent. q. d. vidi, quod hæc Animalia ſine ceſſatione laudant Deum, mente & voce clamando: Sanctus, Sanctus Sanctus. quia hi Angeli aſſiduò toto corde & ore prædicant & celebrant Sanctiſſimam Trinitatem. Angelici ergo ordinis ſunt, qui ſemper laudant DEum. Qua ratione ſemper laudandus docet S. Baſil. in Pſal. 33. v. 1. Cogitatio, quæ de Deo ſemper impreſſa eſt, & velut ſigillo obſignata, in præcipua animæ parte, nimirum in mente, poteſt Laus Dei rectè apellari, ſemper in anima exiſtens. *Deus ſemper Laudandus.*

Porrò in hoc Triſagio: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Myſterium Sanctimæ Trinitatis repræſentari docent S. Baſil. Epiphan. & alii.

Notat P. Cornel. & fusè explicat, quòd Sanctitas ſit ipſa juſtitia, Rectitudo, Perfectio mentis, quòd ſit ipſa Innocentia ab omni labe. v. 10. Procidebant 24. Seniores ante ſedentem in Throno & adorabant viventem in ſæcula ſæculorum & mittebant coronas ſuas ante Thronum dicentes: Dignus *Apoc. 4.*

nus es Domine DEus noſter accipere gloriam & honorem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata ſunt. Mittebant coronas ſuas. P. Cornel. tanquam Regnum ſuum quod in cælis adepti ſunt, victorias, triumphos & coronas ſuas Deo acceptas ferentes, ſicuti Romani Triumphatores conſcendebant Capitolium & poſt Triumphum coronas Triumphales dicabant Jovi Capitolino, quaſi earum Authori, teſte Alexandro ab Alex. l. 6. ita ad literam merita ſua eorúmque, coronas, Deo obtulerunt & reſignarunt omnes Sancti. *Seniores Coronas mittunt.*



Caput

Caput decimum tertium.

Deſcribuntur, quæ vidit D. Joannes Apocalypſis. 5. Scilicet. Librum. Agnum tanquam occiſum. Seniores cum Citharis. Et cap. 6. Apoc. Nimirum: Agnum aperientem Sigilla, ad quorum apertionem vidit equos & equites, animas Interfectorum. Signa ſtupenda præceſſura Diem judicii.

244. Apoc. 5. APocalypſis. 5. S. Joennes videt librum in manu Dei ſignatum ſigillis 7. Scriptum intus & foris, quem nemo in cælo & in terra aperire poterat, ſed ſolus agnus occiſus eum aperuit, quocirca 4. Animalia & 24. Seniores, omnésque Cælites tam DEum quàm agnum celebrant & glorificant, Cantico novo.

V. 1. *Et vidi in dextera ſedentis ſuper Thronum, librum ſcriptum intùs & foris ſignatum ſigillis 7.* V. 2. *Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna, Quis eſt dignus aperire librum & ſolvere ſignacula ejus?* V. 3. *Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum* V. 4. *Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus eſt aperire librum, nec videre eum.* V. 5. *Et unus de Senioribus dixit mihi: Ne fleveris: ecce vicit Leo de tribu Juda, Radix David, aperire librum, & ſolvere 7. ſignacula ejus.*

Quæres. Quiſnam eſt hic liber ſignatus? Ambroſius, Rupertus & alii cenſent eſſe ſacram Scripturam ſive Prophetias novi & veteris Teſtamenti. S. Hilarius Chriſtum, quia hic eſt hujus libri materia. Alii librum hunc accomodant Euchariſtiæ, in ea enim agnus, id eſt, Chriſti Paſſio & Mors repræſentatur, ipſéque Chriſtus Paſſus & occiſus velatur. 7. Signacula, quæ abſcondunt Chriſtum in Euchariſtia, ſunt Odor, Sapor, Color, parvitas, levitas, rotunditasque gracilitas hoſtiæ. Alii hunc librum putant eſſe Chirographũ peccati Adæ, puta obligationem & reatum peccati, quo Adam ſe & nos Deo vindici obſtrinxit. Oecumen. Lyran. cenſent hunc librum eſſe præſcientiæ, providentiæ, & prædeſtinationis Dei, quæ nobis clauſa eſt. Genuinè liber hic, ait P. Cornel. eſt Apocalypſis ſive Apocalypſeos myſteria & oracula in Dei præſcientia, providentia & prædeſtinatione, quaſi in libro contenta. Myſteria hæc ſunt de Regno & perſecutione Antichriſti. (Liber ſignatus quis?)

Scriptum intùs & foris, id eſt, (P. Cornel.) intùs & à tergo, hoc eſt, utraque parte membranæ, veterum enim libri erant convoluti, convolvebantur enim circa Cylindrum vel baculum aliquem, & vidi Angelum fortem, id eſt, Gabrielem, ait Lyranus, qui dicitur Fortitudo DEi.

Et unus de Senioribus dixit mihi. Hunc ſeniorem fuiſſe S. Lucam cenſet P. Alcazar, Lyranus vult fuiſſe S. Petrum.

Leo Chriſtus. Ecce vicit Leo de tribu Juda. Notat P. Cornel. Chriſtus hìc vocatur Leo, mox Agnus occiſus, quia per manſuetudinem, innocentiam & infirmitatem mortis & Crucis meruit & obtinuit ſummam potentiam & imperium. Porrò Chriſtus vocatur Leo. 1. quia ortus de tribu Juda. 2. Ob eximiam fortitudinem 3. Ob Regiam Dignitatem. &c.

V. 6. *Et vidi: & ecce in medio Throni & 4. animalium, & in medio Seniorum, Agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem & oculos 7. qui ſunt 7. Spiritus Dei, miſſi in omnem terram.* V. 7. *Et venit: & accepit de dextera ſedentis librum,* V. 8. *Et cùm aperuiſſet librum, 4. Animalia & 24. Seniores, ceciderunt coram agno, habentes ſinguli Citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* P. Cornel. Chriſtus hìc, qui vocatus fuit ob fortitudinem Leo, nunc ob manſuetudinem & innocentiam vocatur Agnus. Nota. Vocatur Chriſtus Agnus Dei, quia à Deo, id eſt, juſſu & voluntate Dei pro hominum redemptione eſt immolatus. Stantem. P. Cornel. non jacentem, licèt enim hic agnus olim fuit occiſus, jam tamen erat vivens. Stabat ergo, non jacebat. Primo ergo. Stantem. Chriſtus enim reſurrexit ad vitam immortalem. ait Gloſſa. 2. Stantem. ad Judicandum. ait Panormitan. Tanquam occiſſum. Quia Chriſtus Reſurgens ſervavit 5. Vulnerum cicatrices. Ita Andreas, Aureolus, & Lyranus, cenſent Chriſtum quaſi occiſum propter Euchariſtiam, in qua Chriſtus non eſt occiſus, ſed tanquam occiſus. Habentem cornua 7. & oculos 7. P. Alcazar. ſatis concinnè hæc cornua in Agno depingit, ita, ut in mo- (Apoc. 5. Agnus tanquam occiſus.)

dum coronæ caput, puta summitatem frontis ambiant, deinde eodem modo singulos oculos singulis cornibus supponit, ac præter hos septem oculos Symbolicos, duos dat ipsi naturales.

Quæres. Quænam sint hæc cornua septem? Beda & Rupert. censent, significari per 7. cornua & oculos 7. Dona Spiritus S. Optimè, (ait P. Cornel.) Pererius & Ribera, per 7. cornua & 7. oculos accipiunt 7. Spiritus, uti mox se explicat Joannes, puta, 7. Angelos Primarios, Præsides Ecclesiæ. Hi dicuntur

Angelorum Fortitudo. esse cornua, quia sunt Fortissimi ad profligandos Dæmones, ad tutandam Ecclesiam, ad patranda miracula, ad defensionem justorum &c. Porrò Agnus pedibus excepit & aperuit librum, pedes enim agno sunt vice manuum. Sic videmus Simias & alia animalia pedibus efficere ea, quæ solent homines manibus.

v. 8. Et cùm aperuisset librum. Dices: Necdum reseraverat Agnus sigilla libri, illa enim reserat. c. 6. Quomodo ergo hic dicitur aperuisse librum? Respondet P. Cornel. cùm aperuisset, id est, aperire cæpisset, nam sensim & ordine singula libri sigilla reseravit. ut patet. c. 6. 1. &c. significatur ergo hic actus inchoatus, non consummatus, uti & sæpè alibi. Notat P. Cornel. hæc omnia, non re vera fiebant, nec re ipsa gerebantur sed tantùm symbolicè in visione. Angelus enim hæc symbola pingebat in phantasia S. Joannis.

Habentes singuli citharas. **Citharæ.** scilicet 24. Seniores. Ansbertus & Alcazar, extendunt. To. singuli, etiam ad 4. Animalia, Andreas per citharas censet significari suavem Dei Laudem. Rupertus pectora casta Laudes Dei personantia. Richardus Bona opera Sanctorum. P. Cornel. ait genuinè & planè ad literam per Citharas 1. per Synedochen, intellige instrumenta Musica, puta, Organa, Lyras, Tubas &c. quibus Sancti in corpore Glorioso psallunt & laudant DEum, hæc enim in cælo fore, insinuat hìc Joannes, uti & c. 14. Corpora enim & aures Beatorum, uti & reliqui sensus, æquè ac mens & Spiritus suam in cælo habebunt voluptatem, eámque summam. 2do. ait P. Cornel. per citharas intellige cum Andrea & Areta quamlibet modulationem, & hymnodiam, quâ ore consono omnes Sancti uniformiter laudant Deum.

Mysticè & Tropologicè Primasius per citharam accipit crucem agni, id est, Christi, ejúsque Passionis & mortificationis imitationem, ita & Beda, Rupert.

Rursum P. Viegas & alii per citharas accipiunt prædicationem Evangelii, ipsosque ejus Prædicatores.

Oratio Thymiama. *Et phyalas aureas plenas adoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* P. Cornel. Notat. Orationes Sanctorum comparantur hìc suffitui non cujusvis rei, sed odoramentorum. 1. Quia oratio sursum instar thuris ascendit. 2. Quia Thymiama in igne adolebatur & cremabatur, ita Oratio in igne tribulationum exardescit. 3. Thymiama fiebat ex aromatibus contusis, sic Oratio ex animo mortificato & humili procedere debet.

v. 9. *Et cantabant canticum novum.* P. Cornel. Quia cantui erat materia nova, scilicet nova Christi Incarnatio, Passio, Doctrina, Miracula, Beneficia, Sacramenta. Dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni Tribu, & Lingua, & populo, & Natione. v. 10. Et fecisti nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes. Ecclesia enim est Regnum sacerdotale & Regale Sacerdotium Dei & Christi. Quomodo in cælis omnes Beati sunt Reges, ita explicat S. Anselm. Ep. 2. ad Hugon. Nullus, **Conformi-**

ibi volet, nisi quod Deus, & **tas ad Dei voluntatem Beatitudo.** quod volet unus, hoc volent omnes, & quod volet unus vel omnes, hoc ipsum volet Deus, & sic singuli erunt perfecti Reges, quia quod singuli volent, hoc erit, & omnes simul cum Deo, Unus Rex, & quasi unus homo, quia omnes unum volent, & quod volent, erit.

v. 12. Adivit S. Joannes vocem Dicentium voce magna *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & Honorem, & Gloriam, & Benedictionem.*

P. Alcazar. Divititas in Græco putat poni pro Divinitate, sermo enim est de ostensione divitiarum in earum communicatione, id quod Divinitatis est proprium, scilicet, Divitem esse in misericordia, & beneficentia, idque putat esse probabilius. P. Cornel. Porrò Deus nomen accepit à divitiis, ut observat P. Cornel. tum apud Latinos quàm Græcos & Hebræos imò & apud Illirios. Illiriis enim Bogh est Deus. Bogath Dives. Bogaztuo. Divitiæ.

v. 14. Et 24. Seniores ceciderunt in facies suas: & adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.

Apocalyp. cap. 6. Agnus ape- 245.
rit 7. libri signati sigilla. Nimirum, Primum. v. 1. Aperit, & **Apocalypsis. 6.** exit equus albus cum equite haben-

bente Arcum & coronam. 2dum. aperit. v. 3. Et exit equus Rufus cum equite habente gladium magnum. 3tium. aperit. v. 5. Et exit equus niger cum equite habente in manu stateram. 4tum. aperit. v. 7. Et exit equus pallidus, cui insidet mors, quem sequitur Infernus. 5tum. aperit v. 6. Et prodeunt animæ Sanctorum Martyrum Petentes vindictam. 6tum. aperit v. 12. Et fit ingens terræ motus, Sol obscuratur, Luna ùt sanguis rubescit, stellæ de cælo cadunt, omnes homines territi in speluncas se abdunt.

Notat cum Ribera P. Cornel. ad cap. 5. Apocal. v. 1. septem signacula libri non ita intelligenda esse, quasi illis solutis legeretur in libro id, quod quolibet soluto vidisse se narrat Joannes, uti soluto primo sigillo, narrat se vidisse equum album, soluto. 2do. Rufum &c. Hæc enim non legit in libro, sed singulis sigillis apertis singula sub illis latentia & clausa reserari, sibique ostendi vidit, nihil enim in libro legi poterat, nisi post resignationem omnium 7. Sigillorum, erat enim liber convolutus, itáque forinsecus 7. Sigillis obsignatus, ergo id, quod post cujusque sigilli reserationem vidit Joannes, non in libro, ut potè adhuc aliis sigillis clauso, sed sub ipso sigillo quasi absconditum, eoque aperto, patefactum vidit.

Equus Albus.

v. 1. *Et vidi, quòd aperuisset Agnus unum de 7. Sigillis, & audivi unum de 4. Animalibus,* (puta Leonem) *dicens, tanquam vocem tonitrui: veni & vide. v. 2. Et vidi: & ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona & exivit vincens, ut vinceret.*

P. Cornel. Ex 4. Primis libri signati sigillis 4. prodeunt equi. 1mus Albus. 2dus Rufus. 3tius Niger. 4tus. Pallidus. Quid significent hi equi, varii sunt sensus. P. Cornel. à lap. dicit. 7. Sigilla significare 7. Mysteria, æquè ac tempora arcana à Deo statuta & signata, quibus res, quæ his sigillis continentur, ordine quæque suo & tempore usque ad Antichristum, finemque mundi manifestabuntur, ita, ut uno desinente, mox ordine suo succedat aliud. v. g. ut desitio 2di. sit inchoatio 3tii. itáque Primo sigillo inducitur hìc Christus, quasi eques albatus, qui cum tribus sequentibus equis & equitibus puta rufo, nigro &c. successivè certabit, singulósque tandem prosternet, nimirum Gentiles, quos significat equus rufus, Hereticos, quos significat equus niger, Turcas & Saracenos, quos signicat equus pallidus. Subdit

ulteriùs hoc signo albi equi & equitis significari bellicosissimum & victoriosissimum Primitivæ Ecclesiæ statum. Nam equus Symbolum est belli. Dicítque 1mo. Equus albus sunt Apostoli, alii Præcones Evangelii: ut S. Ignatius, Policarpus, Dionysius &c. per quos Christus Orbem debellavit, ita Haymo, Ribera &c. Nota. Apostoli rectè comparantur equo, ut notat Thomas anglic. 1mo. Propter ejus alacritatem, ferociam in prælio, pulchrè equum describit Job c. 39. 20. *Gloria narium ejus terrore. Terram ungulâ fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatis. &c.* Ita Apostoli erant alacres contra Dæmones, mundum peccata. 2do. Propter officium equi portandi equitem, sic Apostoli quasi equi portârunt equitem Christum per Sanctam operationem, tum per Evangelicam prædicationem. 3tio. Propter equi patientiam. &c. Dicit. 2. Sessor hujus equi est Christus. dicit 3. Arcus Christi est sacra scriptura, sive verbum Dei, de qua tot procedunt sagittæ, quot verba & sententiæ. Dicit 4. Equus hic est albus, ut significet lætum & festivum fore hoc prælium. Sic 5. Angeli in equis fulgidis apparuerunt opem ferentes Machabæo & Judæis. 2. Machab. 10. Sic sæpè S. Jacobus equo albo insidens Hispanis eum invocantibus apparuit, opemque tulit. &c.

Equi pulchra descript.

Romæ, Die omnium maximè festo, quo novus Pontifex ad Lateranum, possesionem Pontificatûs accepturus deducitur, omnes Præsules ei in equis albis adequitare solent.

Ait S. Augustin. Christi gratia est in Sancti Hominis anima, sicut sessor in equo.

Equus Rufus Apoc. 6.

v. 3. *Et cùm aperuisset sigillum 2dum, audivi 2dum animal,* (habens speciem vituli) *dicens: veni & vide.* v. 4. *Et exivit alius equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei, ut sumeret pacem de terra, & ut invicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus.* Notat P. Cornelius tres sequentes equi sunt oppositi, Primo, scilicet, Albo, cujus sessor est Christus, nam rufus pacem terræ conturbat, niger staterram habet fraudulentam, quartus sessorem habet mortem & comitem Infernum. Ita docet Beda, Haymo, Lyran. Perer. & alii, licèt id negent, Aretas, Arias Alcazar, qui censent omnes hosce 4. Equos eundem habere sessorem, scilicet, Christum, verùm Priorum sententia uti communior, ita longè probabilior, ait P. Cornel.

Jam per equum rufum, Andreas, Cæsar, viegas, P. Cornel. inteligunt populum Paganum,

Gentilem, Ecclesiæ Persecutores, adeóque ipsas Decem cruentas Christianorum persecutiones, quæ fuerunt à Nerone, usque ad Constantinum per Annos 250. Hujus equi sessor est Trajanus, Antoninus, Decius, Diocletianus, aliique Romani Imperatores & Tyranni, hi enim gestârunt gladium, quia illum exeruerunt in Christianos.

Equus niger Apoc. 6.

v. 5. *Et cùm aperuisset sigillum 3tium, audivi tertium Animal dicens:* (quod erat homo) *veni & vide. Et ecce Equus niger: Et qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua. v. 6. Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum & oleum ne laeseris.*

Per equum nigrum Thomas Anglic. Perer. Ribera. P. Cornel. accipiunt Hæreticos, qui in errorum nigris tenebris versantur, suntque veritatis hostes. Hujus equi, ait P. Cornel. Sessor est Diabolus vel ipse Hæresiarcha. v. g. Arius, habet stateram, id est, S. Scripturam, ad quam omnia vult librare & examinare, non in mente sed in manu, quasi ad libitum versatilem & flexibilem, ut eam ad errores suos, prout libuerit, torqueat & inflectat. Potest quoque cum P. Pererio per stateram accipi simulata & ostentata justitia. Voces bilibris & denarius significant, ait P. Cornel. magnam fore caritatem annonæ spiritualis, id est, verbi Dei sub Arianis Gothis, aliisque Hæreticis.

Equus Pallidus.

v. 7. *Et cùm aperuisset sigillum 4tum, audivi vocem quarti animalis* (quod erat aquila) *dicentis: veni & vide. v. 8. Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum, & data est illi potestas super 4. Partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ.* Thomas Anglic. Dionys. Richard. & alii per equum pallidum accipiunt Hypocritas & impios fideles, hi pallidi sunt, quia Hypocritæ jejuniis & carnis maceratione, vel certè ejus fuco & ostentatione facies suas exterminant, ait Richard. & Hugo.

Sed hic sensus generalior est, magisque moralis, quàm literalis, ait P. Cornelius à lap. Quare cùm Joachim, Seraphino, Pererio, aliisque per equum hunc pallidum intelligit Sectam Machometis, Turcas & Saracenos, addit P. Cornelius, & Tartaros, infensissimos Hostes Christianorum. Hæc secta rectè comparatur equo, quia planè irrationalis est, bruta, & carnalis. Addunt nonnulli Regnum Tur-

Tur-

Turcarum vocari mortem & infernum, eò quòd ejus vires & milites constent Scythis, præsertim habitantibus juxta Bosphorum, Cimmeriam & Pontum Euxin. ibi enim est Cerberion mons & oppidum Cocythus, Phlegethon & Tartarus, quocirca Homerus Inferni sedem collocat apud Cimmerios. Ex dictis sequitur: Saracenismum esse quartam & ultimam generalem Ecclesiæ persecutionem, ac post eam mox secuturum finem mundi. Ait P. Cornel. à lap. ad illum enim statim transit S. Joannes in 6to. Sigillo v. 12. ac consequenter appropinquare illum in hoc sexto illius annorum millenario. Mundi enim ætas censetur esse Sex millia annorum, uti ostendit P. Cornel. c. 20. v. 5.

246. Animæ inter fectorum sub Altari. Apoc. 6.

v. 9. *Et cùm apperuisset sigillum 5tum, vidi subtus Altare Animas interfectorum, propter verbum Dei & propter testimonium, quod habebant. v. 10. Et clamabant voce magna dicentes: usquequo Domine* (Sanctus & verus) *non judicas & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra. v. 11. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: Et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum donec compleantur conservi eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.* P. Cornel. à lap. hic. Animas interfectorum.. Martyrum scilicet omnium, qui occi sunt vel à Romanis imperatoribus vel à Gothis, Arianis aliisque Hæreticis, vel à Turcis & Saracenis. Subtus altare. Per altare significatur hic duplex Altare, scilicet altare Holocaustorum & altare Thymiamatis, in eo enim quasi immolata & sub eo quasi sepulta sunt corpora Martyrum. Notat P. Cornel. Corpora Martyrum ex antiquo more, & sanctione Felicis Papæ Primi solebant sepeliri sub altari, uti docent S. August. Anselm. Richard. Quia enim Martyres instar holocausti erant immolati Deo super altare hoc, hinc sub eo pariter sepeliebantur.

Quæres. Quod judicium, quam vindictam à Deo postulent animæMartyrum? Respondet P. Cornel. Hasce animas primario non tam poscere Injuriantium & Persecutorum punitionem, quàm Innocentium puta sui suarúmque assaeclarum, ab injuria liberationem.

v. 11. *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ:* Id est, plena puritas quies & spes certa beatitudinis, inquit Aretas, Cæsar & S. Bernard. verùm P. Cornel. dicit: stola alba est gloria & beatitudo animæ, quam Martyres acceperunt.

Signa Judicii extremi. Apoc. 6.

v. 12. *Et vidi, cùm apperuisset sigillum 6tum. Et ecce terræ motus magnus factus est, & Sol factus est niger tanquam saccus Cilicinus; & Luna tota facta est sicut sanguis:*

v.

v. 13. *Et stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit Grossos suos, cùm à vento magno moventur.* v. 14. *Et cælum recessit sicut liber involutus: Et omnis mons, & insulæ de Locis suis motæ sunt,* v. 15. *Et Reges terræ & Principes & Tribuni & Divites & fortes, & omnis servus, & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium:* v. 16. *Et dicunt montibus & petris: cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super Thronum, & ab ira Agni.* v. 17. *Quoniam venit Dies magnus iræ ipsorum: Et quis poterit Stare.* Ambros. & Rupert. hæc referunt ad Judæorum reprobationem & excidium per Titum. P. Cornel. à Lap. dicit S. Joannem hìc transire ad tempora novissima & ad finem mundi, id patet ex ipsis verbis, quæ propriè nulli alteri convenire possunt, præsertim si quis ea conferat cum verbis Christi, Matth. 24. 25. Hoc ergo sexto sigillo describit ultimam Dei vindictam in impios, signáque horrenda, quæ præibunt & indicabunt instare extremum Judicium. Ita & Primas. Victor. Haymo. Riber. Perer. & alii. Aliqui censent hæc omnia signa uti & cæteras plagas, quæ cap. 8. & 9. recensentur, fore ante Antichristum. Verùm hoc difficile est creditu, ait P. Cornel. sunt enim hæc signa Judicii instantis, & Judicis advenientis. Unde dicunt impii. v. 16. *Montibus & Petris: cadite super nos* &c. *à facie sedentis super Thronum.* Quomodo hæc dicent, si inter hæc signa & Diem Judicii intercedant plures anni, puta totum tempus Regni, aut saltem Monarchiæ Antichristi, quæ erit trium annorum cum dimidio, quomodo dicerentur hæc signa Judicii & Judicis Christi, cùm potiùs essent signa advenientis Antichristi. Dicit ergo P. Cornel. hæc signa inchoanda fore ante Antichristum, ideòque poni inter sigilla, sed complenda esse post Antichristum, idque plura & majora. Dicit deinde P. Cornel. à Lap. Hæc planè ad literam, ùt sonant, esse accipienda. In fine ergo mundi Deus ad vindictam peccatorum solem faciet nigrum, Lunam sanguineam, per interpositionem nubis ita dispositæ, ut per impressionem radiorum Lunæ, ipsa videatur tota sanguinea, ad significandam Divini Judicii severitatem, ait Suarez. fiet deinda Luna rubea, ut videatur quasi pudore vultûs sui de turpissimis & atrocibus hominum sceleribus, noctu præsertim, cùm lucet luna, perpetratis erubescere.

v. 13. *Stella de cælo ceciderunt.* Ribera, Perer. P. Cornel. per stellas accipiunt Cometas, fulgura, ignes cadentes, aliáque meteora ignea instar stellarum, qualia multa erunt in fine mundi, eáque novæ & prodigiosæ magnitudinis, formæ, figuræ, motus & lapsus, Deus enim illa, quasi horribilia fulgetra & tonitrua jaculabitur & deturbabit in terram, ut homines terrefaciat. Stellæ de cælo quomodo cadent.

v. 14. *Cælum recessit sicut liber involutus.* P. Cornel. sicut Liber more veterum Cylindro involutus absconsis literis legi non poterat, ita cælum ejusque stellæ quasi Literæ abscondentur atris nubibus & tenebris, ut videri non possint, ut videantur in alium mundum recesisse.

Per virtutes cælorum P. Cornelius cum Jansenio intelligit Astra cælestia ætherea non aerea. P. Franc. Suarez. 3. par. qu. 59. ar. 6. intelligit Angelos, commovebuntur enim & comparabunt se, ut fiant Ministri Divinæ Justitiæ, qui cælos & elementa commoveant, qui nimirum omnes illas admirandas mutationes & motus in sole, stellis, mari, & terra causent & efficiant.

Et omnis mons & Insulæ de locis suis motæ sunt. P. Cornel. propriè, ut verba sonant. Nota. Hæc eadē signa horrenda Judicio & excidio orbis prævia prædixerunt alii Prophetæ, partim sensu literali, partim allegorico. v. g. Joel. c. 3. 2. Ad literam. *Congregabo omnes Gentes & deducam eas in vallem Josaphat: Et disceptabo cùm eis ibi super populo meo.* & v. 14. *Juxta est Dies Domini in valle concisionis: Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* De Judicio Dei Prophetiæ.

Amos. c. 8. 9. *Et erit in die illa: Occidet Sol in meridie, &c.*

Ezechiel literaliter, stragem Pharaonis & Ægypti, Antichristi & impiorum, ac mundi ita describit. c. 32. v. 7. *Operiam, cùm extinctus fueris, Cælum, & nigrescere faciam stellas ejus: solem nube tegam, & Luna non dabit Lumen suum. &c.*

Moraliter disce ingens esse, & fore malorum supplicium, metum & pavidam expectationem plagarum imminentium. Pejor est bello timor ipse belli. itaque sæpè rei magis affliguntur timore & apprehensione mortis, ad quam damnati sunt, quàm ipsa morte, nam singulis momentis ita anguntur, ut mori millies videantur.

Caput decimum quartum.

Duodecim millia ſignati qui? Quæ Turba magna? Angelus cum Thuribulo in Cælo. Sex Angeli Tuba canentes & plagæ poſt hunc cantum. Aquila dicens væ, væ, væ. Stella aperiens puteum abyſſi. Angelus jurat, per viventem in Sæcula Sæculorum.

247. Apoc. 7. 12. millia ſigi.

APocalypſis 7mo. Signantur ab Angelis electi, nè tangantur plagis impiorum, puta 12. millia, ex ſingulis Tribubus Iſrael. Deinde, Joannes videt innumeram Turbam ex gentibus ſtantem ante Thronum Dei, cum ſtolis albis & palmis, gratias agentes & Laudantes Deum & Agnum. Notat P. Cornel. hoc caput 7mum Apocalyſeos pertinere ad ſextum ſigillum. Itaque hoc caput eſt Pars ſexti ſigilli, ſed ita, ut ſit quaſi Præambulum & Præparatio ad caput ſequens & ad 7mum ſigillum. Notat P. Cornel. S. Joannes per viſionem vidit hos ſignatos in Cælo, quia ſignati & conſcripti erant cives in cælo, revera autem adhuc exiſtebant & militabant in Terra.

4. Angli Præſides ventorum.

Apoc. 7. v. 1. *Poſt hæc vidi 4. Angelos, ſtantes ſuper 4. Angulos Terræ, tenentes 4. ventos Terræ, nè flarent ſuper Terram.* v. 2. *Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi: & clamavit voce magna 4. Angelis, quibus datum eſt nocere Terræ & Mari.* v. 3. *Dicens nolite nocere Terræ & Mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.* v. 4. *Et audivi numerum ſignatorum, centum quadraginta quatuor millia ſignati, ex omni Tribu Filiorum Iſrael. Ex Tribu Juda 12. millia &c.* Nota 4. Primarii venti ſunt. Aquilo à ſeptemtrione, Auſter à meridie, Eurus ab oriente, Zephyrus & Favonius ab occidente.

P. Alcazar, P. Cornel. putant Angelos hoſce fuiſſe quaſi quatuor Æolos ventorum Dominos, qui eos quaſi furentes vinculis & carcere frænent, præſidereque hos 4. Angelos 4. ventis, ſingulos

los ſingulis. Angelos hos bonos cenſet eſſe non malos. P. Cornel.

Angelus habens ſignum.

Angelum habentem ſignum. Alcazar cenſet eſſe Spiritū S. qui Fideles ſignat ſe ipſo, ſuaque gratia. Ribera, Perer. P. Cornel. cenſent hunc verū fuiſſe Angelum.

Quoadusque ſignemus, alluditur ad ſervos ſeu mancipia, quæ olim ab Hero, ſtigmate fronti inuſto ſignabantur, ut ſi fugerent, ex ſtigmate cognoſcerentur. Signabunt ergo Angeli, ait P. Cornel. in fine mundi electos ſigno crucis. 1mo. per Sacerdotes in Baptiſmo & Confirmatione. 2. Spiritualiter inducendo ad conſtantem Fidei & Crucis profeſſionem. 3. Andre. Cæſar. Tempore, inquit, Antichriſti ſigno Crucis Fideles ſe diſtinguent ab Infidelibus, intrepidè ſignum Crucis in conſpectu eorum deferentes.

144. millia ſignati.

Notat P. Cornel. numerum 144. millium ſignatorum tantùm eſſe eorum, qui in fine mundi convertentur ad Chriſtum & ſalvabuntur, ante & poſt Antichriſtum. Ita & Ribera, Perer. In fine ergo mundi ex ſingulis Judæorum Tribubus 12. millia convertentur (ait P. Cornel.) ad Chriſtum, 12. enim millia multiplicata per 12. faciunt 144. millia. Quod præcisè 144. millia ſalvandi ſunt Judæi, affirmat Ribera, additque neminem ex Tribu Dan (quia ea hìc omittitur) ſalvandum fore. Veriſimilius (ait P. Cornel.) Pererius & alii cenſent, plures ex ſingulis Tribubus ſalvandos eſſe & per 12. millia ſignificari omnes. Notat P. Cornelius. Ex Tribu Dan orietur Antichriſtus, ideóque Danitæ penè omnes, illum ut contribulem ſuum ſequentur, ideóque tribus illa penè à Deo exciſa erit.

Turba magna Beatorum. Apoc. 7.

v. 9. *Poſt hæc vidi Turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & Tribubus & Populis & Linguis ſtantes ante Thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis & palmæ in manibus eorum.* v. 10. *Et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper Thronum & agno.* v. 11. *Et omnes Angeli ſtabant in circuitu Throni. Et ceciderunt in conſpectu Throni in Facies ſuas & adoraverunt Deum.* v. 12. *Dicentes. Amen,* (quaſi fiat fiat) *Benedictio, & Claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, Honor, & virtus, & Fortitudo Deo noſtro in Sæcula Sæculorum Amen.* Notat P. Cornelius, vidi Turbam magnam, intellige ſignatorum, & ex Gentilibus etiam fuerunt ſignati, de Judæis tamen dicitur id, quia illi fuerunt Primi in Regno Dei. Porrò Turbam Beatorum magnam colligit P. Cornel. ex ingenti numero ſolorum Martyrum. Sub uno Diocletiano quolibet menſe cæſa ſunt

Martyrum magnus numerus.

sunt 17. millia, adeoque per decem annos, quibus ea persecutio duravit, duo milliones. P. Fran. Arias L. 3. de Imit. Chr. c. 32. ostendit ingentem fuisse numerum Martyrum ac tandem in fine cap. 35. concludit, facilè quolibet die Anni numerari & coli posse 30. Martyrum millia. Amicti erant stolis albis, scilicet, vestibus Honoris, Gloriæ, & Triumphi. Notat P. Cornelius. Animas hasce fuisse non tantùm Martyrum, sed quorumlibet Fidelium Electorum. Palmæ in manibus eorum. P. Cornel. Palma apud Historicos sacros & Prophanos Symbolum est victoriæ. Unde & in Templo Salomonis Palmæ erant insculptæ. Palma igitur hic datur Sanctis futuris in fine mundi, quia acre habebunt certamen, cum Carne, mundo, & Dæmone. Dicebant Angeli: Gratiarum actio. Deo scilicet. Ut videamus quàm sit necessaria. S. Chrysost. in Ps. 49. Nihil æquè facit in virtute crescere, cum Deo assiduè versari & colloqui, eique perpetuò gratias agere. Porrò non tantùm in prosperis sed & in adversis æquè Deo gratias agere debemus ac dicere cum Psalte Ps. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore.* Verè S. Chrysost. Hom. 8. in Epi. ad Coloss.

Gratiarum actio quam necessaria.

Nihil hâc lingua Sanctius, quæ in adversis Deo gratias agit, certè non inferior est linguâ martyrum, utraque pariter coronatur.

248. Apocal. 8.

Apocalypsis 8. Aperit Christus 7mum Sigillum & procedunt 7. Angeli cum Tubis, hoc capite describuntur 4. Quorum singuli, dum Tubis canunt, Plagæ magnæ sequuntur.

v. 1. *Et cum aperuisset Sigillum 7mum, factum est silentium in Cælo, quasi media hora.* v. 2. *Et vidi 7. Angelos stantes in conspectu Dei: Et datæ sunt illis 7. tubæ.* v. 3. *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens Thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super Altare aureumque, quod est ante Thronum Dei.* v. 4. *Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* v. 5. *Et accepit Angelus Thuribulum & implevit illud de igne Altaris, & misit in Terram, & facta sunt Tonitrua & voces & fulgura & Terræ motus magnus.*

Angelus in Cælo cum Thuribulo.

Quæritur hìc. An septimum Sigillum consistat in hoc silentio mediæ horæ, an verò etiam 7. plagas Angelorum complectatur. Aretas, Ribera, Alcazar, asserunt, 7. dictas plagas pertinere ad 7mum Sigillum, silentium verò esse tantùm circumstantiam Sigilli. Per septem

tem Angelos intelligit P. Cornel. Primarios Angelos septemque habere tubas, ut eas inflando & clangendo, per Prædicatores, gravissimas mundi calamitates & pœnas hominum prænuntient & quasi evocent, clangor ergo hìc tubarum non est realis, sed Symbolicus.

Angelus quoque habens Thuribulum aureum, fuit verè Angelus sicut & alii septem. Ita Aretas, Ribera.

Ex hoc Loco Apocalypsis & similibus colligunt viri Docti peculiarem esse Angelum, ait P. Cornelius, qui Sacerdoti celebranti assistat, eum juvet, & dirigat, ejus preces & hostias Deo offerat, sive is sit custos celebrantis, sive altaris, vel Templi. Dum dicitur: ut daret de orationibus Sanctorum. Sensus est q. d. ut in suum Thuribulum, ejusque ignem conjiceret thymiama confectum ex variis orationibus & desideriis Sanctorum Petentium everti regnum peccati.

Et misit in terram, P. Cornel. non Thuribulum, sed ignem, sive prunas, idque ad hoc, ut hoc Symbolo significaret, quòd per Orationes Sanctorum, (hæ enim fuerunt thymiama thuribuli) poscentium vindictam de impiis, suisque persecutoribus, perque charitatem Christi, quâ suos Fideles prosequitur, ignis vindictæ, id est, tonitrua, fulgura, & plagæ, sequentes Angelorum & Tubarum concentum in impios sint demissæ.

v. 6. *Et 7. Angeli, qui habebant 7. tubas, præparaverunt se, ut Tuba canerent* v. 7. *Et Primus Angelus Tuba cecinit, & facta est grando, & ignis, mista in sanguine, & missum est* (scilicet hoc totum aggregatim grando &c.) *in terram, & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fænum viride combustum est.* P. Cornel. à Lap. cum Irenæo, Lactantio, Ribera, censet, hæc omnia ad literam, ùt sonant, accipienda esse, hæc enim signa, & hæ plagæ literaliter præcurrent saltem inchoatæ Antichristum & diem Judicii.

Primus Angelus Tuba canit. Apoc. 8.

Et tertia pars terræ combusta est. P. Cornel. 3tiam hanc partem terræ, arborum, & germinum accipe non conjunctim & simul, ac continuè eodem loco, sed mistim & sparsim, scilicet, ut aliqua in Hispania, alia in Italia, aliisque Provinciis vastata sint.

v. 8. & *2dus Angelus Tuba cecinit: & tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis.* v. 9. *Et mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, & tertia pars navium interiit.* Per montem hunc Ribera intelligit ingentem globum igneum, quem mittet An-

2dus Angelus.

Mons igneus cadet in mare.

gelus in mare, qui comburet tertiam partem navium & piscium, atque hoc est, quod canit Sybilla: Et trepidi cuncti morientur in æquore pisces, nec sulcabit aquas jam pondere navis onusta. Verius videtur, ait P. Cornel. hunc montem fore aereum, puta exhalationes multas & magnas collectas, quæ incensæ videbuntur esse mons igneus: quia scriptura dicit: tanquam mons magnus. Vox verò tanquam innuit non verum montem, sed montis similitudinem.

3tius Angelus.

V. 10. *Et 3tius Angelus tubâ cecinit: & cecidit de Cælo stella magna, ardens tanquam facula & cecidit in tertiam partem fluminum & in Fontes aquarum.* V. 11. *Et nomen stellæ dicitur absinthium: & facta est tertia pars aquarum in absinthium: & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.* Stella hæc non erit Cælestis, (ait P. Cornel.) sed aerea, puta cometa, stella cadens, aut simile meteoron, quæ de Cælo cadet suoque casu dissiliens, comminuta dividetur in multas faculas, seu exhalationes, quæ in varios fontes & flumina incidentes eos inficient vocatur absinthium. Quia amaricabit aquas, idque in pænam sceleratæ voluptatis, ac præcipuè gulæ. Sicut absinthium oculos corporis exacuit, ita hoc aquarum absinthium oculos cordis hominibus in fine mundi ad pænitentiam aperiet. inquit Aretas.

Stella Absinthium.

4tus Angelus. Signa in sole, Luna, Stellis.

V. 12. *Et 4tus Angelus tubâ cecinit: & percussa est tertia pars solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret tertia pars, & noctis similiter.* P. Cornelius cum Ribera hæc ad Literam, ùt sonant, accipit, verè enim in fine mundi obscurabitur sol, Luna, stellæ, ita ut diei non luceat eorum tertia pars, id est, ut dies æquè ac nox tertia parte fiat obscurior solito, non autem quod tertiâ temporis puta diei & noctis parte, sol, Luna & stellæ planè obscurabuntur, & duabus tantùm reliquis temporis partibus lucebunt. Ut aliqui imaginantur.

Aquila dicens væ, væ, væ.

V. 13. *Et vidi & audivi vocem unius aquilæ volantis per medium Cæli dicentis voce magna: væ, væ, væ, habitantibus in Terra.* De cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant Tubâ canituri, Beda, Aretas, per aquilam, accipiunt Prædicatores. Aptissimè (ait P. Cornel.) Ribera per aquilam hanc intelligit aliquem Sanctum & Cælestem Prophetam, quem Deus in fine mundi excitabit, ut hominibus prænuntiet, tres sequentes plagas ante adventum Antichristi imminere. Clamat

ter

ter væ, ut indicet quod tres plagæ gravissimæ, trium Angelorum proximè sequentur, & incumbent impiis.

Hunc locum Syrus legit: Audivi aquilam unam volantem in medio caudæ, quæ sanguinem habet dicentem &c. Voce magna væ, væ, væ. Arabic. & vidi atque audivi Angelum quendam volantem ter dicentem, væ incolis terræ. Putant aliqui hanc aquilam fuisse Angelum specie aquilæ repræsentatum sive ipsum S. Joannem sive S. Gregorium magnum, vel aliquem S. Prophetam, quem Deus in fine mundi excitabit. Hinc varios eruit conceptus de la Haye in Apocal. Inter quos: quod ipsi Angeli non levi afficiantur tristitia de malorum perditione. Hinc Aretas Episc. triplicatur væ propter Cælestium erga nos condolentiam. &c. væ terrena diligentibus. S. Paschasius. L. 10. in Matth. væ imminet, de quo Angelus in Apocalyp. qui nihil aliud inhiant & quærunt, quam terram, væ illis præcipuè, qui nec verbis, nec etiam plagis admoniti emendantur. Hinc Andr. Cæsariensis, in eos vel maximè ipsum quadrat væ, qui nec plagis quidem suaviter admoniti emendantur. Multiplex væ reprobis. Hugo Cardinal. Triplex væ erit malis, quia væ animæ, væ Corpori, væ conjuncto, triplex væ, propter pænarum multitudinem, quæ erit in inferno, triplex væ, propter pænam damni & pænam sensus & pænam mali consortii.

Apocalypsf. 9. Canit Tuba 249.
5tus Angelus & stella cadens Apoc. 9.
de cælo aperit puteum Abyssi, unde prodeunt Locustæ monstrosæ, canit 6tus Angelus & solvuntur 4. Angeli ligati in Euphrate, qui colligunt maximum exercitum.

5tus Angelus. Stella aperit puteum abyssi ex cujus fumo exeunt Locustæ.

Apoc. 9. V. 1. *Et 5tus Angelus Tuba cecinit: & vidi stellam de Cælo cecidisse in Terram & data est ei clavis putei abyssi.* V. 2. *& aperuit puteum abyssi: & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ; & obscuratus est sol & Aer de fumo putei.* V. 3. *Et de fumo putei exierunt Locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem Scorpiones terræ.* V. 4. *Et præceptum est illis, nè læderent fænum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.* V. 5. *Et datum est illis, ne occiderent eos; sed ut cruciarent mensibus quinque: & cruciatus eorum, ut cruciatus Scorpii, cùm percutit hominem.* V. 6. *Et in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam: & desiderabunt mori & fugiet mors ab eis.* V. 7. [*Et similitudines locustarum, similes equis paratis*

Locustæ monstrosæ.

ratis

ratis ad prælium: & super capita earum tanquam Coronæ similes auro: & facies earum tanquam facies hominum. v. 8. *Et habebant capillos, sicut capillos mulierum & dentes earum sicut dentes leonum erant.* v. 9. *Et habebant loricas, sicut loricas ferreas, & vox alarum earum sicut vox curruum, equorum multorum currentium in bellum.* v. 10. *Et habebant caudas similes Scorpionum & aculei erant in caudis earum: & potestas earum nocere hominibus mensibus quinque, & habebant super se* v. 11. *Regem Angelum abyssi, cui nomen Hebraicè: Abaddon. Græcè autem Apollyon. Latinè habens nomen Exterminans.* v. 12. *Væ unum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ, post hæc.*

Quænam sit hæc stella, qui fumus, quæ Locustæ? multæ sunt explicationes. P. Alcazar censet hoc capite 9no enarrari 5tam & 6tam plagam Judæis incredulis immissam, quibus ille præcipuè & alias plagas applicat. Aureolus, Lyranus censent, hìc prædici persecutionem vandalicam. P. Cornelius censet magis congruam sententiam Riberæ, per stellam, Angelum (bonum, malo enim clavis inferni non concredita) per Clavem, potestatem, per abyssum, infernum, per fumum furibundas machinationes dæmonum, per locustas, Barbarorum exercitus, intelligit. Plenissimum tamen & aptissimum sensum, censet esse P. Cornel. Si hæc propriè, sicut sonant, accipiantur. Locustæ ergo erunt Dæmones, qui speciem & formam locustarum induent sed novam & monstrosam, non insolitum enim Dæmonibus in monstrosis corporibus apparere, prodeunt ex puteo abyssi, ergo sunt infernales. Rex harum Locustarum est dæmon dictus Abaddon, hâcque monstrosa specie apparebunt dæmones in excidio Babylonis aliarumque infidelium & impiarum Urbium, multo magis in excidio orbis. P. Lessius. L. 13. de Perfect. divin. c. 18. censet hasce locustas veras & animatas fore locustas, licet peregrinas & monstrosas, hancque sententiam uti valdè literalem, valdè probabilem censet esse. P. Cornel. cui tamen addendum, locustas hasce dirigendas & impellendas forè ab Abaddon dæmone. Similes hæ locustæ sive dæmones, ait P. Cornel. magnis Locustis, quoad pedes & alas equis, quoad formam, magnitudinem, hominibus, quoad Loricas; mulieribus, quoad faciem, capillos, Coronas; Leonibus, quoad dentes, scorpiis quoad caudam.

6tus Angelus. Apoc. 9.

v. 13. *Et 6tus Angelus Tuba cecinit: & audivi vocem unam ex quatuor cornibus Altaris aurei, quod*

Exercitus maximus contra impios.

est ante oculos Dei. v. 14. *Dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam: Solve 4. Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.* v. 15. *Et soluti sunt 4. Angeli, qui parati erant ad horam & diem & mensem & annum, ut occiderent tertiam partem hominum.* v. 16. *Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. Et audivi numerum eorum.* v. 17. *Et ita vidi equos in visione, & qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas, & capita equorum erant tanquam capita Leonum: & de ore eorum procedit ignis & fumus & Sulphur;* v. 18. *Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne & de fumo & Sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum.* v. 19. *Potestas enim equorum in ore eorum est, & in caudis eorum. Nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita, & in his nocent.* v. 20. *Et cæteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pænitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent Dæmonia & simulacra aurea.* v. 21. *Et non egerunt pænitentiam ab homicidiis suis, neque à veneficiis suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis.*

Altare, quod recensetur hìc, est Altare Thymiamatis, quod S. Joannes vidit in cælo repræsentans Christum. Ita P. Cornelius.

Circa hanc plagam multæ sunt sententiæ, optimam & genuinam censet esse P. Cornelius sententiam Riberæ, qui plagam hanc, propriè, & ut verba sonant, accipit, putatque fore innumerum exercitum ferorum hominum & militum, quo in fine mundi puniet & occidet homines impios, scilicet tertiam illorum partem. Angelus ergo bonus Tuba canens, solvet 4. Angelos, quos nonnulli ut Andreas, Aretas, putant esse bonos. Verum P. Cornelius patere dicit, hos Angelos esse malos, nam hi soli ligantur non boni. Hi ergo sunt 4. dæmones, qui quasi præsunt 4. orbis partibus, ligati autem sunt in Passione Christi, ne tantùm noceant hominibus, quantum ante, hi in fine mundi rursùs solventur, ut puniant impios. Porrò ligati sunt hi dæmones in Euphrate, hic enim locus ad hoc est congruus, quia alluit Babylonem, Babylon autem est typus Regni Diaboli. &c. Quæres. Quomodo & quibus funibus ligentur dæmones. Respondet P. Cornel. eos certo loco ligari, cùm in illo per Decretum, & potestatem divinam vel Angelicam detinentur, ut se loco movere, eóque egredi nequeant.

Angeli seu Dæmones Ligati & soluti.

Moraliter S. Antoninus. Minas dæmonis formidare non debemus, nam hamo crucis ut draco aduncatus à Domino est, & capistro ligatus ut jumentum. S. August. Serm. 197. de Temp. Si alligatus diabolus est, quare tantum adhuc prævalet? Sed tepidis & negligentibus. Alligatus est, tanquam innexus catenæ canis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se, mortiferâ securitate illi conjunxerit. Tu te illi per voluptates & cupiditates sæculi noli conjungere, & ille ad te non præsumet accedere, latrare potest, sollicitare potest, mordere omninò non potest, nisi volentem.

Dæmon ligatus accedentibus nonnisi nocet.

V. 15. *Ut occideret tertiam partem hominum.* (P. Cornel.) puta impiorum & reproborum, non signatorum.

V. 16. *Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia.* P. Cornel. id est ducenti milliones. Nonnullis incredibilis videtur hic numerus, cùm in toto orbe vix illis videantur esse 200. milliones Hominum, sed errant, ait P. Cornel. nam in solo Regno Chinensi numerantur 250. milliones. Uti docet P. Trigan. de exp. Sin. Posset etiam quis suspicari, inquit P. Cornel. bonam exercitus hujus partem fore dæmonum, qui induti specie hominum, equitum, impios castigabunt.

V. 17. *Et qui sedebant super eos, habebant loricas igneas & hyacinthinas & Sulphureas.* P. Cornel. igneas id est, lucentes, radiantes, hyacinthinas, id est, coloris hyacinthini, seu cælestis.

V. 19. *Caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita, & in his nocent.* P. Cornel. caudæ hæ capitatæ significant gladios militares, qui instar caudarum retrò exstant, & capulos instar capitis habent. Aut certe per caudas intellige pedissequos & ministros militum, qui plerumque sunt pessimi, & instar serpentium occultè nocent, incendiis, furtis, ita P. Lessius. Per equos hoc loco sumi metonymicè ipsos equites. Notat P. Cornel.

V. 20. *Et cæteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pænitentiam egerunt.* P. Cornel. neque, id est, non, vel ne quidem tunc. q. d. cæteri homines cùm tot strages & funera viderent, ne quidem tunc compuncti ad mentem redierunt, nec ad tantas Sociorum plagas resipuerunt. Patet ex Græco. Mira ergo tunc erit hominum obstinatio, qui visis tot signis & plagis persistent nihilominus in suis sceleribus & idololatria. Porrò renalicituram

Obstinatio Peccatorum duris non frangitur.

turam in fine mundi idololatriam, patet ex illis verbis. Ut non adorent dæmonia.

Nota de 7mo Angelo Tuba canente & plagis hunc cantum sequentibus dicetur cap. 11. Apocalyps.

250. Apocalyp. 10. Videt Joannes Angelum amictum nube, dextro pede mari, sinistro terræ insistentem, ac jurantem, quod amplius non erit tempus. Mox reboant & consonant septem tonitrua. Jubetur ab Angelo S. Joannes, accipere Librum apertum, acceptumque devorat, quem in ore dulcem & melleum, in ventre verò amarum experitur.

Apoc. 10.

Apoc. 10. V. 1. *Et vidi alium angelum fortem descendentem de Cælo amictum nube & iris in Capite ejus, & facies ejus erat ut sol, & pedes ejus tanquam Columnæ ignis.* V. 2. *Et habebat in manu sua Libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super Terram.* V. 3. *Et clamavit voce magna, quemadmodum Leo rugit. Et cùm clamasset, locuta sunt 7. tonitrua voces suas.* V. 4. *Et audivi vocem de Cælo dicentem mihi: signa, quæ locuta sunt 7. tonitrua & noli ea scribere.* V. 5. *Et Angelus levavit manum suam ad Cælum* V. 6. *Et juravit per viventem in Sæcula Sæculorum. --- Quia tempus non erit amplius.* V. 7. *Sed in diebus vocis 7mi Angeli, cùm cæperit tuba canere, consumabitur mysterium Dei.*

Angelus jurat, per viventem in Sæcula.

Per hunc Angelum Primasius. Beda. Richard. Accipiunt Christum, ad Literam genuinè (ait P. Cornel.) Ribera. Viegas & alii accipiunt Angelum eúmque bonum. Hic amictus nube, quia nubes Gloriæ rerúmque cælestium est Symbolum. Et quia divina & Arcana Dei Consilia de fine temporis mundi prænuntiat. Fortis dicitur, quia, fortia nuntiat & efficit, unde habet pedes quasi columnas ignis, rugit, quasi Leo.

Apoc. 10. V. 2. *Habebat in manu sua libellum apertum.* Hic libellus est ille, de quo supra, qui signatus erat 7. Sigillis, sive Apocalypsis. Et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram. Quia pes dexter fortior est, inquit Ribera, ut significetur, quod in iis, qui mari quasi vallati sunt & inaccessi videntur, Christus magis suam ostendet potentiam. Judæi vocantur, quia terreni, terræ bonis toti inhiabant. Voces tonantes & tonitrua vocalia significant magnitudinem calamitatum futurarum in fine mundi, quo circa articulatæ erant hæ voces, nam eas intelligebat, & intellectas conscribere volebat S. Joannes, qua propter, toni-

Apoc. 10.

trua hæc articulata, non sunt realia, nec realiter existent in fine mundi, sed per visionem tantum ostensa sunt Joanni, æque ac Angelus clamans & jurans. v. 4. *Signa, quæ locuta sunt 7. tonitrua & noli ea scribere.* Signa Græcè. Obsigna, velut occultando scilicet, in mente tua.

v. 5. *Et Angelus, -- levavit manum suam ad Cælum.* 1. Quasi jurans levata manu. 2. Quasi comminans iras Dei acres. 3. Quasi excitans hoc signo ad auditionem rei maximæ.

v. 6. *Et juravit per viventem.* Nota hic gravitatem & pondus Juramenti, ob pondus rei, quam juramento hoc confirmat Angelus, scilicet temporis jam finiendi pretium.

Quia (quòd) *tempus non erit amplius.* P. Cornel. dicit agi hic de fine mundi & temporis, quasi diceret, imminet finis mundi, brevì tempus, id est, motus Cælorum, solis, Lunæ &c. non erit amplius.

Tempus magni pendendum.

Moraliter, notat P. Cornel. tempus præsentis vitæ esse pretiosissimum, ac propterea ejus maximam habendam esse rationem, singulaque ejus momenta utilissime collocanda esse & expendenda; 1. Quia hoc tempus est breve, & instar avis, navis, sagittæ, prætervolat. 2. Quia tempus, cùm præteriit, irrevocabile. 3. Quia ab hoc brevi tempore & quasi momento pendet tota æternitas. 4. Quia tempus hoc est in nostra potestate & arbitrio, datum est nobis ad bene operandum. 5. Quia Deus brevì hoc tempus nobis auferet, & in æternitatem transferet.

v. 8. *Et audivi vocem de Cælo -- vade & accipe Librum* - - v. 9. *Et abii ad Angelum dicens ei, ut daret mihi Librum. Et dixit mihi accipe Librum & devora illum.* --- v. 10. *Et accepi Librum de manu Angeli & devoravi illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cum devorassem eum, amaricatus est venter meus.* v. 11. *Et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus & Populis & Linguis & Regibus multis.* In Græco est pro Libro libellum, qui est Apocalypsis. Sensus ergo est, q. d. accipe O Joannes hanc revelationem Apocalysis de futuris in fine mundi sub Antichristo, eamque devora, id est, avidè totam hauri & perspice totamque in mente & ventre memoriæ reconde, ut eam ruminare & per partes expendere possis.

Erat liber in ore dulcis, in ventre amaricatus. Per hoc alluditur ad naturam mellis, quod comestum in bilem flavam convertitur, Stomachumque lancinat & amaricat. Sensus est, q. d. Apocalypsis hæc in

in ore, id est, in prima facie, erat mihi dulcis, mentemque pascebat & oblectabat, quia erat mira, nova, arcana & divina cognitio, Sed ubi cæpi ruminare calamitates ac multitudinem reproborum, lapsus, & casus multorum, amaricatus est venter meus, id est intimè in animo & mente mea indolui & ingemui. Ita Aretas, P. Cornel.

v. 11. *Oportet te prophetare gentibus & populis & linguis & Regibus multis.* Ex hoc loco multi inferunt, S. Joannem necdum esse mortuum & venturum cum Elia & Henoch. Verùm dicit P. Cornelius sensus est. q. d. oportet te O Joannes rursum prophetare, ut nimirum prænunties alia graviora mala & supplicia orbi inferenda, quàm sunt illa quæ 7. Sigillis libri signati continentur, quæque hucúsque per prophetiam cognovisti & descripsisti, illa autem graviora mala sunt, quæ apertis jam 7. Sigillis, in ipso illorum Libro, signato, nunc aperto legisti, suntque illa, quæ de Elia, Henoch, Gog Magog &c. quæ à c. 11. ad finem Apocalypsis recensentur.



SECUNDA PARS

Apocalypseos continens mysteria Libri signati.

Caput decimum quintum.

S. Joannes metitur Templum. Elias & Henoch prædicabunt. Ignis de ore eorum quomodo prodibit. Antichristus illos occidet. Septimus Angelus Tuba canit. Quæ Arca visa in Cælo. Mulier amicta sole in Cælo. Draco contra illam certat. Hæc fugit in solitudinem. Draco contra illam emittit flumen ex ore &c.

251. Apoc. 11. Apocalypsis 11. Jubetur Joannes metiri Templum, deinde atrium audit, quod contra Antichristum prophetabunt & plagas immittent Elias & Henoch, qui ab eo occidentur & post tres dies & dimidium resurgent, ac in Cælum evocati ascendent, tunc fiet terræ motus, & tertia pars Hierosolymæ corruet & 7000. occidentur, tandem canit 7mus Angelus tubâ & mox fit omnium consummatio, incipitque Regnum gloriosum. Quocirca Seniores gratias agunt Deo, aperitur Cælum & apparet arca Testamenti, fiuntque fulgura &c. Notat P. Cornel. est hic altera Prophetiæ S. Joannis pars, in qua Librum ipsum, quem capite præcedenti devoraverat, enarrare incipit. Nam licet 7. Signacula libri signati, quæ plane finiuntur hoc capite, in Tuba 7mi Angeli, v. 15. præcesserint lectionem ipsius Libri, quem hic describere incipit, tamen hoc intelligendum est de 7mo Sigillo, non completè, sed inchoative, scilicet quod inchoata non impleta omninò reseratione, aut potius explicatione (sigillum enim jam erat reseratum, sed ex eo successivè prodierunt & suas tubas explicuerunt 7. Angeli,) mysteriorum 7mi Sigilli, Joannes legerit Librum antea signatum, nunc apertum, & ita apertum, ut omnia, quæ in illo scripta erant, legi possent, uti ipsa legit & deinceps enarrat Joannes.

S. Joannes metitur Templum. Apoc. 11. v. 1. *Et datus est mihi calamus similis virgæ & dictum est mihi. Surge & metire Templum Dei & altare & adorantes in eo.* v. 2. *Atrium autem, quod est foris Templum, ejice foras, & ne metiaris illud: quoniam datum est gentibus & civitatem sanctam calcabunt mensibus 42.* v 3. *Et dabo duobus testibus meis & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.*

Metire Templum Dei. P. Cornel. per Templum significatur templum vetus Judaicum, sed per hoc intelligitur Ecclesia. Per adorantes significantur Sacerdotes & Levitæ, & per hos Symbolicè, Fideles, tempore persecutionis Antichristi Fidelissimi, solidissimi. Ecclesiam ergo militantem in fine mundi & mox Triumphaturam metitur hic & numerat Joannes. Per atrium, quod est foris, intelligitur atrium exterius, sive atrium Laicorum, quod quia remotius erat ab Altari utroque, hinc significabat Christianos remissiores & laxioris vitæ, ideóque à Deo remotiores. Hos ait, ejice foras, id est, extra Ecclesiam. Tropologicè P. Alcazar (licet ipse putet esse sensum literalem) per atrium exterius, sive quod foris est, intelligit bona externa Fidelium ùt sunt fortunæ, honores, salus, vita, hæc jubentur Fideles ejicere foras, id est, abdicare à se, eaque in prædam dare infidelibus Ecclesiam Christi persequentibus.

Elias & Henoch prophetabunt. v. 3. *Et dabo* (scilicet officium prophetandi & simul spiritum, animos &c.) *duobus testibus meis, & prophetabunt.* P. Cornel. communis sententia est (aliquibus exceptis) hæc ad ultima mundi & Antichristi tempora pertinere, ac duos hic testes singulares denotari, qui pro Christo contra Antichristum sint decertaturi. Unum fore Eliam consentiunt omnes, unde & de eo cecinit Sybilla L. 2. Tunc quoque cælesti curru devectus inibit, Terras de Cælo Thesbites. Idque docet Malach. c. 4. v. 10. Et Christus Matth. 13. 10. de altero nonnulli dubitant. Victorinus opinatus est eum fore Moysen. Verùm ait P. Cornel. cæteri omnes una voce asserunt socium Eliæ fore Henoch. & Ambros. Aret. Haymo. Hugo. Dionys. & alii.

Et

Et prophetabunt diebus 1260. P. Cornel. hoc est mensibus 42. Ita omnes Orthodoxi. Lutherani & Calvinistæ in hisce diebus mirè variant, seque discruciant, consentiunt ferè in eo, signari hic tempus persecutionis Antichristi, id est, Pontificis Romani, verùm in diebus hisce laborant & sudant. Censent hìc aliqui eorum, diem pro Anno poni, cæterùm, clarum est, dies hìc veros & proprios intelligi, tum quia dies hi sunt iidem cum 42. mensibus, hi enim præcisè continent 1260. dies. Notat P. Cornel. verius & certius est, Prædicaturos Eliam & Henoch præcisè per 1260. dies, uti hìc ait Joannes. Antichristum verò ut Monarcham regnaturum menses 42 scilicet Julianos, qui tunc Romæ & in Græcia (ubi vixit Joannes) erant usitati, hoc est tres annos Julianos cum dimidio, ut asseruit Daniel. Jam tres anni Juliani cum dimidio faciunt dies 1278. Sed paulo ulterius Antichristi Monarchia excurret scilicet adhuc per 12. dies. Ita ut præcisè duret dies 1290. uti expresse asserit Daniel. c. 12. 11. Verùm hos dies 12. quasi minutias numeri integri neglexit hic Joannes, tantùmque expressit integros menses 42. uti fecit & Daniel, dum numerat annos 3. cum dimidio. Verisimile est, inquit P. Suarez, Disp. 55. Eliam & Henoch venturos, postquam Antichristus jam Monarcha rerum omnium potitus fuerit. Ut significat Augustin. L. 1. Quæst. Evang. q. 21. non occidet autem illos statim Antichristus, quia Deus illos tutabitur de illis v. 4. *Hi sunt duæ olivæ & duo Candelabra in conspectu Domini stantes.* v. 5. *Et si quis voluerit eos nocere* (id est eis, est Græcismus) *ignis exiet de ore eorum & devorabit inimicos eorum: & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi.* v. 6. *Hi habent potestatem claudendi Cælum, ne pluat diebus Prophetiæ ipsorum: Et potestatem habent super aquas, convertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescunqui voluerint.* v. 7. *Et cum finierint testimonium suum, Bestia, quæ ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum & vincet illos & occidet eos.* v. 8. *Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum, crucifixus est.* v. 9. *Et videbunt de Tribubus & Populis & Linguis & Gentibus Corpora eorum, per tres dies & dimidium: & corpora eorum non sinent poni in monumentis.* v. 10. *Et inhabitantes terram gaudebunt super illos & jucundabuntur: & munera mittent invicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt eos, qui habi-*

Apoc. 11.

habitabant super terram. v. 11. *Et post dies tres & dimidium, Spiritus vitæ à Deo intravit in eos. Et steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos.* v. 12. *Et audierunt vocem magnam de cælo dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in Cælum in nube: & viderunt illos inimici eorum.* v. 13. *Et in illa hora factus est terræ motus magnus & decima pars civitatis cecidit: & occisa sunt in terræ motu, nomina hominum septem millia: & reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo Cæli.*

Hi duo olivæ.

Hi sunt duæ olivæ. P. Cornel. sensus est. q.d. Hi duo scilicet Elias & Henoch instar duarum olivarum, id est, olearum, sunt succulenti, pingues bonorum operum. Alluditur hìc ad duos Cherubinos, quos ex ligno olivarum fabricavit Salomon 3. Reg. 6. 32. Sicut enim illi Propitiatorium & Arcam, ita Elias & Henoch Ecclesiam & Fidem Christi sustinebunt. Unde moraliter nota. oliva est Symbolum. 1. Sanctitatis & Sanctorum. 2. Misericordiæ, 3. Pacis. 4. Constantiæ. Folia enim ejus nunquam defluunt. 5. Quia oliva pinguis significat pinguedinem Spiritûs & gratiæ. Et duo Candelabra in conspectu Domini terræ stantes. (id est, stantia, imitatur hìc interpres græcus græcum) sensus est. q. d. Hi duo Elias scilicet & Henoch, quasi candelabra Christum, qui est verum lumen, toti mundo proferent & ostendent.

Ignis de ore & eorum.

Ignis exiet de ore eorum. Alludit ad zelum Eliæ, videbatur enim Elias non tam precibus, quàm imperio, puta, ore suo, jubendo ignem de cælo devocare, ac consequenter ignis hic de ore ipsius exire videbatur. Idem faciet in fine mundi, inferet enim se in cætus hominum, imò & in Regiam Antichristi, liberè prædicabit Christum, hunc verò fictum esse Christum imò Antichristum. Quocirca Magistratus Antichristo subditi volent in Eliam & Henoch manus injicere eósque occidere, sed illi mox imperabunt, dicentque: veniat ignis de cælo & perdat hosce Antichristianos, ac dicto ocyùs ignis descendet & perdet eos. Ita P. Cornel.

Bestia de abysso Antichristus. occidet Eliam & Henoch.

Bestia, quæ ascendit de Abysso. P. Cornel. hìc. Bestia hæc est Antichristus, quia sævus erit & ferus ùt bestia, non terrena, sed infernalis. Et ita communiter interpretes. Antichristus ergo per suos ministros occidet Eliam & Henoch, ideóque erit Parricida, occidet enim Parentem suum puta Henoch, ab Henoch enim descendit Noe, omnesque homines post diluvium consequenter Antichristus. Civitas magna, quæ

quæ vocatur Spiritualiter Sodoma. P. Cornel. Eſt Jeruſalem, ibi enim Dominus Eliæ & Henoch, puta, Chriſtus crucifixus. Porrò Jeruſalem ſpiritualiter, id eſt, myſticè & Symbolicè vocatur Sodoma ob ſodomiticas libidines. Ita Iſaias in Hieroſolymitas detonat c. 1. 10. *Audite verbum Domini Principes Sodomorum.* Rurſum Jeruſalem Symbolicè vocatur Ægyptus ob Idololatriam & ſuperſtitiones, quæ ibi regnabunt imperante Antichriſto.

Jacebunt ergo Corpora Eliæ & Henoch occiſorum in plateis Jeruſalem per tres dies & dimidium inſepulta, non enim ſinet illa ſepeliri Antichriſtus, ut iis inſultet, & de iis quaſi victor triumphet. Poſt tres deinde dies cum dimidio publicè reſurgent Elias & Henoch, imitando Dominum ſuum Reſurgentem, delabetur vox de cælo dicens: Aſcendite hùc, ac mox ipſi coram omnibus publicè in cælum aſcendent, túncque fiet ingens terræ motus, quo 10ma. pars Hieroſolymis corruet, & 7. hominum milia occidentur.

252. 7mus Angelus Tuba canit Apoc. 11.

Apoc. 11. v. 14. *Væ ſecundum abiit, & ecce væ 3tium veniet cito.* v. 15. *Et 7mus Angelus tuba cecinit: & factæ ſunt voces magnæ in cælo dicentes: Factum eſt Regnum hujus mundi Domini noſtri & Chriſtus ejus, & regnabit in ſæcula ſæculorum: Amen,* v. 16. *Et 24. Seniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis, ceciderunt in facies ſuas & adoraverunt Deum dicentes:* v. 17. *Gratias agimus tibi Domine Deus &c.* --- v. 19. *Et apertum eſt Templum Dei in Cælo: & viſa eſt Arca teſtamenti ejus in Templo ejus, & facta ſunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna.* Notat P. Cornel. Proprius hujus Tubæ 7mæ. Locus eſt c. 19. ante v. 11. quo deſcribere incipit Bellum Gog & Magog contra Chriſtum & Chriſtianos, nam paulò poſt cædetur Antichriſtus cum Gog & Magog, omnibúſque eorum aſſeclis. Aptè tamen hoc loco hæc Tuba ponitur, quaſi in Confinio 7. Sigillorum & ipſius libri ſignati, pertinet enim tam ad ſigilla, quàm ad librum, ad ſigillum, quia eſt clauſula & obſignatio libri, ad librum, quia eveniet eo tempore, quo myſteria libri pandentur.

Purificationis feſti Symbolum: quod inſtitutum ad ſedandam peſtem.

v. 19. *Et apertum eſt Templum Dei in cælo: & viſa eſt Arca Teſtamenti.* Aureolus putat hìc prædici inſtitutionem feſti Purificationis B. Virginis, quo Chriſtus, quaſi arca Teſtamenti præſentatus eſt in Templo, quod Conſtantinopoli inſtitutum eſt ſub Juſtiniano Imperatore ad ſedandam peſtilentiam tunc graſſantem. Verùm dicit P. Cornel. ad 7mam Tubam apertum eſt Templum in cælo, puta, Habitaculum Beatorum, apertum, inquam, non re ipſa, ſed per imaginariam aut mentalem viſionem Symbolicam.

Arca quæ viſa in cælo.

Et viſa eſt Arca. Arca hæc, ait P. Cornel. eſt corpus ſive Humanitas Chriſti, hanc enim analogicè ſignificat arca veteris Teſtamenti. Quia ſicut arca facta erat ex lignis Setim imputribilibus, ita corpus Chriſti imputribile. Habebat arca ſupra ſe Propitiatorium, ita Chriſtus ſecum affert propitiationem. In arca virga Aaronis fuit, in Chriſto Poteſtas Regia. In arca fuit manna, in Chriſto mira dulcedo ac Clementia. Rurſùm arca ſignificat Glorioſum Chriſti corpus, non tantùm naturale ſed & Myſticum ſcilicet Eccleſiam Beatorum. Hinc arca Teſtamenti, uti Regina Beatorum, eſt Beatiſſima, quæ ipſius Teſtamenti geſtabat Hæredem.

Et facta ſunt fulgura tonitrua &c. hæc omnia Symbolicè per viſionem vidit S. Joannes. Itáque hæc omnia ſignificant iram Dei & vindictam, & pœnas impiorum.

Apocalyp. 12. Concertatio Draconis & Mulieris.

Apocalypſ. 12. Poſtquam deſcripſit capite præcedente Eliam & Henoch Duces belli contra Antichriſtum, hìc ipſum bellum deſcribit. Itáque ſub Schemate Mulieris & Draconis concertantium deſcribitur multiplex Eccleſiæ & Diaboli pugna in fine mundi Eccleſiæque victoria. Nam primo mulier parit maſculum, draco eum rapere & devorare molitur, ſed maſculus rapitur ad Deum, inſequitúrque draco, ut eos in Judicio Dei calumnietur, ſed à Michaele deiicitur trahítque ſecum 3tiam. partem ſtellarum. Draco dejectus & frendens perſequitur mulierem, illa acceptis alis fugit in deſertum. Draco inſequens ore vomit & emittit in eam flumen, ſed terra hians illud abſorbet, quare draco fremens reliquias Mulieris ejus perſequitur.

Signum Magnum.

Apocal. 12. v. 1. *Et ſignum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta ſole & Luna ſub pedibus ejus & in capite ejus Corona ſtellarum 12.* v. 2. *Et in utero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur, ut pariat.* P. Cornel. Signum magnum, id eſt, oſtentum, prodigium, viſio prodigioſa. Per mulierem aliqui accipiunt Synagogam. Verùm P. Cornel. cum Ambros. Ticonio. Haym. Richardo, Beda & aliis. Per mulierem hanc intelligit Eccleſiam, maximè, quæ erit ſub finem mundi. Alluditur hic quoque ad Myſterium Incarnationis verbi & Partum B. Virginis, ejuſque Prolem Chriſtum. Mulier amicta ſole. P.

Mulier.

Amicta ſole.

Cornel. Ecclesia circumdata Christo suo sponso, Christus enim est Sol justitiæ. Maclach. 4. 2. uti Apostoli sunt stellæ, quæ suam Lucem à sole mutuantur. Luna sub pedibus ejus.

Luna sub pedibus ejus.

P. Alcazar non ut calcetur à muliere sed ut illam sustentet & fulciat. Itaque censet amiciri sole, id est, Deo, coronari stellis 12. id est, 12. Apostolis, & infernè quasi basi & fundamento fulciri Christo. Rursum sicut Luna est Humanitas Christi, ita Luna est & virgo Deipara, hæc est enim quasi lucina Ecclesiæ parturientis, ut de illa dici possit illud Virgilianum.

Casta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo.

Ad literam (censet P. Cornel.) dicitur hic esse Luna sub pedibus mulieris, id est, Ecclesiæ, quia ipsa cuncta temporalia & omnem creaturarum mutabilitatem despicit & pedibus calcat. ait S. Greg. 34. Moral c. 19. In capite ejus corona stellarum 12. P. Cornel. Scilicet 12. Apostolorum, idque in capite, id est, initio Ecclesiæ Christianæ. S. Bernardus sermone de B. Virgine in hæc Apocalyp. verba. Signum magnum apparuit: accipit 12. prærogativas gratiarum, quibus præ cæteris coronatur B. Virgo. Ex hoc loco nonnulli viri Religiosi & cultûs B. Virginis studiosi conficiunt coronam 12. stellarum, 12. salutationibus angelicis constantem, in honorem 12. virtutum, quibus B. Virgo excelluit. Quæ virtutes sunt: Fides, Spes, Charitas, Religio erga Deum, Humilitas, Virginitas, Fortitudo, Paupertas, Charitas fraterna, Obedientia, Misericordia, Modestia. Clamabat parturiens. P. Cornel. Ecclesia in fine mundi ob acerbissimas persecutiones magnis doloribus & ærumnis filios, id est, fideles Christo pariet. Ita passim Patres & Interpretes.

Draco magnus insurgit contra mulierem.

V. 3. *Et visum est aliud signum in cælo: & ecce draco magnus rufus habens capita 7. & cornua 10. & in capitibus ejus diademata. 7.* V. 4. *Et cauda ejus trahebat 3tiam. partem stellarum cæli, & misit eas in terram, & draco stetit ante mulierem, quæ erat Paritura; ut cùm peperisset, filium ejus devoraret.* V. 5. *Et peperit Filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea: & raptus est filius ejus ad Deum, & ad Thronum ejus.* V. 6. *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo, ut ibi pascant eum diebus 1260.* V. 7. *Et factum est prælium magnum in cælo: Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone & draco pugnabat & Angeli ejus.* V. 8. *Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo.* Notat P.

Pugnat cum Michael.

Cor-

Cornel. Draco hic, id est, Diabolus apparuit S. Joanni in cælo 1. quia inde decidit. 2. Propriè, quia in cælo, hoc est, aereo, dominatur tentatque homines. Rufus est draco quia homicida, nam Adamo & Evæ causa fuit mortis, & tot aliis hominibus. Lesleus in sua Scotia An. 1558. refert apud Marchiam & Landoviam, draconem quemdam ignes vomuisse, quibus segetes & fruges incendebat, proinde populum coactum fuisse pervigilare, ut hosce ignes extingueret, quàm magis invigilandum ad draconis infernalis incendia. Habens capita 7. & Cornua 10. & in capitibus ejus diademata 7. P. Cornel. solum caput primarium draconis habebat cornua 10. reliqua verò habebant tantum suum diadema, quod etiam habebat caput primarimarium. Ad literam ergo 10. cornua draconis, id est, Luciferi sunt 10. Reges, (cornu enim Symbolum est Roboris & Regni) qui dominabuntur in orbe, quando veniet Antichristus, è quibus tres occidet Antichristus, unde reliqui 7. timore perculsi sponte ipsi se subdent, & cum ipso tanquam dæmonis instrumento Christianos evertere conabuntur. Similiter 7. capita sunt 7. alii Reges, è quibus unus, isque præcipius erit Antichristus, sed reliqui erunt ipsius præcursores, eúmque alii per plura, alii per pauciora sæcula anteibunt. Ita enim se explicabit Joannes cap. 17. v. 9. Cauda draconis ait P. Cornel. cum S. Gregori l. 32. Moralium c. 14. Riberâ, & aliis, repræsentat Antichristum, sicut & præcipuum ejus caput, ipse est caput draconis, quia Diaboli primarius erit dux Princepsque omnium Tyranorum & impiorum. Idem est cauda, quia ipse erit extrema draconis, id est, corporis diaboli pars.

Cauda Draconis quid?

Alluditur hic ad primum Luciferi superbiæ peccatum, ut docet Victorinus, quo ipse rebellans Deo, sua cauda, id est, post se suadendo, & sollicitando traxit tertiam partem stellarum, id est, Angelorum. V. 5. Et peperit Filium masculum. P. Cornel. 1mo. Quia secundùm allusionem historicam B. Virgo & perconsequens Ecclesia vetus genuit Christum, qui masculus est, uti sexu, ita fortitudine. 2do propriè & genuinè Filius masculus est populus fidelis & Sanctus, quem Christo parit Ecclesia. Nota. Fideles ut sint Christo chari & genuini ejus filii, debent esse masculi, ut foriter suis cupiditatibus imperent, & constanter adversa quævis sustineant.

Quis masculus mulieris?

Et mulier fugit in solitudinem. P. Cornel. q. d. cum pu-

Mulier fugit in solitudinem.

er

er maſculus, id eſt, Heroes illi fortes per Martyrium rapientur ad Thronum Dei, tunc mulier, id eſt, populus fidelis, puta cæteri Chriſtiani & Sancti infirmiores tempore Antichriſti fugient ad deſerta & latibula.

Solitudo ſancta ad quam confugiendum

Myſticè ſolitudo eſt quies à rebus terrenis & contemplatio rerum Divinarum & cæleſtium gaudiorum, in quam, quaſi in Aſylum à tumultu & perſecutione mundi fugiendum. Eò confugit David Pſ. 54. 7. *Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ & volabo & requieſcam. Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* Ansbertus hìc, ſolitudo, ad quam fugiens Locum à Deo præparatum invenit, eſt quies mentis, quæ inordinatos motus deſideriorum à ſecreto cordis ejiciens, ſolatium in Deo invenit.

Prælium in cælo Apoc. 12.

253. v. 7. *Et factum eſt prælium magnum in cælo* (in aere, puta in Eccleſia hìc cum aeris poteſtatibus confligente) *Michael & Angeli ejus, præliabantur cum Dracone.* P. Alcazar. per Michaelem accipit Chriſtum per per- Angelos, ejus Apoſtolos & Prædicatores. P. Cornel. dicit, hiſtoricè hìc alludi ad prælium Luciferi cum ſuis geſtum, contra Michaelem ejusque aſſeclas in cælo, illud enim hìc clariſſimè perſtringitur. Sed per hoc prælium Symbolicè, ſignificatur bellum, quod Lucifer in dies gerit contra fideles in Eccleſia eorúmque Tutelares Angelos, propheticè verò & genuinè ad Literam ſignificatur prælium, quod ipſe geret acerrimum & ultimum in fine mundi contra Sanctos. Tunc ergo præliabitur Michael, cum ſuis Angelis contra Luciferum ejusque Dæmones, adiuvando Chriſtianos & animando. Rurſùm, tunc præliabitur Michael, defendendo ſuos hoſce fideles in Judicio Dei, præſertim poſt eorum mortem contra accuſatorem Diabolum. Ex hoc loco colligunt Doctores, ait P. Cornel. S. Michaelem fuiſſe & eſſe Principem omnium Angelorum, qui in Dei obſequio ac conſequenter in cælo perſtiterunt. Sicut Lucifer fuit Princeps omnium cadentium. S. Baſilius Homilia de Angelis. Tibi ô Michael! Duci Supremorum Spirituum, qui dignitate & honoribus cæteris omnibus Prælatus es ſupremis Spiritibus, tibi, inquam, ſuplico.

S. Michaelis defenſio.

Dignitas.

Neque locus inventus eſt eorum amplius. Eſt Hypallage Hebraica. Senſus enim eſt, ait P. Cornel. ipſi non ſunt inventi in cælo, id eſt, inter ſanctos & Electos ad cælum raptos, ut eos tentare, accuſare & occidere poſſent.

v. 9. *Et projectus eſt draco ille magnus ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & ſatanas & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt* v. 10. *Et audivi vocem magnam in cælo dicentem; Nunc facta eſt ſalus: & virtus & Regnum Dei noſtri.* P. Cornel. Eſt Angelorum & Beatorum Celeuſma ſive acclamatio & congratulatio exultantium de proſtrato & profligato dæmone deque victoria, quam ſancti de Antichriſto & diabolo, reportarunt. v. 11. *Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni.* Nam merito ſanguinis & Paſſionis Chriſti fortitudinem, & conſtantiam reſiſtendi & vincendi, acceperunt. *Et non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem.* q. d. Quia animam, id eſt, vitam ſuam pro fide fortiter morti objecerunt. Præclarè S. Auguſtin. in ſentent ſent. 375. Quis quis ſe ipſum non Deum amat, non ſe amat, & quisquis DEum & non ſe ipſum amat, ipſe ſe amat. Qui enim non poteſt videre de ſe, moritur utique amando ſe. Cùm ergo ille diligitur, de quo vivitur, non ſe diligendo, magis diligit, qui propterea ſe non diligit, ut eum, de quo vivit, diligat.

v. 12. *Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis. Væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens, quod modicum tempus habet.* P. Cornel. ſcilicet tres annos cum dimidio, hinc patet, hæc ad finem mundi & Antichriſti tempora ſpectare.

Draco emittit aquam ex ore tanquam flumen.

v. 13. *Et poſtquam vidit draco, quòd projectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum.* v. 14. *Et datæ ſunt mulieri Alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum in Locum ſuum, ubi alitur per tempus & tempora & dimidiam temporis à facie ſerpentis* v. 15. *Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt Mulierem, aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine.* v. 16. *Et adjuvit terra mulierem, & aperuit terra os ſuum & abſorbuit flumen, quod miſit draco de ore ſuo* v. 17. *Et iratus eſt draco in mulierem: & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus, qui cuſtodiunt mandata Dei & habent Teſtimonium JEſu Chriſti.* v. 18. *Et ſtetit ſupra arenam maris.* Victorinus & Ticonius Alæ duæ inquiunt, erunt Prædicatores ſapientiæ & veritatis, præſertim Elias & Menoch. Sic Exodi 19. 4. per alas aquilarum multi intelligunt Prophetas & Prædicatores, præſertim Moyſen & Aaronem. Ita Origen. Ambr. Auguſt. Hi enim Prædicatores ſuadebunt & animabunt fideles, ut fugiant in Deſerta & ſpeluncas. Hic ſenſus valdè appoſitus eſt, ait P. Cornel. Porrò hæ alæ ſunt inſtar alarum aquilæ, quia non coactè nec ex timore, ſed ſpontè libénsque & inſtar aquilæ & ex

Mulier volat in solitudinem.

ex amore volat Ecclesia. 2. Quia aquilæ volatus uti altissimus ita velocissimus est, talis & volatus Ecclesiæ.

Ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis. P. Cornel. id est, per annum per duos annos & dimidium annum, puta, per tres annos cum dimidio, sive per 42. menses. Aletur ergo in fine mundi Ecclesia, id est, cætus fidelium in solitudine à Pastoribus verbo Dei toto tempore Antichristi.

Moraliter docet hìc Joannes, fideles in persecutione debere esse constantes & longanimes, multi enim persecutionis acrimoniam vicerunt, sed ejus duratione victi sunt.

v. 15. Misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, Parabolicè alludit ad Balænas, ait P. Cornel. aliósque pisces, qui quasi fontes aquarum evomunt, qualis præ aliis & ille, qui ex Græco dicitur Flator, qui tantam aquarum copiam efflando emitit, ut etiam alveos navium deprimat teste Rondeletio. Jam per hanc aquæ & fluminis parabolam significatur, juxta P. Cornel. turba & violentia Persecutorum, puta Exercitus, quem submittet Antichristus, ut fideles, qui ad montes & solitudines confugerant, ibidem perscrutentur & capiant vel occidant.

Et aperuit terra os suum & absorbuit flumen. P. Cornel. q. d. DEus & Angeli tutantes mulierem, id est, Ecclesiam effecerunt, ut terra per hiatum se aperiret & absorberet Persecutores ab Antichristo submissos, uti olim aperuit se & absorpsit Core, Dathan & Abiron. Num. 16. v. 13.

Porrò hoc prælium est illud ipsum, quod per Bestiam maris & per Bestiam terræ excitavit dæmon, de quo capite sequenti. Et stetit supra arenam maris. P. Cornel. stetit draco in littore maris, quia per unam Bestiam è mari & alteram è terra mox prodituram concitat bellum tam in terra quàm in mari.

Symbolicè significatur dæmonem prævalere ac prævaliturum in fine mundi hominibus terrenis voluptariis & instabilibus, qui agitantur ut mare amarum, & vento efflantur quasi arenæ. Porrò instabiles & impii rectè comparantur arenæ maris. 1. Propter infinitium eorum, id est, stultorum numerum, arena enim est innumera. 2. Propter unionis defectum, impii enim inter se non cohærent, non consentiunt, sed sunt sicut arena sine calce.

Inconstantes arenæ similes.

Caput decimum sextum.

Describitur Bestia habens 10. cornua, capita 7. de mari ascendens. Alia de terra, habens coruna quasi Agni, loquelam sicut Draco. Character Bestiæ & numerus qualis. Describitur breviter Antichristus, qualis futurus sit.

254. Apoc. 13. APocalypsis 13. Videt Joannes Bestiam habentem Cornua 10. Capita 7. similem Pardo, loquentem blasphemias contra DEum & Sanctos, eosque persequentem, dominantem omnibus Gentibus. Hæc Bestia erit Antichristus. 2. Videt aliam Bestiam facientem ignem de cælo descendere, aliáque, quæ docet & jubet adorari priorem Bestiam, ejúsque charactere omnes consignat, vetans, ne cui sine eo quippiam emerere aut vendere liceat. Hæc Bestia erit Pseudopropheta aliquis Præcursor Antichristi, numerus nominis prioris Bestiæ, id est, Antichristi, dicitur fore 666.

Bestia habens 10. cornua capita 7. Apoc. 13.

Apoc. 13 V. 1. *Et vidi de mari bestiam ascendentem habentem capita 7. & cornua 10. Et super Cornua ejus 10 diademata, & super capita ejus nomina blasphemiæ.* V. 2. *Et bestia, quam vidi, similis erat Pardo, & pedes ejus sicut pedes ursi, & os ejus sicut os Leonis. Et dedit illi draco virtutem suam & potestatem magnam* V. 3. *Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem: & plaga mortis ejus curata est. Et admirata est universa terra post bestiam.* V. 4. *Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ: & adoraverunt bestiam: dicentes: Quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea.* V. 5. *Et datum est ei os loquens magna, & blasphemias: & data est ei potestas facere menses 42.* V. 6. *Et aperuit os suum in blasphemias.* - - - - V. 7. *Et est datum illi bellum facere cum Sanctis & vincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & Gentem.* V. 8. *Et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant*

tant terram: quorum non ſunt ſcripta nomina in Libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi v. 9. *Si quis habet aurem, audiat.* v. 10. *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hìc eſt patientia & fides Sanctorum.*

Quæres. Quænam eſt hæc beſtia? Sunt varii variorum ſenſus. Haymo, Pineda, accipiunt dæmonem. P. Alcazar Romanum imperium Ethnicum, quod Chriſti Eccleſiam acriter vexavit. P. Cornelius dicit, hanc beſtiam eſſe Antihriſtum, dicitque communem eſſe ſententiam, Irenæi, Victorini, Gregorii, Proſperi, & interpretum ferè omnium hìc.

Habentem capita 7. per quæ denotantur 7. Reges, qui præcedent Antichriſtum, quorum Regna ipſe unus occupabit. ita P. Cornel. Et cornua 10. benè P. Alcazar, hæc Cornua depingit in uno eodemque capite, ſcilicet primariô Beſtiæ.

Beſtia ſimilis erat Pardo. Pardus enim, ait P. Cornelius. 1. maculoſus eſt. 2. crudelis 3. velociſſimus. Talis erit Antichriſtus maculatus omnibus ſceleribus., crudelis, inſtar fulminis pervadet orbem.

Pedes ejus ſicut pedes Urſi. Aptiſſima Inſtrumenta ad dilaniandum fideles. Et os ejus ſicut Leonis. Os, puta oris forma, rictus, & rugitus erat leoninus, id eſt, ſuperbus, immanis. Notat. P. Cornel. hæc beſtia ſimilis eſt viſioni Danielis c 7 ubi viditDaniel4. Beſtias, inter quas 3tia erat ſimilisPardo.

Myſticè, Hugo, Alcazar. (quod tamen ille putat eſſe literale) Beſtia hæc, eſt mundus, in quo, ùt ait Joan. Ep. 1. Non eſt aliud, niſi concupiſcentia, carnis concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. v. 3. Et vidi unum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem. Senſus eſt 1mo. ait P. Cornel. Vidi unum de capitibus, id eſt, Primum de Regibus Antichriſto ſubjectis. Ita Aretas. Suarez. 2do. Et potiùs. Unum de capitibus, intellige ipſum Antichriſtum, qui Beſtia ſepticeps eſt, ſimúlque ejus caput primnm & præcipuum. Nam. v. 12. Dicuntur homines adoraſſe beſtiam, cujus curata eſt plaga, adorabunt autem Antichriſtum, non autem aliquem alium è Regibus. Finget ergo Antichriſtus plagam lethalem & incurabilem, ex eaque ſe mortuum ſimulabit, ac triduo exacto, inopinatò, omnibus ſe redivivum ſiſtet, ut ſcilicet hac ratione imitetur Chriſtum. ita Richardus, Ansbertus. Notat P. Cornel. plagam hanc Antichriſti revera non fore mortiferam, ſed

ſed talis videbitur hominibus. Vel ſi revera erit incurabilis, id tantum erit reſpectu artis & opis humanæ. Dæmoni enim totum corpus noſtrum pervadenti herbarum &c. vires ſcienti naturaliter curabilis erit. Loquetur magna, id eſt, ſuperba.

Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad DEum, blaſphemare nomen ejus. P. Cornel. Antichriſtus ergo erit Atheus, tolletque omnem Deum & numen, ipſe ſolus pro Deo coli volet. Rex orbis haberi volet. Prædicabit ſe verum Chriſtum; Chriſtum verò noſtrum impoſtorem fuiſſe. Mortuum ſe & à mortuis reſurgentem ſimulabit, ac poſt tres annos cum dimidio ex monte Oliveti Cælum aſcendere tentabit, ſed ibi à Chriſto conficietur & dimittetut in Tartara.

Quorum non ſunt ſcripta nomina in Libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi. P.Cornel. OcciſusAgnus ab origine mundi. non in ſe ſed in ſuis Typis & figuris, puta S. Patriarchis, Prophetis &c. ita Ambros Anſelm &c. Eleganter S. Paulinus Ep. 27. ad Aprum, ab initio ſæculorum Chriſtus in ſuis patitur & triumphat, in Abel occiſus eſt à Fratre, in Noe irriſus à filio, in Abraham pergrinatur, in Iſaac oblatus. &c.

Hic patientia & fides Sanctorum. Moraliter vide hìc, ait P. Cornel. ut virtus per adverſa ſplendeſcat. Gagates accenditur aqua, oleo reſtinguitur. Rectè Ovid. l. 4. Triſt. Elog. 3.

Patientia virtus adverſis clareſcit.

Materiámque tuis triſtem virtutibus imple.
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis noſſet, ſi felix Troja fuiſſet.
Publica virtutis per mala facta via eſt.

Et Arator. l. 1. in Act Apoſt.

Nec cedite curis.
Virtuti damnoſa quies, nullúmque coronat.
In ſtadio ſecurus honor: ſua gloria forti,
Cauſa laboris erit, rarúsque ad gaudia Miles
Cui pax ſola fuit, victoria ſemen ab hoſte.
Accipit. &c.

V. 11. *Et vidi aliam beſtiam* 255.
deſcendentem de terra, & habebat Cornua duo ſimilia Agni, & loquebatur ſicut draco. V. 12. *Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu ejus: & fecit terram, & habitantes in ea adorare beſtiam primam, cujus curata eſt plaga mortis.* v. 13. *Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum.* v. 14. *Et ſeduxit habitantes in terra propter ſigna, quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ. dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem beſtiæ, quæ habet pla-*

Apoc. 13. Beſtia de terra.

Plagam gladii & vixit. v. 15. Et datum eſt illi, ut daret Spiritum imagini beſtiæ, & ut loquatur imago beſtiæ: & faciat, ut quicunque non adoraverint imaginem beſtiæ, occidantur.

Quæres. Quænam ſit hæc beſtiæ? P. Alcazar per illam accipit Romanum Imperium Eccleſiam Chriſti impugnans. S. Gregor. 33. Moral. 20. Rupertus. Haymo. &c. Per hanc beſtiam accipiunt univerſos Antichriſti Miniſtros. S. Grego. de terra quippe aſcendere, eſt de terrena gloria ſuperbire. &c. Ambros. Andreas. Irenæ. P. Cornel. & alii, per hanc beſtiam accipiunt inſignem aliquem impoſtorem, qui erit quaſi præcurſor Antichſtri.

Et habebat Cornua 2. ſimilia Agni. P. Cornel. hæc duo cornua erunt ſpecies & ſimulatio manſuetæ Sanctimoniæ, ut videatur eſſe agnus. Poſſent 2do. duo cornua ſignificare duos ejus adminiſtros, & cooperatores inſignes, dotibus ad decipiendum inſtructos

Et loquebatur ſicut draco. Quia doctrina ejus erit ſerpentina, id eſt, callida, fraudulenta, venenata & diabolica, ideóque aptiſſima ad decipiendum homines. Sicut enim draco, id eſt, diabolus, decipiens Evam locutus eſt per os ſerpentis, ita & loquetur per os hujus pſeudoprophetæ. ita P. Cornel.

Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cælo deſcendere. P. Cornel. quæ omnia vel ficta vel falſa erunt miracula, vel enim vitium erit in materia, ut revera non fiant, ſed per diaboli oculos intuentium perſtringentis præſtigias hominibus videantur fieri, vel in forma, omnia enim fient non vi Divinâ & ſupernaturali, ſed Phyſicâ & naturali.

Dicens, ut faciant homines imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladii, & vixit. P. Cornel. ideſt, ſuadens & perſuadens hominibus, ut faciant & adorent ſtatuas Antichriſti, qui percuſſus gladio finget ſe miraculoſè reſurrexiſſe. Loquetur imago beſtiæ vi diabolica ſicut appollo Delphicus. Ita Richardus, Rupertus. P. Cornel.

V. 16. *Et faciet omnes puſillos, &* Apoc. 13. Character Beſtiæ & numerus quis.
magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & ſervos habere charecterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis. V. 17. *Et ne quis poſſet emere aut vendere, niſi qui habet caracterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus.* V. 18. *Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt: & numerus ejus; Sexcenti Sexaginta ſex.* Et faciet omnes habere characterem in manu. Sicut nos gerimus ſignum crucis, ait Ambroſius, ita Antichriſtus faciet omnes ſuum ſignum, quaſi characterem geſtare. Putant nonnulli ait P. Cornel. quòd Antichriſtus ſuis aſſeclis notam certam fronti aut manui inuret ferro, aut cultro incidet, aliovè modo imprimet, talem enim notam Latinis ſignificat character. Sic olim milites ſignabantur ſtigmate in manu, ut ex codice Juſtin. & S. Auguſt. Chryſoſt. docet Lipſius. l. 1. & alii. P. Alcazar characterem Antichriſti exiſtimat non alium fore, quàm ipſum nomen vel numerum nominis beſtiæ. Viegas characterem unum putat fore imaginem Antichriſti ad vivum expreſſam. 2dum Nomen ipſius proprium. 3tium. Literas continentes numerum nominis. S. Hyppolitus lib. de conſum. Sæculi, cenſet characterem Antichriſti fore. Nego. Sicut enim olim Trajanus, (teſte Plinio) Decius, aliique Tyranni, qui volebant Chriſtianos reducere ad cultum idolorum, exigebant ab illis, ut dicerent: Nego Chriſtum crucifixum. ita Antichriſtus dicet, ait Hyp. Nega DEum tuum crucifixum. Veriſimiliùs (ait P. Cornel.) Primas. Ansbertus. qui aſſerit, hoc ſibi à Deo eſſe revelatum, cenſent characterem Antichriſti fore, Nomen Antichriſti hoc charactere per compendium expreſſum:



ubi Litera P. eſt ϱ. Græcum, cui reſpondet R. Latinū, duæ Lineæ transverſæ X. Chi Græcum, reſpondet Ch. Latino, tertia Linea recta inter duas transverſas media I eſt jota, reſpondens I. Latino, quæ ſunt tres initiales Literæ nominis: Chriſtus. Id ita eſſe patet. 1mo. Quia v. 17. vocatur character nominis ejus, ergo hoc charactere, hoc nomen ejus per compendium exprimetur. 2do Quia Conſtantinus hanc notam & characterem Chriſti in Labaro caſtris præferebat. Ergo verſimile eſt idem facturum Antichriſtum, qui erit Rex potentiſſimus.

v. 17. Aut numerum nominis ejus. P. Cornelius puta numerum 666. Qui græce exprimitur per literas χ ξ ς. χ. denotat. 600. ξ 60. ς 6. Verùm incertum, an Antichriſtus Græca lingua & literis, an Hebæea (erit enim Judæus) an alia utetur.

v. 18. Hìc ſapientia. q. d. advertite vos, qui vivetis tempore Antichriſti. Hìc enim opus eſt ſapientiâ, & ſolerti numeri hujus indagine. ita P. Cornel. Numerus enim hominis eſt P. Cornel q. d. certi hominis

nis particularis, scilicet Antichristi, ne quis putet eum non fore hominem, sed bestiam aut dæmonem.

Et numerus ejus sexcenti sexaginta sex. Varii sunt sensus circa hunc numerum. P. Cornel. dicit, ad literam nomen proprium Antichristi eas literas continebit, quæ arithmeticè acceptæ præcisè facient numerum 666. Ita passim Patres & Interpretes, qui proinde aut conjectando, aut potius exempli causa varia afferunt nomina, quæ hunc numerum adæquant. Sic S. Hyppolitus affert. Nego. Quin & Saxonicè, Martin Lauter; Græcè David Chitræus; Hebraicè Joannes Calvinus. Uti & Beza. Antitheos, reddere hunc numerum 666. annotarunt. Lindanus in dubitantio Dial. 3. Bellarm. L. 3. de Pontif. c. 20. Quocirca ait P. Cornel. cùm tam varia afferantur, quæ hunc numerum 666. reddant, temerarium est definire, quodnam ex omnibus re ipsa futurum sit, præsertim cum S. Joannes studio illud subticuerit. Ita Sybilla L. 5. Oracul. Per numeros nomina multorum Imperatorum præcinuit. Nam de Tiberio canit. Post tempora longa Imperium tradet cuidam, cui prima valebit. Litera ter centum. T. enim Græcis notat 300. similia de aliis. Simili modo Sybilla L. 1. Orac. prædixit nomen Christi, Literis suis, expressurum numerum: 888. Hunc enim exprimit nomen JESUS. In Græco enim Ιησȣς. I. Notat 10. η. 8. σ. 200. ο. 70. υ. 400. ς. 200. Quæ simul juncta faciunt: 888. ubi advertit P. Cornel. Christi nomen continere 888. Antichristi verò 666. Quia octonarius Symbolum est perfectionis, consummationis, & felicitatis æternæ. Antichristus verò hanc felicitatem prætendet, sed ad eandem non pertinget.

Nomen Christi. 888.

Ex hoc cap. Apocalyp. & præcedenti liquet, quanta, quamque acris futura sit persecutio Antichristi. Nam 1. tunc diabolus ultimas vires & iras exeret. 2. Antichristus omnes artes adhibebit ad decipiendum, scilicet, simulatam sanctimoniam, blanditias, promissa &c. superabit Antichristus crudelitate in Christianos, Neronem, Decium, Diocletianum aliosque Tyrannos, idque intra annos tres & dimidium, ùt notat P. Cornel. cùm tamen alii Tyranni pluribus annis grassati fuerint in Christianos, hi fuerunt typus Antichristi, præcipuè verò Julianus apostata.

Ex

Antichristus breviter describitur.

Ex hoc ergo 13tio capite Apocalyp. colligit P. Cornelius qualis futurus sit Antichristus. Primò ex versu 1. quod erit potentissimus designatus in Bestia 10. cornuum. 2do. Ex versu. 2. Quod erit sævus ùt ursus, superbus ùt Leo, varius ùt Pardus. 3. ibidem quod diabolus tradet illi omnem potestatem suam. 4to. v. 3. finget se resurgere à mortuis. 5to. v. 4. adorabitur ab hominibus. 6to. v. 5. Quod erit blasphemus in Deum, Ecclesiam, Sanctos. 7mo. v. 7. quod bellabit contra Sanctos, eosque occidet. 8vo. ibidem. Quod omnes gentes sibi subiget. 9no v 10mo. Quod tandem à Christo occidetur. 10mo. v. 12. quod habebit suum præcursorem Pseudoprophetam. 11mo. v. 13. Quod faciet ficta miracula. 12mo. v. 14. jubebit passim pingi Antichristi imaginem quasi resurgentis à morte. 13tio. v. 15. jubebit occidi eos, qui nolent adorare imaginem Antichristi. 14to. v. 16. coget omnes gestare characterem Antichristi. 15to v. 18. Quod nomen Antichristi suis Literis exprimet numerum. 666.



Caput

Caput decimum ſeptimum.

Deſcribitur Agnus in monte, quem ſequuntur Virgines. Virginitatis ſublimitas. Deſcribitur pœna damnatorum in inferno, quæ dicitur Lacus iræ Dei, ubi de inferni capacitate.

256. Apocal. 14. APoc. 14. S. Joannes. Ne recenſitis perſecutionibus Fideles percellantur, recenſet 144. millia, qui tunc Antichriſto generosè reſiſtent, non tam lingua, quàm vita, qui ſervabunt virginitatem, quocirca illorum gloriam & palmas ſubjungit, quod ſequentur agnum, quocunque ierit, quod ſint citharædi Dei &c. 2do. tranſit ad tres Angelorum voces. 3. Audit vocem de cælo: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Tandem deſcribit lacum iræ Dei, ſive infernum.

Apoc. 14. v. 1. *Et vidi: & ecce agnus ſtabat ſupra montem Sion & cum eo 144. millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis* v. 2. *Et audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem, quam audivi, ſicut citharædorum citharizantium in citharis ſuis.* v. 3. *Et cantabant quaſi canticum novum: - - - - & nemo poterat dicere canticum niſi illa 144. millia, qui empti ſunt de terra.* v. 4. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum: quocúnque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus Primitiæ Deo & Agno.* v. 5. *Et in ore eorum, non eſt inventum mendacium: ſine macula enim ſunt ante Thronum Dei.*

Agnus ſtabat ſupra montem. Agnus in monte. P. Cornel. quia in Sion ædificatum erat à Salomone Templum, hinc Sion allegoricè ſignificat Eccleſiam, novam ſub Chriſto militantem, quia hæc cæpit in Sion.

Anagogicè mons Sion ſignificat Eccleſiam in Cælis Triumphantem. Quæres. Cur dicitur ſupra montem, non in monte. Virginitatis ſublimitas. Reſpondet P. Cornel. 1. ut ſignificetur, quòd virginitas omnem virtutis communis altitudinem ſuperet. Quinimò in virginibus relucet imago Sanctiſſimæ Trinitatis. Pater eſt ingenitus. Filius à ſolo Patre ſine matre genitus, Spiritus S. non generatur, ſed ſpiratur. Hinc B. Nazianzen. in carmine de Virginitate: Prima Trias virgo eſt, ſiquidem Patre natus Anarcho, Filius eſt. 2do. To: Supra montem: ſignificat virginitatem eſſe rem arduam. Hos 144. millia, longè veriùs eſt, ait P. Cornelius, diverſos eſſe abillis 144. mill. ſignatis. Illi enim Fideles & Sancti cujuscunque ſtatûs etiam conjugalis. Viegas cenſet, poni hic numerum definitum pro indefinito, pluréſque fore in fine mundi virgines, nam ſoli infantes, qui utique ſunt virgines, plures erunt. Reſpondet P. Cornel. hìc non numerari infantes & parvulos, his enim virginitas non eſt virtus, ſed conditio ætatis: dicitque tam maſculos quàm fæminas virgines hìc enumerari. Notat P. Cornel. una eadémque vox 144. millium virginum comparatur. 1mo. Sono aquarum, quia ſonora erat ex variis vocibus & ſonis conflata. 2do. Tonitrui magno, quia vox virginum terribilis erit impiis, in fine mundi. Vox virginum ſimilis ſono Citharæ, quia ſuaviſſimo cantu Deum Angeloſque demulcet. 2do. Sonus citharæ ſignificat virtutum omnium in virginibus conſonantiam. Ita S. Hieronym. in 16. Iſaiæ v. 11.

Cantabant quaſi canticum novum. P. Cornel. To: quaſi, non eſt nota ſimilitudinis, ſed veritatis. Porro canticum novum eſt: Laus Dei, exultatio ob tam rarum & inſigne donum caſtitatis ſibi præ aliis plurimis conceſſum. Porro quantum Deo placita ſit virginitas, ſcribit Surius die 4ta Novemb. Conradum quendam ob enormia peccata juſſu Pontificis loricam ferream ad nudum corpus ferreis catenis aſtrictam geſtaſſe, donec divinitùs catenæ diſſolverentur, & ſcriptum peccatorum in charta deſcriptorum obliteraretur, hunc viſitaſſe multa Sanctorum Templa, ſed fruſtra, tandem adiiſſe ſepulchrum S. Stephani Regis Hungariæ, qui eidem apparens, ſurge, inquit, amice, adi Filii mei Emerici monumentum, ille, quòd in carnis ſervanda integritate præcipuam apud Deum gratiam promeruerit, facinorum tuorum tibi veniã impetrabit, quod & factum.

Sequuntur Agnum, quocunque ierit P. Cornel. ſcilicet greſſibus non tam corporis quam animi intellectûs & voluntatis. Ribera tamen, hanc ſequelam intelligit quoad omnia omninò gaudia & præ-

mia cælestia. Sed melius (ait P. Cornel.) Viegas & Alcazar hac phrasi sequuntur &c. non aliud significari censet, quàm quòd Agnus virginibus mirè delectetur, ita, ut eas à suo Latere nunquam velit discedere, sed cum comitentur & sequantur quaqua versum, perinde, ac Reginam virginem & sponsam comitantur virgines Primariæ & nobilissimæ.

Mendacium in Virginibus non invenitur.

v. 5. In ore eorum non est inventum mendacium. P. Cornel. virginum decus est sinceritas, ipsáque virginitas hunc candorem secum affert. Sine macula enim sunt ante Thronum Dei. To: enim dat causam præcedentium, cur scilicet in ore eorum non est inventum mendacium, quia nimirum fuerunt puri & immaculati. Maculam intellige graviorem, quæ illis objici possit v. g. mendacii.

257. v. 6. *Et vidi alterum Angelum volantem per medium Cæli habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram ---* v. 7. *Dicens magna voce: Timete Dominum & date illi Honorem ----.* v. 8. *Et alius Angelus secutus est dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes.* v. 9. *Et tertius Angelus secutus est illos dicens: si quis adoraverit bestiam & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua.* v. 10. *Et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in Calice iræ ipsius & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum & ante conspectum Agni.* v. 11. *Et fumus tormentorum eorum ascendet in Sæcula Sæculorum.*

P. Cornel censet hos tres Angelos Symbolicè significare Prædicatores Triplices, per quos Angeli hæc ipsa, quæ hic recensentur, proclamabunt toti orbi in ejus fine.

Vinum iræ Dei.

Cecidit, cecidit Babylon illa magna. Quidnam hìc à Joanne intelligatur, dicetur ad c. 17. v. 5. v. 10. Et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero. Notandum, quod veteres tum sanitatis tum sobrietatis causa miscebant vinum sive diluebant aqua, unde vulgare carmen:

Lymphatum crescit, dulcescit, lædere nescit.

Dicit ergo Joannes (ait P. Cornel.) hoc vinum iræ Dei mistum fore non aqua sed mero, id est, alio puro vino, tale enim vinum sic cum alio commistum potentius est, magísque inebriat. Ita & Andr. Ribera & alii. Quasi dicat, ira hæc & punitio Dei nulla clemen-

mentiâ, nulla consolatione mitigabitur, sed omni desolatione & dolore potiùs augebitur.

Fumus inferni qualis.

v. 11. *Et fumus tormentorum eorum.* P. Cornel. id est, ignis gehennæ, nam in inferno non videtur esse fumus vel ignis fumans, quia ibi nihil est corruptibile vel resolubile, sed omnia constantia sunt & solida, puta idem numero sempérque sibi constans ignis sulphureus.

Mortui in Domino Beati.

v. 13. *Et audivi vocem de Cælo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos* Notat P. Cornel. quòd dicta ad quoslibet Sanctos referuntur, sive Confessores, sive Martyres, hi enim omnes Beati sunt. Ambrosius & Alcazar per mortuos hìc intelligunt eos, qui mortui sunt non corpori sed mundo. Verùm hæc mysticá censet esse P. Cornel. quia ad Literam To: mortui latè sumi debere censet: Beati sunt mortui, id est, qui moriuntur, morientur, & mortui sunt in Domino.

Amodò, (idest, ex nunc) dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis. Notat contra hæreticos. P. Cornel. Justos non solùm in Cælo, sed etiam in Purgatorio requiescere, in certa spe salutis & gloriæ brevi affuturæ.

Opera enim illorum sequuntur illos. Ad quid, ait S. Bernardus, sequuntur opera Sanctos, nisi ut laudent eos in portis opera. 2do. Opera, id est, merces operum. Ita Anselm. Richar. Haymo.

Apoc. 14.

v. 14. *Et vidi, & ecce nubem candidam: & super nubem sedentem similem Filio Hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.* v. 15. *Et alius Angelus exivit de Templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora, ut metatur, quoniam aruit messis terræ.* v. 16. *Et misit, qui sedebat super nubem, falcem suam in terram & demessa est terra.* v. 17. *Et alius Angelus exivit de Templo, quod est in Cælo, habens & ipse falcem acutam.* v. 18. *Et alius Angelus exivit de Altari, qui habebat potestatem super ignem: & clamavit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam dicens: Mitte falcem tuam acutam & vindemia botros vineæ terræ: Quoniam maturæ sunt uvæ ejus.* v. 19. *Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum.* v. 20 *Et calcatus est lacus extra civitatem, & exivit sanguis de lacu usque ad*

Impiorum pœnæ. Lacus iræ Dei Scilicet infernus: in quo ingens oppressio.

frænos equorum per stadia mille sexcenta.

Judicis Christi candor. Vidit S. Joannes similem Filio Hominis in nube. (P. Cornel.) scilicet Christum Regem & Judicem, qui sedebat in nube candida in Judicio, ut indicet candorem ejus, atque in Judicio ejus nullum fucis & prætextibus fore locum.

Alius Angelus exivit de Templo. P. Cornel. id est, de loco Beatorum in Cælo, deferens scilicet ad Christum, omnium Cælituum desiderium, de consummatione mundi, punitione impiorum.

Mitte falcem. (id est, de mete.) quoniam aruit messis terræ. Sensus est, ait P. Cornel. q. d. Angelus. O Christe mete, id est, demete homines, animalia, omnéque vivens, hoc enim desiderant animæ Martyrum, omniumque Sanctorum, qui me hac de causa ad Te Legatum miserunt, quia planè matura est messis, id est, quia completus est Electorum numerus æquè ac cursus mundi. De his Angelis, P. Cornel. cum Ribera, Viega, & aliis dicit, illos esse tres præter Christum, de quo v. 14. Primus horum. v. 15. Legatus Martyrum, de quo immediatè dictum. 2dus. v, 17. Est Angelus, qui in fine mundi demet impios, unde habet falcem acutam. 3tius. v. 18. Qui secundò imperat, ut falcem exerat, & demetat impios, est ergo hic Angelus propriè dictus, æquè ac secundus. Nota cum P. Cornel. sicut per messem & triticum tum hic tum Matth. 3. 13. Significantur Electi, ita per vindemiam & botros significantur Reprobi, qui calicem iræ divinæ implebunt, ab ea calcandi extra civitatem, id est, extra Ecclesiam, vel extra Cælum in torculari infernali. Botri Reprobi.

Inferni torcular. Vide etiam torcular Apoc. 19. v. 15. V. 20. *Et exivit sanguis de lacu usque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta.* Sensus est juxta P. Cornelium Tanta erit impiorum & reproborum, qui in fine mundi occidentur, strages, ut si locus ille, quem ipsi in inferno obtinebunt, torcular esset, quo sanguis eorum exprimeretur, sanguis hic via Regia excurreret ad 1600. stadia usque ad altitudinem fræni equorum, equos intellige Christi & Sanctorum ejus, illi enim hic & c. 19. per Prosopopæiam inducuntur ut victores equites, qui egrediuntur pedibus non corporis sed mentis extra civitatem cælestem ad contemplandam victoriam Christi de impiis, eorumque stragem, ita & Andr. Ambr. Beda.

Potest 2do, ait P. Cornel. hic locus propriè accipi de capacitate totiùs inferni, q. d. impiorum

rum in fine mundi sanguis & cadavera decurrent & spargentur per totam capacitatem & longitudinem inferni. Infernus enim in longum (uti & in latum, & in profundum, quaqua versum) extenditur ad 1600. Stadia, id est, ad leucas Hispanicas 50. Ita Ribera, qui censet præcisè hìc describi spatium & quantitatem inferni, scilicet, quòd extendatur ad 1600. Stadia, licèt hoc Viegæ & Alcazari non placeat, eo quod in scriptura alibi nihil tale exprimatur. Verùm hæc ratio non concludit ait P. Cornel. nam ex ea tantùm sequitur, nihil certi de hac quantitate inferni afferri posse, non autem sequitur, nihil probabiliter conjici posse. Inferni capacitas.

P. Lessius L. 13. de Perfect. Div. c. 24. docet 1mò. Infernum non esse aliud, nisi Stagnum ignis & Sulphuris. Apoc. 20. 15. 2do. Hoc stagnum esse in medio terræ, ita, ut centrum stagni, centrum inferni, & centrum terræ, sit unum idémque, sulphureo illo stagno se se circa centrum in orbem colligente. 3tio. Cavitatem inferni esse circiter unius leucæ seu 4. milliarium Italicorum, aitque, quòd assignando singulis corporibus damnatorum 6. pedes quadratos, una leuca cubicè multiplicata, capere poterit plus quàm octingenta millia millionum corporum. (Alii tamen putant fore plures milliones damnatorum.) Additque, quòd ibi corpora damnatorum colligentur in unum cumulum instar lignorum vel carbonum, nec huc illúcque discurrent.

P. Cornelius verò dicit, esto locus ille capiendis corporibus damnatorum constipatis sufficeret, tamen multò iis majorem fore censent alii, ut magnitudo incendii immanis & quasi immensi damnatos majori horrore percellat.

Notat P. Cornel. in his Joannis visionibus nonnulla esse hyperbata, ac saltus ab uno ad aliud, & resultus, uti sunt in aliis Prophetis. Nam à signis Judicio præviis, de quibus egit, v. 6. salit v. 16. & seqv. ad præmia electorum & pænas reproborum, inde rursum resilit ad signa Judicio prævia, nam capite sequenti 15. & 16. recenset 7. plagas orbis novissimas.

Considerans pænas inferni & æternitatem S. Gregor. L. 4. Dial. 45. ait: Fit ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors semper vivit, & finis semper incipit & defectus deficere nescit. Refert Climachus grad. 4. se in Monasterio vidisse

disse Fratrem quemdam cocum, qui à Deo donum jugiter lachrymandi obtinuerat, rogatus, unde id obtinuisset, respondit: Ex ignis culinæ, quem perpetuò specto aspectu, vasta inferni incendia animo verso, quæ consideratio uberes ex oculis lachrymas elicit.

Caput decimum octavum.

Angeli 7. prodeunt cum phialis. Phialas Iræ Dei effundunt, ad quarum effusionem plagæ magnæ mundum feriunt.

258. Apocal. 15. APocalyp. 15. Redit hìc Propheta post aliqualem digressionem capitis 14ti. de die Judicii, deque damnatione impiorum ad tempora Antichristi, unde hìc producere incipit 7. Angelos effundentes 7. phialas Iræ Dei. Primò ergo videt Sanctos, qui vicerunt bestiam, stantes super mare vitreum, citharizantes &c. identidem enim Deus proponit gloriam Sanctorum, ut Fideles animet ad certamen. 2do aperitur Templum in Cælo & prodeunt 7. Angeli, vestiti lino mundo & zonis aureis, quibus singulis dantur phialæ Iræ Dei, quæ continebant 7. plagas orbis novissimas.

Apoc. 15. v. 1. *Et vidi aliud signum in Cælo magnum & mirabile, Angelos 7. habentes plagas 7. novissimas: Quoniam in illis consummata est Ira Dei.* v. 2. *Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, & eos, qui vicerunt bestiam, & imaginem ejus, & numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes Citharas Dei.* v. 3. *Et cantantes canticum Moysi servi Dei, & canticum Agni dicentes: Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens: justæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex Sæculorum.* v. 4. *Quis non timebit te Domine* &c. 7. Angeli prodeunt cum phialis.

Notat P. Cornel. per plagas novissimas hìc intelligi plagas ultimas, quas infliget Deus peccatoribus in hac vita. Unde subdit S. Joannes, quoniam in illis consummata est ira Dei.

Per

Sæculum mare. Per mare vitreum. P. Cornel. cum Ribera, genuinè accipit Sæculum hoc, sive terram, aerem & aquam, quæ instar vitri pellucent, item homines hujus Sæculi, qui misti sunt igne conflagrationis mundi, quem Deus in pænam peccatorum mundo committet. Sæculum periculosum & tempestuosum vocatur mare vitreum. 1. Quia sic à Poetis cognominatur:

Ludunt in vitreo, monstra marina, salo.

Moraliter disce hìc omnem hujus sæculi pompam, opes, gaudia & gloriam esse fragilem instar vitri transitoriam. Unde Faustus:

Tam nimis humanum celeri genus interit horâ.
Turgidæ quam pluviæ bulla liquescit aquæ.

Cantabant canticum Moysi. P. Cornel. scilicet illud Exodi 15. Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.

Et canticum Agni. Idem est canticum Agni & Moysis, sed dicitur Moysis, tanquam Figuræ & Typi, Agni verò tanquam Exemplaris & Antitypi.

Justæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex Sæculorum. P. Cornel. viæ, id est, opera & Judicia tua sunt Justa, quia justam de Persecutoribus nostris sumis vindictam.

v. 5. *Et post hæc vidi, & ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in Cælo.* Apoc. 15. v. 6. *Et exierunt 7. Angeli habentes 7. plagas de templo, vestiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.* v. 7. *Et unum de 4. Animalibus* (puta primum, id est, Leo, ut patet c. 4. 7. Leo enim fortitudinis, iræ, & vindictæ est Symbolum) *dedit 7. Angelis 7. phialas aureas, plenas Iracundiæ Dei viventis in Sæcula Sæculorum.* v. 8. *Et impletum est templum fumo à Majestate Dei & de virtute ejus: & nemo poterat introire in templum, donec consummarentur 7. plagæ 7. Angelorum.*

P. Cornel. Templum scilicet Sancta Sanctorum significat locum Beatorum. v. 6. Et exierunt 7. Angeli. Alii hæc accomodant Angelos & plagas, ait P. Cornel. ad plàgas, quas Deus immittit Peccatoribus ob 7. peccata capitalia. P. Cornelius ad Literam, veros hìc intelligit fuisse Angelos, qui Judicia & supplicia Dei, quæ Symbolicè per phialas significantur, in Homines effundent in fine mundi.

Vestiti lino mundo. Vestitus hic significat Angelorum candorem & puritatem. zonæ. Castitatem. Aureæ. Charitatem ipsorum repræsentant.

Phia-

Phialæ. Ad Literam, inquit Pannonius, ſunt decreta, ſententiæ, & Judicia Dei, in quibus ira, id eſt, ultio & ſupplicia Dei impiis inferenda, quaſi Theſauri Juſtitiæ divinæ, reſervantur, ſicut Balſamum &c. Nota 1. Ira & ultio Dei eſt res pretioſa, quæ habet os anguſtum & arctum inquit Viegas, quia hæc Judicia & decreta vindictæ Dei comprimit ejusdem Dei miſericordia, ne profundant ſed tantùm ſtillent iram.

Verùm licet Phialæ ſubinde ſignificent vaſa oris anguſti, tamen hoc loco phialæ accipiendæ ſunt patulæ & latæ, ait P. Cornel. Alcazar. Quia hæ phialæ ſunt iræ Dei extremæ & ſummæ, unde illam non ſtillabunt, ſed inſtar pateræ totam ſimul effundent in impios in fine mundi. Sunt hæ phialæ aureæ, quia ultio Dei in hac vita procedit ex amore, non ex odio, vult enim Deus homines corrigere, ſecus eſt in altera vita & gehenna.

Fumus. Symbolicè ait P. Cornel. Significat obſcuritatem & incomprehenſibilitatem Judiciorum & ſuppliciorum, quæ divina Majeſtas & potentia in fine mundi exercebit in impios.

159. Apocalyp. 16. Septem Angeli 7. phialas & plagas noviſſimas in mundum effundunt.

Apocalyp. 16. Phialas iræ Dei effundunt Angeli.

Apoc. 16. v. 1. *Et audivi vocem magnam de templo dicentem 7. Angelis: Ite & effundite 7. Phialas Iræ Dei in Terram.* v. 2. *Et abiit Primus, & effudit phialam ſuam in terram, & factum eſt vulnus ſævum & peſſimum in homines, qui habebant characterem beſtiæ; & in eos, qui adoraverunt imaginem ejus.* v. 3. *Et ſecundus Angelus effudit phialam ſuam in mare, & factus eſt ſanguis tanquam mortui: & omnis anima vivens mortua eſt in mari.* v. 4. *Et Tertius effudit phialam ſuam ſuper flumina & ſuper fontes aquarum, & factus eſt ſanguis.* v. 5. *Et audivi Angelum aquarum dicentem: Juſtus & Domine &c. - - -* v. 8. *Et quartus Angelus effudit phialem ſuam in ſolem, & datum eſt illi æſtu affligere homines & igni.* v. 9. *Et æſtuaverunt homines æſtu magno, & blaſphemaverunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas, neque egerunt pænitentiam, ut darent illi Gloriam.* v. 10. *Et quintus Angelus effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ: & factum eſt Regnum ejus tenebroſum, & commanducaverunt linguas ſuas præ dolore.* v. 11. *Et blaſphemaverunt Deum Cæli præ doloribus & vulneribus ſuis, & non egerunt pænitentiam ex operibus ſuis.*

Notat P. Cornel. Quòd Angeli hìc dicuntur effudiſſe phialas in mare, flumina, ſolem. &c. non

non ad Literam ùt ſonat, quaſi in fine mundi re ipſa phialas ſuas effuſuri ſint, ſed Symbolicè accipiendum eſt, tantùm enim hàc phraſi & Symbolo ſignificatur. Angelos operaturos & effuſuros eſſe in mari, Fluminibus &c. iram & vindictam divinam in phiala quaſi contentam v g. efficient, ut aquæ maris & fluminum vertantur in ſanguinem, ut ſol ſolitò ardentiùs urat impios.

Pœna vulneris. Ulceris.

Et factum eſt vulnus ſævum (id eſt dirum & horrendum) & peſſimum. id eſt maximè putidum, pudendum & fætidum.

Alludit, ait P. Cornel. ad 6tam plagam ægypti. Exodi 9. v. 10. Factáque ſunt ulcera veſicarum turgentium. Et ad ulcera, quibus Deus percuſſit Philiſthæos. 1. Regum 5. 6. Simili ergo plaga pudenda æquè ac doloroſa percutiet Deus in fine mundi eos, qui habent characterem beſtiæ, id eſt, Antichriſti, nimirum ut puniat tum alia eorum ſcelera, tum pudendas libidines Sic etiam hodiè Deus punit obſcænos & libidinoſos, obſcænis & moleſtis ulceribus ac lue venerea ſive morbo gallico. Hæc enim ulcera, ait P. Cornel. cæteræque plagæ, ùt ſonant, ad Literam videntur accipienda.

Mare in ſanguinem verſum.

Et 2dus Angelus effudit phialam ſuam in mare, & factus eſt ſanguis tanquam mortui. P. Cornel. optimè, inquit, hæc referuntur ad ſanguinis copiam, homo enim vel aliud animal dum occiditur, plurimum effundit ſanguinis. q. d. Aqua maris verſa eſt in ſanguinem, perinde ac ſi factæ eſſent in eo hominum cædes multíque eſſent occiſi & mortui, ideóque piſces omnes, qui in mari non ſanguine ſed aqua vivunt, pariter emortui ſunt. Nota ſicut ſecundus Angelus mare vertit in ſanguinem, ita Tertius Flumina & Fontes.

v. 5. Et audivi Angelum aquarum. Notat ex hoc Loco P. Cornel. Angelos certos à Deo Præfectos eſſe & præſidere certis Creaturis ac ſingula elementa ſuum habere Præſidem Angelum, ſi enim aquæ habent ſuum Angelum, cur non pari Jure habeat & Terra & Aer. v. 8. Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem, quia ſcilicet efficiet, ut ſol intenſius & acrius impios urat. Unde ſequitur. Et datùm eſt illi (ſoli.) æſtù affligere homines & igni. v. 10. Et quintus Angelus effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ. id eſt, ſuper Regnum & ſubditos Antichriſti, ait P. Cornel. unde factum eſt Regnum ejus tenebroſum tum propriè tum Symbolicè, tenebroſum, id

id eſt, infelix peſte, fame, morbis. &c.

Apoc. 16. Sextus Angelus.

v. 12. *Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem: & ſiccavit aquam ejus, ut præpararetur via Regibus ab ortu ſolis.* v. 13. *Et vidi de ore draconis & de ore beſtiæ, & de ore Pſeudoprophetæ Spiritus tres immundos in modum ranarum.* (ſupple prodire vel exire) v. 14. *Sunt enim Spiritus dæmoniorum facientes ſigna, & procedunt ad Reges totius Terræ congregare illos in prælium, ad diem magnum omnipotentis Dei.* v. 15. *Ecce venio ſicut Fur. Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.* v. 16. *Et congregabit illos in locum, qui vocatur hebraicè Armagedon*, contra quem prodituri ſint Reges, quibus parabitur via per Euphraten. Controvertitur.

Probabilius cenſet eſſe P. Cornel. eos pro Antichriſto contra Eccleſiam venturos. Ita Ribera & alii.

Objicies: quorſum tantus militum numerus ad profligandos Chriſtianos, cùm hi ſub Antichriſto futuri ſint perpauci? Reſpondet P. Cornel. perpaucos eſſe, ſi cum Antichriſtianis comparentur, revera tamen fore multos, præſertim quia in montes, Sylvas, aliaſque latebras ſeſe abdent.

Myſticè S. Laurentius Juſtin. & ex ipſo P. Alcazar (licet ipſe id putet eſſe Literale) ſiccatio, inquit, Euphratis Symbolum eſt Terrenæ felicitatis mundanos homines in ipſo decurſu deficientis & deſerentis. Euphrates enim ſignificat torrentem rapidiſſimum ſuperbiæ deliciarum atque opum. &c.

Felicitas mundi fluxa.

Spiritus tres immundi in modum Ranarum. Sunt dæmones, ait P. Cornel. hoc enim diſertè aſſerit S. Joannes. Cenſet Viegas hoſce tres dæmones ab Antichriſto in viſibili hominum quaſi Legatorum ſpecie mittendos, ut gentes ad ſe congregent. Verùm hoc incertum eſt, ait P. Cornel. præſertim cum hìc à Joanne non hominibus ſed ranis comparentur. Porrò hi Spiritus comparantur ranis ob immunditiem, fæditatem, loquacitatem & contumaciam. Myſticè P. Alcazar) quod tamen ille cenſet eſſe literale) per tres inquit ranas, ſignificantur, tres Fidelium hoſtes, dæmon, mundus, Caro. Idem Judaiſmus, Gentiliſſimus, Hæreſis.

Antichriſti ſubitaneum excidium.

v. 15. Ecce venio ſicut fur. Tum ad Judicium ait, P. Cornel. tum ad prælium & cladem hanc Antichriſti & Antichriſtianorum, quæ Judicio erit prævia. Et ſicut fur, id eſt, clanculum, inexpectatò, ex improviſo.

Dicitur Locus Armagedon. Quia, ùt ait P. Cornel. Armagedon ſignificat: Anathema. Vel excidium excidii, quia ſcilicet Deus ibi Antichriſtum cum ſuis pleno excidio ad internecionem usque delebit. Veriſimile eſt Armagedon fore juxta Jeruſalem & vallem Joſaphat.

Apoc. 16.

v. 17. *Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in aerem & exivit vox magna de Templo à Throno dicens: Factum eſt.* v. 18. *Et facta ſunt fulgura & voces & tonitrua & terræ motus factus eſt magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt ſuper terram: talis terræ motus ſic magnus.* v. 19. *Et facta eſt civitas magna in tres partes: Et civitates gentium ceciderunt, & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi Calicem vini indignationis iræ ejus.* v. 20. *Et omnis Inſula fugit, & montes non ſunt inventi.* v. 21. *Et grando magna ſicut talentum deſcendit de Cælo in homines, propter plagam grandinis: quoniam magna facta eſt vehementer.*

v. 17. Factum eſt. q. d. hic finis eſt 7. phialarum, ait P. Cornel. & plagarum noviſſimarum, ideóque pariter mundi finis, & Dies Judicii inſtat. Porrò effudit phialam in Aerem, quia in Aere Deus oſtenſurus erat iram ſuam, edendo in illo fulgura, voces. &c.

v. 19. Et facta eſt civitas magna in tres partes. Civitatem hanc cenſet eſſe P. Cornel. Hieroſolymam, hæc enim maxima erit tempore Antichriſti, erit enim ipſius Regia.

Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum. Quænam ſit hæc Babylon, dicetur cap. ſeq. Apocal.

v. 20. Et omnis Inſula fugit & montes non ſunt inventi. Cùm enim Elementum terræ, ait P. Cornel. Poſt Diem Judicii alio perfectiori modo ac figura conſtituendum ſit, nihil mirum eſt, quòd antea incipiat commoveri, inuſitato illo & ſtupendo modo ac quaſi univerſali totius terræ motu. Unde præceſſit. Et civitates Gentium ceciderunt.

v. 21. Et grando magna ſicut talentum deſcendit. id eſt magnæ molis. P. Alcazar. cenſet præcisè grandinem hanc habere molem & pondus talenti.

Orbis confuſio ante diem Judicii.

Hæ ergo ſunt 7. Plagæ noviſſimæ, quæ totum orbem confundent, & tantum non evertent. Viderunt hæc per Umbram Gentiles & Poëtæ. Unde Lucanus initio Libri 1. Pharſaliæ:

Sic cum compage soluta.
Sæcula tot mundi, suprema coegerit hora.
Antiquum repetent iterum Chaos, omnia, mixtis,
Sydera Syderibus concurrent ignea, Pontum
Astra petent, Tellus extendere littora nolet,
Excutiétque Fretum, Fratri contraria Phœbe,
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poscet sibi, totáque discors,
Machina, divulsi, turbabit fœdera, mundi.

Et Ovidius 1. Metam.

Esse quóque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, corruptáque Regia Cœli,
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.



Caput

Caput decimum nonum.

Apocalyp. 17. videt D. Joannes, purpuratam meretricem, cui nomen Babylon, insidentem Bestiæ habenti capita 7. Cornua 10. Atque singulorum explicationem audit ab Angelo.

Apoc. 17.

APoc. 17. v. 1. *Et venit unus de 7. Angelis, qui habebat 7. Phialas & locutus est mecum dicens. Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas.* v. 2. *Cum qua fornicati sunt Reges terræ, & inebriati sunt, qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus.*

260. Babylon Roma Infidelis & Ethnica.

Quæres. Quænam intelligenda hic Babylon? Multi intelligunt cætum impiorum. Verùm hoc mysticum videtur & valde generale, ait P. Cornel. cum de certa urbe loquitur Joannes. Quare respondet P. Cornel. Babylon hic & cap. sequenti Apoc. est Roma non Christiana, qualis nunc est, sed infidelis & Pagana, qualis fuit tempore S. Joannis & erit tempore Antichristi. (Erit etiam Ethnica.) 1. Quia Roma Ethnica. v. 18. Et ultimo, est civitas magna, quæ habet Regnum super Reges terræ, Hanc autem esse mulierem puta Babylonem ait v. 18. ultimo. Quæque habet 7. montes, uti de eadem ait v. 9. Septem capita 7. montes sunt, super quos mulier sedet & Reges septem sunt. 2. Quia S. Joannes asserit Babylonis nomen hìc non propriè sed mysticè sumendum, ait enim v. 5. *Mysterium Babylon magna.* 3. Quia ebria sanguine Martyrum, qua de causa pariter à S. Petro Ep. 1. c. 5. v. 13. Roma vocatur Babylon. *Salutat vos Ecclesia, quæ est Babylone* (id est, Romæ, ait Beda, S. Thomas & alii citati à P. Cornelio) *Coelecta.* Hæc est sententia S. Hieronym. S. Augustini, quos fusè citat P. Cornelius.

Objiciunt Hæretici, Roma est Babylon, ergo Romana Ecclesia est Babylon. Respondet P. Cornel. negando consequenti-

 am

am, aliud eſt enim Roma urbs, aliud Romana Eccleſia. Rurſum aliud eſt Roma Ethnica, aliud Roma Chriſtiana. Nec obeſt, quòd Romæ etiamnum non deſint ſcelera, lupanárque permittatur, ubi enim Gentium deſunt. Ita ne omnes Hæretici ſunt integri ſceleríſque puri. Quot Reſpublicæ honeſtæ tolerant lupas & fornices, ut virginum & Honeſtarum pudori conſulant ac crimina graviora avertant. Adde, Romæ eſt confluxus omnium ex toto Orbe nationum, in urbe eſt Orbis, quid mirum in tanta colluvie eſſe ſpurcos, quibus ni lupas concedas, agnos invadent. Eccleſia Sancta eſt, & quot in ea ſunt impii. Sane Roma Sancta eſt, & Sanctior omnibus obris Eccleſiis & Urbibus, ubi tot Monaſteria, tot Baſilicæ tot Apoſtolorum, SS. Pontificum, virginum Martyria & templa, tot Hoſpitalia, tot Noſocomia, tot miſericordiæ opera, tot Sodalitates, tot Religioſi, tot virgines Deo dicatæ &c.

Dices: Quomodo Roma in fine mundi ad priſtinas opes & Gloriam æquè ac ad Ethniciſmum redibit? Reſpondet P. Cornelius modus, quo id fiet, nos latet, variis tamen modis id contingere poterit. v. g. Si Ethnicus aliquis occupet Imperium Romanum & ad Dignitatem priſtinam reſtituat. Rurſum ſi Romam commigrent plures Ethnici nobiles. &c.

Objicit P. Alcazar, Romam fore æternam, nec excindendam. Unde prædixit S. Benedictus, eam nunquam ab infidelibus everſum iri. Reſpondet P. Cornelius S. Benedictum tantum prædixiſſe Romam à Totila & ſuo tempore, non evertendam. Porrò ſuperbum æternitatis & Deitatis Nomen Romæ à Gentilibus ſcriptoribus, utpote adulatoribus datum eſt, ut vocaretur Roma æterna, Roma Dea.

Roma quomodo æterna.

Dici tamen poteſt æterna hoc ſenſu, quia usque ad finem mundi durabit, ſed tempore Antichriſti evertetur.

Quæ ſedet ſupra aquas multas. id eſt, præſidet populis multis (ſic enim explicat S. Joannes v. 15.) qui inſtar aquæ dilabuntur, & ſibi invicem ſuccedunt. Alludit ad veteris Babylonis ſitum, ſita enim erat Babylon in confluxu Tygris & Euphratis quaſi Domina utriusque. v. 2. Cum qua fornicati ſunt (Spiritualiter ſcilicet Idola colendo) Reges terræ. Sic enim Idolatriam vocant fornicationem Prophetæ, quia in ea anima, Relicto Deo ſponſo, deſciſcit ad Idola, quaſi ad adulteros.

V. 3. *Et abſtulit me in Spiritu in Deſertum*, (Scilicet videbatur ſibi Joannes in illo mentali raptu rapi in deſertum) *& vidi mulierem ſedentem, ſuper Beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita 7. & Cornua 10. v. 4 Et mulier erat circumdata Purpura & coccino & inaurato auro & lapide pretioſo & Margaritis, habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione & immunditia fornicationis ejus.* v. 5. *Et in fronte ejus nomen ſcriptum: Myſterium. Babylon magna Mater Fornicationum & abominationum terræ. v. 6. Et vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum JEſu. Et miratus ſum, cum vidiſſem eam admiratione magna.*

Mulier inſidens Beſtiæ. Apoc. 17.

Quæres. Quænam eſt hæc beſtia. Reſpondet P. Cornel. Beſtiam hanc eſſe cætum impiorum, huic enim inſedit & præſedit Roma Ethnica tempore S. Joannis & præſidebit in fine mundi, quod ſi omninò contendas (ait idem) Beſtiam hanc eſſe eandem cum Beſtia capitis 13. ac proinde eſſe Antichriſtum. Reſpondet in hoc ſenſu verum eſſe, quod Antichriſtus ſit caput & Rex impiorum ac proinde ubi eſt corpus impiorum, ibi cenſetur eſſe eorumdem & caput.

Habentem capita 7. Quænam hæc ſint, dicetur infra ad v. 9. inaurato Auro. Legendum cum Romanis (ait P. Cornel.) inaurato auro. Licet Græca habeant. Inaurata auro. Utrúmque eodem tendit, ſed Romana Lectio eſt ſignificantior. P. Alcazar. q. d. Veſtita non vero & ſolido auro, ſed auri ſuperficie. Aut potius, ait P. Cornel. id ad luxum & faſtum referendum videtur. q. d. Auro inaurato, id eſt, duplici erat Ornatu, ſolent enim aurifices in re magnifica aurum vulgare cooperire & inaurare auro præſtantiſſimo & fulgenti.

Habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione & immunditia fornicationis. Poculum aureum, ait P. Cornel. eſt mundana felicitas, Imperii majeſtas, Terror, & Splendor opum &c. ſub cujus ſpecie, illecebra, & Pompa, Roma Pagana, ſuam Idololatriam ſuaque vitia omnibus Gentibus propinavit.

Mundi felicitas Poculum.

Plenum abominatione & immunditia. Alludit ad meretrices & veneficas, quæ in calice aureo propinant ſua philtra amaſiis. Et in fronte ejus nomen ſcriptum: Myſterium. Babylon magna Mater fornicationum. Alludit ait P. Cornel. ad Lupanar & fornices, in quibus cellæ meretricum nomine inſcribebantur. uti docet Tertul. Lib. de pudicit. Ubi, inquit, proponetur liberalitas iſta? ſub ipſis libidinum Januis, ſub

Cellæ nomine meretricum inſcriptæ.

ſub ipſis libidinum titulis. Et clarius Seneca Controv. 1. Meretrix, ait, vocata es, in communi loco ſtetiſti, ſuperpoſitus eſt cellæ tuæ titulus. Porrò ſi planè impudens aut famoſa eſſet meretrix non tantùm in cella ſed in fronte nomen ſcriptum præferebat. Docet id Seneca loco cit. Nomen tuum pependit in fronte, pretia ſtupri accepiſti, & manus, quæ dis datura erat ſacra, capturas tulit. Geſtat ergo hæc meretrix nomen ſuum Myſticum in fronte, ſicut Aaron geſtabat nomen DEum in fronte, quò ſignificatur eam publicè profiteri ſe eſſe cultricem Deorum. *Myſterium.* Hoc (ait P. Cornel.) non eſt nomen Mulieris, ùt putavit Pannonius, ſed à Joanne; quaſi per Parentheſin interiicitur, ut excitet advertentiam noſtram, utque meminerimus nomen mulieris, quod ſequitur, non eſſe proprium illius, ſed figuratum & myſticè exponendum.

Babylon magna, hoc eſt nomen meretricis, id eſt, Romæ Ethnicæ, idque primo, quia ſicut Babylon colebat Bel. ita fecit olim & faciet Roma Ethnica. 2do. Quia ſicut Babylon erat receptaculum & confuſio omnium Gentium, ita Roma Ethnica. audi S. Leonem. in feſto Apoſt. Petri & Pauli. Cùm penè omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium ſerviebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem. Manebunt tamen fideles Romæ, (ait P. Cornel) uti manſerunt in perſecutione Decii, Diocletiani, ac conſequnter manebit Eccleſia Romana & Pontificatus Romanus, & Pontifex erit Epiſcopus Urbis Romæ, licet exul & expulſus, nec enim Gentiles illum Pontificatu privare poterunt pari modo, ac cùm Pontifices manerent Avenione annis 70. fuerunt tamen Epiſcopi Urbis Romæ.

Etiam in Roma Ethnica Eccleſia catholica erit.

Apoc. 17. v. 7. *Et dixit mihi* 261.
Angelus: quare miraris? Ego dicam tibi Sacramentum (Myſterium) *mulieris & beſtiæ, quæ portat eum, quæ habet capita 7. & cornua 10. v. 8. Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo & in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes terram (quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ à conſtitutione mundi) videntes Beſtiam, quæ erat & non eſt, v. 9. Et hic eſt ſenſus, qui habet ſapientiam. Septem capita 7. montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet & Reges 7. ſunt. v. 10. Quinque ceciderunt, unus eſt, & alius nondum venit: et cum venerit, oportet illum breve tempus manere.* V. 11. *Et Beſtia, quæ erat, & non eſt: et ipſa octava eſt: et de ſeptem eſt, et in interitum vadit.*

v. 8. Et Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo & in interitum ibit. Dictum eſt ad v. 3tium. Hanc beſtiam eſſe Regnum mundi & diaboli, ſive diabolum in mundo quaſi in Regno ſuæ impietatis dominantem. Ante Chriſtum ergo hæc beſtia erat. Aſcenſura eſt de abyſſo. Alluditur ad id, quod de beſtia hac dictum c. 13. 1. Scilicet eam prodire ex abyſſo ſive ex mari q. d. Beſtia hæc eſt inſtar draconis & ceti, qui nunc è mari caput & dorſum attollit, nunc rurſùm ſe totum in illud demergit, tertio iterum emergit & aſcendit. Sic diabolus ejusque regnum & poteſtas pùta regnum infidelitatis. &c Verùm habebit tempus modicum ſui Regni, nam mox rurſum cum Antichriſto in abyſſum mergetur, & in interitum. ita Ambros. Beda &c.

Roma ſeptem montibus inſidet.

Septem capta, 7. montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet, & Reges 7. ſunt. q. d. Septem capita ſignificant. 1. 7. Montes. 2. Septem Reges. In 7. Montibus patet denotari Romam, de qua Sybilla L. 2. Romæ ſeptem vertices habentis magnæ divitiæ peribunt. Horatius. Dii quibus ſeptem placuere colles.

Septem Reges quid.

Septem Reges dicit P. Cornel. ſignificare collectionem Tyrannorum, qui ſeptem ætatibus ſive ſæculis regnarunt in mundo ſive in Regno impietatis & diaboli, atque fideles perſequebantur. Ita Ambroſ. Richard. Beda & alii. Primus ergo Rex eſt Cain cum Gigantibus aliisque ſimilibus in prima ætate mundi, quæ fuit ab Adamo ad Noe. 2dus Nemrod cum Fabris Turris Babel in ſecunda ætate, quæ fuit à Noe ad Abraham. 3tius ſunt Reges Sodomæ, Pharaones Ægypti, in tertia ætate, quæ fuit ab Abraham ad Moyſen. 4tus. Sunt impii Reges Iſraelis & Juda, qui vixerunt à tempore Moyſis ad captivitatem Babylon. 5tus. Reges Chaldæorum & Nabuchodonoſor, ac Aſiæ & Syriæ, ut Antiochus aliique à captivitate ad Chriſtum, quæ fuit, ætas quinta. 6tus. Sunt imperatores Ethnici Romani, item Saraceni, Turcæ, qui à Chriſto ad Antichriſtum fuerunt, ſunt. & erunt, unde de illo dicitur, unus adhuc eſt, 7mus. eſt Antichriſtus, qui venturus eſt, & per breve tempus regnabit, ita Ribera, Viegas &c.

Apocalyp. 17.

v. 11. Et beſtia, quæ erat, & 262.
non eſt: & ipſa octava eſt, id eſt, ipſa eſt octavum caput beſtiæ (erat enim una beſtia ſed 7. habebat capita) unde Græca

ca habet: Et ipse octavus est. Scilicet Rex. hæc enim capita significant Reges. Et de septem est. Sensus est, ait P. Cornelius q. d. Diabolus, qui est hæc bestia, distinctus est à septem bestiæ capitibus, id est, Regibus, & tamen de septem est, quia ipse in omnibus septem, quasi in membris & subditis suis regit & dominatur.

Rursum bestia hæc est mundus, sive Regnum impietatis, huic enim præsidet Dæmon quasi Monarcha. Hoc regnum octavum est (ait P. Cornel.) quia distinctum à singulis 7. Regibus jam dictis, & tamen è septem est, quia in omnibus septem existit, quasi totum in suis partibus.

Moraliter Nota To. Quæ erat & non est, hoc enim est Epithetum impiorum, eorúmque mortis & interitûs Periphrasis. Sic Regi Tyri iterat Deus. Ezech. 28. 19. *Nihil factus es, & non eris in perpetutum.*

V. 12. *Et 10. Cornua, quæ vidisti, 10. Reges sunt. Qui Regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam Reges una hora accipient post Bestiam.* (alii legunt cum Bestia) P. Cornel. dicit utrumque verum. Post bestiam, quia eam sequentur. cum bestia. Quia illi parebunt.

V. 13. *Hi unum consilium habent, & potestatem suam Bestiæ tradent.* V. 14. *Hi cum agno pugnabunt* (puta cum fidelibus & populo Christiano) *& Agnus vincet illos* - - - - - V. 15. *Et dixit mihi: aquæ, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt & gentes & linguæ.* V. 16. *Et 10. Cornua, quæ vidisti in Bestia, hi odient fornicariam & desolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipsam igni concremabunt.* V. 17. *DEus enim dedit in corda eorum, ut faciant, quod placitum est illi: ut dent Regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei.* V. 18. *Et mulier, quam vidisti, est civitas magna, quæ habet Regnum super Reges terræ.*

Anselm. Ansber. Haymo, Richard. Ribera. per 10. Cornua accipiunt 10. Reges, qui erunt in orbe sub finem mundi, quasi orbis Domini, cùm veniet Antichristus, qui Romæ & Romano imperio erunt subjecti, aut certè ex eo prodibunt, & invenientes Romæ tantas opes & gloriam, ejus jugum excutient, eamque invadent, vastabunt & concremabunt. Ex hisce tres Antichristus bello superabit, mox reliqui septem ei se subdent. Unúsque omnium Rex & Monarcha evadet, ut patet ex hoc v. 12. & v. 16. Juncto cum Danielis 7. 24. Estque communis Patrum & interpretum sensus & traditio, ùt ait S. Hieronym. Dan. 7. Hinc pa-

tet hos decem Reges diversos fore ab illis septem, illi enim tempore præcedent Antichristum. hi autem decem erunt tempore Antichristi, unde dicuntur potestatem accepturi post bestiam.

V. 16. *Hi adient Fornicariam* (id est Romam) *& carnes ejus manducabunt.* Est hyperbole. q. d. Ea rabie Romam & Romanos invadent, ut videantur eorum carnes voraturi.

V. 17. *Deus enim dedit in corda eorum, ut dent Regnum suum bestiæ.* (id est Diabolo ait P. Cornel.) Antichristo & impietati. *DEus dedit.* Non immissivè sed 1. permissivè, laxando scilicet fræna eorum voluntati, quæ sine Dei permissu, imò concursu generali in actum exire non potest. 2. Objectivè immittendo scilicet eis cogitationem de Roma, quod sit superba, dives, dignáque expugnatu ac facile expugnabilis, ob scelera ejus, quæ DEus velit punire, idque ad hoc, ut faciant, quod placitum est illi.

Reges Decem in orbe.

Nota ex hoc loco & Dan. 7. 24. certum est fore 10. Reges in Orbe, cùm veniet Antichristus, è quibus ipse tres prælio vincet, mox reliqui 7. territi, ei se subdent. Rursum certum est hosce decem Reges eversuros & concrematuros Romam, sed dubium est an id facturi sint ante Antichristum, an sub Antichristo, ita ut Antichristus eversurus sit Romam & pariter Romanum imperium per hosce Reges. Verùm re exactiùs considerata, ait P. Cornel. perspectáque tota Acoluthia Apocalypseos ac Danielis, probabilius mihi videtur, Romam & Romanum imperium, evertenda esse non ante Antichristum, sed ab Antichristo per decem Reges ei jam subjectos. Tum quia Daniel capite 7. recensens seriem Monarchiarum docet, quod sicut Chaldæorum Monarchia eversa est à Persis, Persarum à Græcis, Græcorum à Romanis, ita Romanorum imperium evertetur ab Antichristo. Tum quia communis Doctorum sententia est, P. Cornel. Romanum imperium esse ultimum & duraturum usque ad finem mundi, nec tantum Doctorum Recentiorum sed & Patrum communis, teste S. Hieronymo in cap. 9. Dan. hæc est Triditio, eaque ut videtur Apostolica, ergo non à Decem Regibus, sed ab Antichristo (licet per decem Reges) evertetur Tùm quia capite præcedenti Apocalyp in Phiala 7mi Angeli ait Joannes. & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ

ejus. Et hoc capite 17. Apoc. calicem hunc enarrare incipit. Ergo planè significat post 7. phialas & plagas novissimas fore hoc Babylonis excidium, hoc enim aptè ultimo quasi loco servatur.

Ordo rerum gerendarum ab Antichrist.

Hic ergo videtur futurus Ordo & series rei gerendæ: Antichristus sensim viribus & numero crescens debellabit tres Reges, reliqui septem perterriti ei se subdent, uti Alexandro magno, cùm vicisset Darium, tunc Antichristus in Christum & Christianos virus exeret, Romam, tum quia imperii fuit eritque æmula, tum quia fuit sedes Pontificum Christi, everti curabit per decem Reges, id est, aliquot ex iis, qui Potentiores & Romæ propiores erant, Reliquis pecuniâ aliisque modis adjuvantibus hosce deinde Reges in Armagedon convocabit, uti jam evocarat illos ex Oriente c. 16. 14. aliasque Gentes ex quatuor plagis terræ una cum Gog & Magog mox Christus omnes congregatos conficiet & occidet igne de cælo in eos immisso uti dicitur Apoc. c. 20. 9. Antichristum verò ejusque Prophetam vivum deturbabit in Tartara. Hæc ita esse patebit, si quis simul consideret hoc c. 16. v. 14. & 16. & cap. 17. v. 14. Ex dictis colligitur Romam evertendam esse non initio sed potius sub finem Regni Antichristi.

An Pontificatus tunc Roma sit transferendus.

An Pontifex Romanus Româ ab Antichristo occupatâ & vastatâ sedem in aliam urbem & Provinciam translaturus sit, aut transferre possit. Quæstio est, multi ex eo quod S. Petrus cathedram Antiochiâ transtulit Romam, affirmant quod possit. Ita Soto, Valdensis & alii. Negant S. Antonin. Turrecremata & alii, id posse sine Revelatione Divina.

Verùm quidquid sit de Jure & Possibili, existimat P. Cornel. de facto nunquam id futurum, uti hactenus nunquam factum, etiam Avenione per 70. annos, manentibus Pontificibus, erant enim etiam tunc & vocabantur Pontifices Romani non Avenionenses, dátque causas P. Cornelius. 1. Quia inutiles esset hæc Translatio, cùm etiam alibi extra Romam in omnibus Provinciis generalis persecutio erit Christianorum ab Antichristo. 2. Quia S. Petrus Romæ sedit in ardentissima persecutione Neronis. 3. Quia brevis erit persecutio Antichristi. Poterit tamen Pontifex urgente persecutione urbisque excidio profugere extra Romam, uti fecit S. Sylvester in monte Soracte latitando & alii plures.

Ca-

Caput vigesimum.

Babylonis excidium, Christi seu S. Michaelis adventus, Antichristi ejusque sequacium interitus, Satanas ligatus in mille Annos. Judicium Dei describitur. Libri aperti? Qui? Quis Liber vitæ.

263. Apoc. 18. Apocalyp. 18. Describitur excidium, & incendium Babylonis indeque luctus & planctus Regum & mercatorum. Sanctorum verò exultatio.

Apoc. 18. 1. *Et post hæc vidi alium Angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam: Et terra illumminata est à gloria ejus* (id est, à Splendore) v. 2. *Et exclamavit in fortitudine dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna; & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis Spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ & odibilis.* v. 3. *Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes Gentes: Et Reges terræ cum illa fornicati sunt; & Mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.*

Quæres. Quisnam fuerit hic Angelus? P. Alcazar accipit S. Petrum, multi accipiunt Christum, verùm magis propriè & genuinè P. Cornel. censet esse verum Angelum.

v. 2. Cecidit cecidit Babylon magna. Citat Alleg. ait P. Cornel. Isaiæ. 21. v. 9. excidium enim Babylonis per Cyrum, quod describit Isaias c. 13. & c. 21. Allegoricè significabat excidium Romæ Ethnicæ in fine mundi.

v. 3. Quia de vino iræ fornicationis biberunt omnes Gentes. Vinum iræ, ait P. Cornel. vocat calicem vindictæ, quod ob fornicationem, id est, Idololatriam DEus Romæ propinabit. Notat P. Cornel. Romæ Paganæ in fine mundi excidium prædicit hic Joannes, sed tacito nomine imò mutato vocat enim eam Babylonem, id facit, ne Domitianum imperatorem & Romanos jam tum adhuc Paganos offen-

offendat, eosque contra ſe & Chriſtianos magis concitet & inflammet. Porrò prædicit Romæ excidium Joannes ad conſolationem Fidelium & Sanctorum, qui tunc ſub Domitiano Romæ & alibi mirè exagitabantur, & paulo poſt ſub Trajano & ſequentibus imperatoribus.

Et Reges terræ cum illa fornicati ſunt & Mercatores terræ de virtute deliciarum ejus Divites facti ſunt. Notat P. Cornel. Romam vocari hic à S. Joanne. 1. Meretricem. 2. Mercatricem. 3. Cauponam, quæ ſuo vino omnes inebriat & dementat.

Apoc. 18. Prædicitur excidium & incendium Babylonis.

V. 4. *Et audivi aliam vocem de cælo dicentem : Exite de illa populus meus, ut ne participes ſitis delictorum ejus & de plagis ejus non accipiatis. v. 5. Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cælum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum ejus v. 6 Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis : & duplicate duplicia ſecundum opera ejus, in poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum. v. 7. Quantum glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum, quia in corde ſuo dicit : ſedeo Regina. - - - - - - - v. 9. Et flebunt & plangent ſuper illam Reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt & in deliciis vixerunt, cùm viderint fumum incendii ejus - - - - v. 11 Et Negotiatores terræ flebunt & lugebunt ſuper illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius, merces auri & argenti &c. - - - - v. 14. Et poma deſiderii animæ tuæ diſceſſerunt à te - - - - v. 20. Exulta ſuper eam Cœlum & Sancti Apoſtoli & Prophetæ, quoniam judicavit DEus Judicium veſtrum de illa. Pervenerunt peccata ejus usque ad Cœlum.* P. Cornel. q. d. Peccata Babylonis, alia ex aliis ſequentia, in eum cumulum excreverunt, ut usque ad cælum pertingant.

Calix temperatur cuique à Deo.

In poculo, quod miſcuit, miſcete illi duplum. Eſt Methaphora à calice, ait P. Cornel. qui à Præfecto convivii, cuique convivæ, prout illi convenire & placere ſciebat, temperabatur & propinabatur, ſic enim DEus cuique ſuum calicem, id eſt, ſortem pro meritis cujúsque attemperat & propinat. Calix ergo hìc uti & alibi ſæpè ſignificat menſuram vindictæ & tribulationis, quam DEus cuique peccatori miſcet, id eſt, pro menſura peccatorum admetitur & irrogat, & hìc q d. duplo magis affligite, ô Sancti & fideles ! mei Babylonem, id eſt, Romam infidelem, quam ipſa vos afflixerit.

Quantum glorificavit ſe in deliciis, tantum date illi tormentum. Arabicus eleganter, Gloriam in qua facta eſt (fuit) &

& luſum, date illum ei (convertite ei in) dolorem cordis & luctum. q. d. ait P. Cornel. tantum illi date pœnarum, quantum commeruit ſuis deliciis illicitis, quæ fuerunt maximæ, loquitúrque de excidio Romæ & Romanorum in hac vita,

Sedeo Regina. Hinc patet, ait P. Cornel. Romam in fine mundi ad priſtinum imperii ſplendorem, opes, vires, & pompam redituram.

Et flebunt & plangent, ſuper illam Reges terræ. Reges ſcilicet decem illi, qui Romam incendent, ait Ribera, ſolent enim ingentes calamitates & clades etiam ipſis victoribus compaſſionem & mærorem afferre. Aut potiùs, ait P. Cornel. alii Reges & Principes minores, qui in fine mundi erunt.

V. 14. *Et poma deſiderii animæ tuæ diſceſſerunt à te.* Per poma P. Alcazar. accipit occaſionem, ſenſum ergo dat. q. d. Poma deſiderii, id eſt, fructus, quem tuorum oculorum concupiſcentia præoptabat, exaruit prorſùs, & occaſio è manibus elapſa eſt. Verùm ait P. Cornel. etſi poma ex Græco verti poſſit occaſio, Latinum tamen, poma, ita verti nequit. Quis enim unquam pomum accepit pro occaſione ? Porrò inter alias Romæ delicias numerat poma deſiderii, id eſt, deſiderabilia, quia Italia & Roma pomis aureis, Limonibus, Malogranatis, Citriis &c. abundat. Ita ut Horti hiſce conſiti referant Paradiſum, Terreſtrem taceo ficus biferas, olivas, cinaras &c.

Scandali pæna inſtar Molaris Lapidis ſubmerſio.

V. 21. *Et ſuſtulit unus Angelus fortis* (P. Cornel. propriè dictus & verus) *lapidem quaſi molarem magnum & miſit in mare dicens : hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultra jam non invenietur. v. 22. Et vox citharædorum & muſicorum &c. - - - - - Et vox molæ non audietur in te amplius - - - - - Quia in veneficiis tuis*, (veneficia vocat peccati illecebras, opes, præmia, honores, ait P. Cornel.) *erraverunt omnes Gentes.*

Vox molæ non audietur in te amplius. Quia nemo erit, ait P. Cornel. qui molat. q. d. Romæ erit ſumma ſolitudo & vaſtitas, unde ſequitur. V. 23. *Lux lucernæ non lucebit in te amplius, & vox ſponſi & ſponſæ non audietur adhuc in te.* Hiſce enim phraſibus & exemplis Prophetæ ſolent ſignificare extremam deſolationem & vaſtitatem.

Apocalyp. 19. Poſt purpura- 264.
tæ meretricis puta Babylonis Apoc. 19.
excidium, deſcribitur hic cælitum ingeminantium Alleluja gaudium & gratulatio. Tum de ejus damnatione, tum quod tem-

tempus nuptiarum Agni & retributio Sanctorum adventet. Deinde Joannes Angelum hæc nuntiantem adorare vult, sed eo prohibetur. 3tio. Adventus Christi cum cælestibus describitur. 4to. Antichristus & ejus Præcursor Pseudopropheta vivi à terra absorbentur. Reliqui ejus asseclæ puta decem Regum Exercitus cum Gog & Mago occiduntur.

Apoc. 19. v. 1. *Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cælo dicentium: Alleluja: Salus & Gloria & virtus Deo nostro est* ---- v. 3. *Et iterum dixerunt: Alleluja, & fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum.* v. 4. *Et ceciderunt Seniores. 24. & 4. Animalia & adoraverunt Deum &c.* ---- v. 5. *Et vox de Throno exivit dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus.* ----- v. 6. *Et audivi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium: Alleluja* ---- v. 7. *Gaudeamus & exultemus: & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se* --- v. 9. *Et dixit mihi scribe: Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.*

Alleluja quid ejusque usus in Ecclesia, unde?

Alleluja. Ex Habraico, id est, laudate DEum. Salus nostra, scilicet Liberatio ab excidio. Virtus, id est, robur & potentia nostra, non nostris viribus sed DEo referenda est. Docet, Isidorus l. 6. Ethym. c. 19. Ecclesiam in Lætioribus festis usurpare & ingeminare Alleluja, idque accepisse ex hoc loco Apocalypseos. v. 4. Amen Alleluja. 24. Seniores dicunt Amen, quasi approbantes Alleluja cælitum, unde post Amen suum & ipsi addunt Alleluja. v. 7. Demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, alludit, ait P. Cornel. ad parabolam nuptiarum Christi Matth. 22. 2. Et uxor ejus præparavit se q. d. Ecclesia omni virtute, omnique Electorum, puta Apostolorum, Martyrum &c. varietate & numero adornavit se. Ad literam ergo ait P. Cornel. loquitur S. Joannes de nuptiis, quas Ecclesia Beata celebrat cum Christo in cælis.

Angelus recusat adorari à S. Joanne Apoc. 19.

v. 10. *Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi: vide, ne feceris, conservus enim tuus sum.* Cecidit quasi ob lætissimum nuntium de excidio Babylonis, ait P. Cornel. & nuptiis agni, deque vocibus cælitum ingeminantium: Alleluja.

Quæres. Qua de causa hic noluit Angelus adorari. S. Athan. S. Thomas Aqu. S. August. censent S. Joannem putasse hunc Angelum ob insolitum splendorem esse Christum, itaque eum ut DEum adorare voluisse, quare id respuit Angelus

gelus. Petrus Damian. Serm. 1. de Excellen S. Joan. dicit: Noluit Angelus adorari ob meritum virginitatis, quo S. Joannes excellebat. Viegas inquit, quia S. Joannes fuit Sacerdos ac Pontifex, habens potestatem consecrandi corporis Christi in Eucharistia. P. Cornel. ait genuinè. Quia Joannes erat Propheta, hanc enim causam dat Angelus c. 22. v. 9. dicens: Conservus enim tuus sum & Fratrum tuorum Prophetarum.

Sacerdotum Dignitas.

Christi cælitibus stipati adventus. Apoc. 19.

v. 11. *Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & Verax, & cum justitia judicat & pugnat.* v. 12. *Oculi autem ejus sicut flamma ignis & in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse.* v. 13. *Et vestitus erat veste aspersa sanguine: & vocatur nomen ejus verbum Dei.* v. 14. *Et exercitus, qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis vestiti byssino albo & mundo.* v. 15. *Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat Gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea: & ipse calcat Torcular vini iræ DEi omnipotentis.* v. 16. *Et habet in vestimento & in femore suo scriptum: Rex Regum & Dominus Dominantium.*

Notat P. Cornel. quòd S. Joannes per visionem vidit hic quasi aperiri cælum, indeque egredi Christum, quasi equitem cum suis turmis Angelicis & Beatis, ac descendere ad pugnam cum Antichristo ineundam.

Quæres. Cur Christus insidet equo albo? Respondet P. Cornel. 1mo. quia hic color lætus & festivus est ac Symbolum felicitatis & Triumphi. 2. Quia equi albi aliis erant celeriores, ideoque hic Symbolum sunt celeris victoriæ Christi.

Nota. Lactantius l. 7. c. 17. & 18. Hunc Christi descensum, gladium, pugnam &c. planè ad literam, ut sonant, eventura asseverare videtur. Verùm probabilius, ait P. Cornel. videtur, hæc Symbolicè ostensa Joanni tantùm significare imperium, Dominium ac Mandatum Christi, quò ipse manens in cælo, per Michaelem tanquam ducem suum, comitatum aliis Angelis ingenti luce quasi fulmine siderabit & afflabit Antichristum, ac deturbabit in Tartara.

S. Michael Personam Christi sustinens ad instar equitis de cælo descendit.

Probatur id ipsum. Tum quia Apostolus ait 2. Thessal. 2. v. 8. Quod Christus occidet Antichristum Spiritu, id est, imperio oris sui. Tum quia Daniel c. 12. 1. ait, quod tunc consurget Michael in prælium pro Christo & Christianis. Tum qui S. Petrus Actor. 3. 21. docet Christum post ascensum in cælum ibi mansurum, nec sibi-

ſibilter ex eo deſcenſurum, niſi in die Judicii.

265. **Antichriſti ejusque ſequacium interituæ Apoc. 19.**

V. 17. *Et vidi unum Angelum ſtantem in ſole, & clamavit voce magna dicens omnibus avibus, quæ volabant per medium cæli: venite & congregamini ad cænam magnam Dei* V. 18. *Ut manducetis carnes Regum, & carnes tribunorum & carnes Fortium & carnes equorum & ſedentium in ipſis & carnes omnium liberorum & ſervorum & puſillorum & magnorum* V. 19. *Et vidi beſtiam & Reges terræ & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui ſedebat in equo & cum exercitu ejus.* V. 20. *& apprehenſa eſt beſtia & cum ea Pſeudopropheta, qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos, qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure.* V. 21. *Et cæteri occiſi ſunt gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius: & omnes aves ſaturatæ ſunt carnibus eorum.*

Angelus hic ſtat in ſole, ait P. Cornel. ut ſignificet, quòd in oculis totius mundi fiet hæc Antichriſtianorum per Chriſtum ultio. Advocatio volucrum ſignificat ingentem fore ſtragem, adeò, ut ad cadavera Antichriſtianorum depaſcenda & devoranda undique vultures aliæque carnivoræ aves advolent. Per Beſtiam hìc intelligitur Antichriſtus, ùt dictum c. 13. Apocalyp. per Pſeudoprophetam, inſignis ille impoſtor, Antichriſti præcurſor.

Notat P. Cornel. Antichriſtus, ut probet ſe eſſe Chriſtum, quaſi ſimia Chriſti, finget ſe mori, & poſt mortem ad vitam reſurgere, ùt patet Apoc. 23. v. 12. poſt fictam hanc reſurrectionem coram toto populo aſcendet in montem Oliveti, uti ſignificat Daniel. c. 11. v. 45. voletque inſtar Chriſti in cælum aſcendere, ex quo ſe primitùs deſcendere mentietur, attollent enim eum in aere dæmones, ſumentes ſpeciem Angelorum, cunctis mirantibus & Divinitati ejus acclamantibus (ait Perer.) ſed mox à Chriſto per Michaelem deturbabitur, ac mox ante Antichriſtum terra dehiſcet, vivumque eum rapient dæmones in tartara, ſive vivus eo perveniat, ſive potius in via moriatur & ſuffocetur, utrumque probabile cenſet P. Cornel. probabilius tamen poſterius & conformius ſcripturæ, quæ alibi dicit, omnes omninò homines morituros, ut 2. Theſſal. 2. Porrò Michael fulgure, ut videtur, illum deturbabit.

V. 21. Et cæteri occiſi ſunt gladio. q. d. cæteri milites Antichriſti, ait P. Cornel. puta exercitus decem Regum & Gog ac Magog gladio, id eſt, juſſu & virtute Chriſti occidentur.

tur. Gladius hic erit ignis & grando.

Quæres. Quando occidetur Antichriſtus? Reſpondet P. Cornel. poſtquam regnaverit tres annos cum dimidio. uti docet; Daniel. c. 12. v. 7. S. Joannes Apoc. 11. 2. c. 12. v. 14. Addit S. Hieronym. in Dan. c. 12. 11. Eum occidendum die 1290. ab initio Regni ſui, idque ſignificare Danielem, cùm ait: & à tempore cùm ablatum fuerit Juge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta. Subdit Daniel. Beatus, qui expectat & pervenit usque ad Dies 1335. Ex quibus verbis S. Hieronym. & alii paſſim colligunt poſt Antichriſti mortem ſuperfuturos dies 45. usque ad diem judicii, quos DEus dabit hominibus lapſis in perſecutione Antichriſti ad prænitentiam Porrò probabile eſt, ait P. Cornel. diem Reſurrectionis generalis fore eundem diem, quo reſurrexit Chriſtus, puta diem Paschæ. Unde Lactantius l. 7. c. 19. docet nos reſurrecturos die Dominica, imò eadem hora, qua Chriſtus reſurrexit, Chriſtus enim fuit exemplar noſtræ Reſurrectionis. idem ſentit S. Anſelm. & alii. Suppoſitis hiſce duobus principiis ſcilicet 1mo. à nece Antichriſti usque ad diem Judicii & reſurrectionis præciſè fore. 45. dies. 2do. Reſurrectionem fore ipſo die Paſchatis, ſequitur Antichriſtum occidendum finitis Bacchanalibus (quod notent & timeant Bacchantes) primo die Quadrageſimæ, ac deinde Quadrageſimam totam lapſis dandam ad pœnitentiam, ut ſe præparent ad ultimum Paſcha, quo reſurgent ſubituri judicium Generale. Quadrageſima enim usque ad Paſcha continet dies 46. deme ex iis diem primum, utpotè quo occidetur Antichriſtus, ſupererunt 45. dies, quos numerat Daniel usque ad diem judicii, ita, ut finito die 45to & inchoante 46to, qui erit Paſcha, omnes reſurgant & judicentur. Si dicas. Ergo præcisè poterit ſciri dies judicii, quod negat Marc. c. 13. 32. Reſpondet P. Cornel. negando conſequentiam, nunc enim id non poteſt ſciri, & deinceps non poterit ſciri usque ad mortem Antichriſti, ea verò peracta poterit probabiliter ex dictis cognoſci, at non certò ſciri. Quia utrumque Principium, quo nititur hæc Sententia, incertum eſt & probabile duntaxat. Scilicet quòd Reſurrectio fiet die Paſchatis & quod præciſè erunt 45. dies ad diem judicii à nece Antichriſti, multi enim longè plures opinantur.

Reſurrectionis univerſalis dies quis.

Bacchanalibus tranſactis occidetur Antichriſtus.

265. Apocalyp. 20.

Apocalyp. 20. Continuatur materia capitis 19ni, quâ res altius à ſuo exordio repetitur. Videt enim Joannes Angelum habentem clavem abyſſi, qui ſatanam ligat in abyſſo per mille annos, quibus Sanctorum animæ regnant in Cælo. Poſt mille annos dicitur ſolvendus ſatanas ad modicum tempus, qui ſolutus congregabit gentes Gog & Magog ad Antichriſtum, ut pro eo pugnent contra Chriſtum & Chriſtianos, ſed afflabit & perdet eos Deus igne miſſo de Cælo. Satanam verò & Antichriſtum in Tartara deturbabit. Deinde Chriſtus venit ad Judicium. Reſurgunt mortui puſilli & magni. Libri aperiuntur. Ex iisque mortui jam reſuſcitati judicantur ſecundùm opera cujusque, ac tandem mors & infernus cum impiis mittuntur in ſtagnum ignis.

Angelus venit de cælo & ligat ſatanam.

Apoc. 20. v. 1. *Et vidi Angelum deſcendentem de Cælo, habentem clavem abyſſi &, catenam magnam in manu ſua.* v. 2. *Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſatanas, & ligavit eum per annos mille,* v. 3. *Et miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper illum, ut non ſeducat amplius gentes, donec conſumentur mille anni: poſt hæc oportet eum ſolvi medico tempore.*

Notandum ex P. Cornel. ſimpliciùs & planiùs hìc æquè ac c. 9. v. 1. accipitur Angelus propriè dictus, qui ſit Præſes inferni, unde habet clavem abyſſi, id eſt, habet poteſtatem laxandi infernum, in eumque detrudendi diabolum puta Luciferum, ibique illum alligandi per catenam, id eſt, per imperium divinum ejusque vim detentivam & coercitivam, idque per annos mille, id eſt, per univerſum tempus Regni Chriſti, in hac vita, puta in Eccleſia militante usque ad Antichriſtum. Millenarius enim eſt numerus perfectus. Hæc ligatio dæmonis per mille annos variè ab Interpretibus ſupputatur. à Paſſione Chriſti illam inchoant. S. Gregor. Auguſt. Beda, Pererius & alii, quam ſententiam uti plurimos & graviſſimos habentem Authores, ita maximè genuinam & veram cenſet eſſe P. Cornel. Ferdinandus Caſtilius inchoat à tempore Conſtantini.

V. 4. *Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & judicium datum eſt illis: & animas decollatorum propter teſtimonium JEſu, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt beſtiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus ſuis, & vixerunt & regnaverunt cum Chriſto mille annis.* v. 5. *Cæteri mortuorum, non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc*

eſt

eſt Reſurrectio prima. v. 6. *Beatus & Sanctus, qui habet partem in reſurrectione prima; in his ſecunda mors non habet poteſtatem: ſed erunt Sacerdotes Dei & Chriſti & regnabunt cum illo mille annis.*

Notandum cum P. Cornel. Sedes hæ ſunt Throni, in quibus jam per mille pacis Eccleſiæ annos reſident animæ Decollatorum propter JEſum, & qui non adoraverunt Beſtiam, ſunt enim ipſæ in Cælo Reges & Principes Deo quaſi aſſidentes, ejusque viſione fruentes. Hinc & Judicium datum eſt illis, quia à Deo deſtinati ſunt Judices, ut cum Chriſto in die Judicii judicent orbem.

Cæteri mortuorum (puta reprobi omnes) non vixerunt (ſcilicet vitâ beatâ, ſed iverunt in mortem primam, id eſt, in damnationem) donec conſummentur mille anni.

Chriſti Lex durabit bis mille annis.

Symbolicè notant aliqui, ait P. Cornel. repeti hic & nominari bis mille annos, quibus regnabunt Martyres & Sancti cum Chriſto, ut denotetur bis mille annos duraturam Eccleſiam.

Mundus ſex millibus.

Cenſent enim aut potiùs conjiciunt multi mundum duraturum per 6. millia annorum, ſcilicet 4. millibus ante Chriſtum & bis millibus poſt Chriſtum, non præciſè ſed circiter ſivè plus minus. Ad id aſtruendum congruas rationes plures afferunt, inter quas 1ma eſt, quia 6. diebus conditus eſt mundus, ergo totidem, puta 6. millibus annorum conſiſtet, mille enim anni apud Deum ſunt ſicut unus, ùt ait S. Petr. Ep. 2. c. 3. v. 8. 2da ratio à pari & ſimili, tres in mundo fuerunt ſucceſſive Leges & Status. Nimirum. Lex naturæ. Lex Moyſis. Lex Chriſti. Atqui tempus naturæ, quod fuit ab Adam usque ad Abraham, duravit penè per bis mille annos, Rurſum. Tempus Legis Moſaicæ ſive circumciſionis pariter duravit bis mille annos, ergo pariter 3tia Lex & ſtatus mundi puta Lex gratiæ & Chriſti durabit totidem, id eſt, bis mille annis circiter. Hæc ſententia (non definiendo certum diem nec annum) uti comm[illegible] it[illegible] probabilis eſt con[illegible], ait P. Cornel. nihil enim certi hac in re definire poſſumus, utpotè quæ pendet à ſecreto Dei Decreto, ne audiamus illud Chriſti. Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Act. 1. v. 7.

Hæc eſt reſurrectio prima. Prima reſurrectio, ait P. Cornel, eſt beatitudo ſolius animæ, quia anima ſola poſt mor-

 tem,

tem, transit in vitam & Regnum cæleste.

Apoc. 20. v. 7. *Et cùm consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super 4. angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris.* v. 8. *Et ascenderunt super latitudinem terræ & circuierunt castra sanctorum & civitatem dilectam.* v. 9. *Et descendit ignis à Deo de Cælo, & devoravit eos: & diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia.* v. 10. *Et Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in Sæcula Sæculorum.*

267. Seducet gentes, quæ sunt super 4. angulos terræ, Gog & Magog. Notandum, quod ponatur comma, post, Angulos terræ, quasi diceretur: Seducet omnes gentes, quæ sunt super angulis, id est, plagis, quin etiam, Gog & Magog. Nec enim Gog & Magog sparsi super 4. angulos terræ, sed erunt certæ gentes suum habentes Regem sive Principem, ut ait Ezechiel c. 38. v. 2. Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, & Terram Magog, Principem capitis Mosoch & Thubal, & vaticinare de eo, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Gog Principem capitis Mosoch & Thubal & circumagam te. Quo circa quod hic earum Princeps erit unus ex decem Regibus, qui tempore Antichristi erunt, unus inquam præ cæteris Ferox, Trux, Bellicosus, ideo hic præ cæteris nominantur Gog & Magog. Quia videntur fore gentes feræ & crudeles, quæ pro Antichristo contra Christum pugnabunt, unde multi putant eos fore Arabes aut Scythas vel Tartaros. Hinc & Sybilla L. 3. Oracul. Sic ait: væ tibi Regio Gog & Magog, quæ medium es Æthiopum Fluviorum, id est, quæ cingeris Fluviis Æthiopiæ, ubi fortè, inquit Alcazar, Maris brachia nomine Fluviorum appellantur. Arabia enim inter sinum Persicum & Arabicum sita est. Quin & Paulus venetus L. 1. de rebus orientalibus c. 64. Scribit in Tartaria in Provincia Teuduch. Regiones esse Gog, quas Tartari, inquit, nominant Lug & Mungug. In quem præfatum Ezechielis Locum c. 38. v. 2. Scribens P. Cornel. à Lap. plures diversas citat opiniones circa id, quid sint Gog & Magog, inter quas Judæi fabulantur Gog & Magog esse gentes *Scythicas*, quæ latent inter montes caspios & venient cum Antichristo. Lactantius L. 7. c. 24. putat, prælium Gog & Magog futurum mille annis post resurrectionem & mortem Antichristi. Eusebius docet Gog esse Romanum Imperatorem, Magog Romanum Imperium. Alii Gog & Magog putant esse prælia Angelorum & diaboli. Theodoretus Gog & Magog putat Alexandrum Magnum & Reges Syriæ ac Ægypti, Alexandri Successores, qui Judæos afflixerunt & tandem à Judæis superati sunt. S. Ambrosius L. 2. de Fide C. ult. putat Gog esse Gothos, qui Romanorum Provincias vastarunt. S. Augustinus. L. 20. civit. 11. per Gog & Magog non certas gentes sed generaliter omnes Persecutores Ecclesiæ accipit. S. Hieronymus sentit Gog esse Hæresiarchas, Magog esse illos, qui eis credunt. Dicit inter alia, ubi verba illa Ezech. 37. v. 2. Ecce ad te Gog Principem capitis (sive ros addit idem S. Hieronymus) Mosoch & Thubal, explicat: Mosoch interpretatur amentia, & Thubal, tota vel omnia. Princeps igitur & caput superbientis amentiæ & omnium malorum Gog & Magog appellantur.

Gog & Magog.

Castra Sanctorum hìc in Apocalypsi vocantur Latibula, in quæ turmatim confluent Christiani fugientes persecutionem Antichristi.

Apocal. 20. v. 11. *Et vidi Thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cujus conspectu fugit terra, & cælum & locus non est inventus eis.* v. 12. *Et vidi mortuos, magnos & pusillos stantes in conspectu Throni & Libri aperti sunt. Et alius Liber apertus est, qui est vitæ: & Judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in Libris, secundum opera ipsorum.* v. 13. *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant: & judicatum est de singulis secundum opera ipsorum.* v. 14. *Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.* v. 15. *Et qui non inventus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.*

Judicium Dei describitur. Apoc. 20.

Notandum cum P. Cornel. Per Thronum magnum & candidum intelligitur Thronus Christi Lætus & Gloriosus, in quo ille tanquam Judex sedebit. Per mortuos intelliguntur, qui ante mortui erant, jam autem resurrexerant. Per pusillos non intelliguntur Infantes, ùt quidam putant, sed parvi ætate & statura, uti sunt pueri 10. vel 14. annorum. Tum potiùs dignitate & gradu, id est, viles & abjecti rustici. &c.

Et Libri aperti sunt, & alius Liber apertus est, qui est vitæ, S. Au-

Libri aperti, qui?

S. Auguſt. 20. de civ. 14. legit. Vitæ unius cujusque, unde Liber vitæ eſt, qui cujusque vitam & actiones continet. Futurum enim eſt, ut per Dei Potentiam cujusque opera mira celeritate à quolibet conſpiciantur. P. Cornel. ait hos Libros eſſe illos, in quibus cujusque opera, tam bona quàm mala, conſcripta ſunt, ut ex iis quisque judicetur. Libri ergo hi ſunt memoriæ & conſcientiæ ſingulorum, in quibus quaſi in Libris conſcripta ſunt cujusque facta, tam bona quàm mala. Rurſum licet hi libri in ſe interirent, puta memoriæ hominum obliviſcerentur ſuorum facinorum, iidem tamen ſervantur in Dei ſcientia & memoria, in qua ſimiliter tam opera quàm conſcientiæ ſingulorum conſignatæ & deſcriptæ ſunt. Porro aperiet Deus in die Judicii hoſce Libros, tum ſingulis ſuos proprios, ſcilicet conſcientiæ & memoriæ cujusque objiciendo ſua facta, tum omnibus aperiet aliorum omnium libros & conſcientias, ſive per locutionem mentalem, nimirum per divinam revelationem, ſive Deo ſimul & ſemel elevante omnium hominum phantaſiam & intellectum, illisque vires & lumen ſupernaturale indente, ac concurrente ſupernaturaliter cum quocunque, ut videat facta cujusque in alterius conſcientia & memoria quaſi deſcripta.

Liber vitæ quis?

Et alius Liber apertus eſt, qui eſt vitæ. Quis iſte Liber? Reſpondet P. Cornel. Liber vitæ eſt Liber prædeſtinationis Dei, in quo omnes & ſoli conſcripti ſunt ii, qui deſtinati & electi ſunt ad vitam æternam. Porro Libri vitæ inducitur hìc mentio, tum quia hic componendus eſt cum prioribus Libris apertis, tum quia propter electos, qui in Libro vitæ ſcripti ſunt, maximè fiet Judicium, ut nimirum illi à Deo glorificentur. Vult enim hìc Joannes animare Fideles & Martyres dura patientes ſub Domitiano, & duriora paſſuros deinceps, præſertim ſub Antichriſto.

v. 14. Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda. S. Auguſt. Viegas, Ribera per infernum & mortem metonymicè accipiunt diabolum, qui eſt princeps mortis & inferni. P. Alcazar mortem & infernum induci cenſet quaſi duas tragicas perſonas, quarum munus eſt, ut una vitam mortalibus accipiat, alia deglutiat. Pereleganter ergo finguntur hæ duæ perſonæ horribiles, quæ exultabunt in mundo & triumphabunt poſt Univerſale Judicium unacum damnatis ad

igni-

ignitum inferorum ſtagnum deſcenſuræ.

Parvuli morientes ſine baptiſmo, ubi erunt.

v. 15. Et qui non inventus eſt in Libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis. Dices: Parvuli morientes ſine Baptiſmo non ſunt ſcripti in Libro vitæ, & tamen in ſtagnum ignis non ibunt, quia habent pænam damni, id eſt, carentiam gloriæ, non ſensûs, uti habet communis Theologiæ ſententia. Reſpondet P. Cornel. S. Joannes hìc loquitur tantùm de adultis, non de parvulis, ùt patet ex v. 12. Judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in Libris, ſecundùm opera ipſorum. Soli autem adulti judicantur ſecundùm opera ſua. Porrò Parvulos comparituros in Die Judicii, licèt id neget Durandus in 2. Diſp. 33. Qu. 3. valdè eſſe probabile cenſet P. Cornel. à Lap. in cap. Matth. 25. v. 32. tum quia Chriſtus omnium omninò hominum erit Judex, ergo etiam Parvulorum. Tum quia ex Infantibus per Martyrium vel Baptiſmum effecti ſunt Sancti, hi ergo cum adultis audient à Chriſto. Venite Benedicti Patris mei. Tum quia Infantes mortui in peccato Originali per tot millia annorum ubivis gentium erunt plurimi, adeò, ut Leſſius de Perfect. Div. cap. 22. num. 143. putet numerum illorum fore mille milliones. Hi autem abſcondi non poterunt, videbuntque omnes ſecum reſurgere & judicari à Chriſto. Quare hi quóque ſegregati ab aliis ſuam à Chriſto ſententiam accipient.

De parvulis ſine Baptiſmo decedentibus poſt diem Judicii, quid fiet.

Hos parvulos non baptizatos æternis pænis addicendos cum reliquis reprobis cenſuerunt aliqui Patrum (quos citat P. Salianus de Timore Dei Lib. 5. cap. 10.) ſcilicet S. Gregorius Lib. 9. Moralium. cap. 7. quos, quia à culpa Originis Sacramenta ſalutis non liberant, & hìc ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perveniunt. Et paulò poſt. Perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt. Nec mitiùs S. Auguſtinus Serm. 14. de ver. Ap. Nullus relictus eſt medius Locus, ubi ponere queas Infantes, de vivis & mortuis judicabitur, alii erunt ad dexteram, alii ad ſiniſtram, non novi aliud. Si ergo dextera erit & ſiniſtra, & nullum locum medium in Evangelio novimus, ecce in dextera Regnum Cælorum eſt, percipite Regnum, inquit Chriſtus, qui ibi non eſt, in ſiniſtra eſt, quid erit in ſiniſtra? Ite in ignem æternum. S. Fulgentius. Firmiſſimè tene, & nullatenùs dubites, non ſolùm homines jam ratione

uten-

utentes, verùm etiam parvulos, qui ſine Sacramento Baptiſmatis de hoc Sæculo tranſeunt, ignis æterni ſempiterno ſupplicio puniendos. At, inquit P. Salianus, prædictis Patrum ſententiis & alii Patres opponi poſſunt, & ipſa ratio. Nam Innocentius III. apertè definit (cap. majores §. ſed adhuc de Baptiſmo & ejus effe.) pænam peccati Originis eſſe carere viſione Dei, actualis verò eſſe gehennæ perpetuæ cruciatus. Rectè ſanè. Cùm enim homo Deum rei creatæ amore deſerat, tam Deo privari meretur, quàm à re creata puniri, hæc pæna ſensûs dicitur, illa damni. Cùm ergo parvuli ſe ſe creaturæ in Dei contemptum non addixerint, pænam ab ea referre non merentur, quæ Dei contemptum ulciſcatur.

S. Nazianzenus Gregor. (ante medium) in oratione ad ſacrum Lavacrum de his Infantibus ajens, inquit, eos nec cœleſti gloria, nec ſupplicio à Juſto Judice affectum iri, utpotè, qui licet baptiſmo conſignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam paſſi potiùs fuerint, quàm fecerint, ſic ille Theologus.

Ubi exiſtent.

Ubinam verò locorum poſt diem Judicii manſuri ſunt parvuli, qui ſine baptiſmi beneficio è vivis exceſſerant, varias videre licet ſententias apud P. Cornelium à Lap. in Epiſtola 2. S. Petri, caput 3. v. 13. quæ eſt: novos verò Cœlos & novam terram ſecundùm promiſſa illius expectamus. Dicit itaque. Et novam terram novo decore, fulgore & puritate ſplendentem, ut cum ſanctis, quibus ſervivit, quaſi glorificetur, eorúmque oculos, mentéſque oblectet. Paludan. in 4. Diſt. 48. Quæ. 1. cenſet quòd hic fulgor terram pervadet & pertinget usque ad Limbum puerorum, eorúmque oculos & corpora, poſtquàm reſurrexerint, illuminabit & recreabit, alioquin illi velut cæci, in perpetuis degerent tenebris. Alii, ùt Catharinus & Salmeron, cenſent, pueros hoſce futuros in terra, quaſi in quodam Paradiſo terreſtri, ideo perficiendos in cognitione naturali, ut Philoſophos omnes ſuperent, contemplaturos Deum in ſuis creaturis, eúmque amaturos & laudaturos, quin & viſione & revelationibus Angelorum gaviſuros. Sed falluntur, dum eos cenſent eſſe beatos beatitudine naturali, cùm enim damnandi ſint pæna damni (licet non ſensûs) puta carentia viſionis beatificæ, ad quam creati erant, uti contra Pela-

gium docet S. Auguſt. Hær. 88. Ep. 106. L. 1. de pecc. merit. c. 23. & alibi, damnati potiùs dicendi ſunt quàm beati. Cæteroqui (pergit P. Cornel.) probabile eſt eos in terra vitam commodam acturos, nam Limbus puerorum illorum corpora non capiet, erunt enim facile mille milliones parvulorum, qui toto orbe per tot Sæcula ſine baptiſmo mortui ſunt. Adde, tot corpora ibi naturaliter eſſe non poſſe ſine mærore & pæna ſensûs (quam tamen parvulis communiter adimunt Theologi,) hanc enim cauſarent loci obſcuritas, concluſio, depreſſio, ſquallor, anguſtiæ &c. vide Leſſium de Attrib. Div. Lib. 13. c. 23. ubi ex S. Thoma, Scoto, Marſilio, aliíſque Scholaſticis docet, parvulos hoſce comparituros in Judicio Univerſali, excepturos pænam damni, ſed perficiendos in intellectu, voluntate, aliíſque naturæ facultatibus (erit enim tunc communis totius naturæ renovatio & inſtauratio) ut contenti & læti in omnem æternitatem concorditer & amicè vivant, ac Deum ament & laudent, quòd ſe à peccato actuali & gehenna præſervarit, tantiſque naturæ donis ornaverit, ut res creatas, ac præſertim animæ ſuæ excellentiam, æquè ac Angelorum, contemplari valeant, indeque Creatorem admirari & glorificare, alioqui enim eſſent otioſi per omnem æternitatem. Nec enim credendum eſt, Deum tot milliones animarum velle eſſe ſemper in otio, & quaſi fruſtra in orbe. Si enim, ùt paſſim docent Doctores in 2. Diſt. 33. quos citat & ſequitur Gabr. Vasquez 1. 2. q. diſp. 134. c. 3. Parvuli Deo ita Providente non ſentient mærorem ob amiſſionem Regni cœleſtis, eò quòd illud ſua culpa non amiſerint, cur non credamus, eos in communi totius orbis inſtauratione pariter perficiendos, in ordine bonorum naturalium, ut Deum cognoſcere, amare, & laudare valeant, itáque vitam quietam & jucundam agant: hæc Leſſius, eáque multis rationibus confirmat. Quæ ſi vera ſunt, quis Locus parvulis iſtis aptior erit quàm terra, utpotè in qua ſolem, Cœlos, aſtra, mare, cæteráque creata intueri & contemplari poterunt, ex iíſque Deum amare & laudare. Ut ut eſt, Deo facilè erit parvulis reſurgentibus Locum congruum ſive in terra, ſive ſub terra, ſive ubi Ei libuerit, inſtruere & aptare. Porrò Gulielm, Pariſien. apud Dionyſium Carthuſ. in 4. Diſt. 47. aſſerit, Viros ſapientiſſimos cenſere, quòd

post Diem Judicii & conflagrationem mundi, terra rursum floribus, gemmis, arboribus, fontibus, aliisque similibus ornamentis sit vestienda, tum ad ejus mundique decorem, tum ad Sanctorum oblectationem, tum ad parvulorum sine baptismo defunctorum, qui in ea degent, recreationem. Idem censent Catharinus hic, Picus, Mirandul. in Heptaplo, Abulensis in cap. 25. S. Matthæi Qu. 542. 548. ac Serarius in Judith. cap. 16. qu. 2. Audi Anselmum in Elucidario. Terra, inquit, quæ in gremio suo corpus Domini confovit, tota erit ut Paradisus. Et quia Sanctorum sanguine est irrigata, odoriferis floribus, rosis, violis, immarcescibiliter erit perpetuò decorata. Alii tamen ut Oecumenius id ipsum negant.

Notandum. Habetur de Parvulis in Florentino Concil. A. D. 1439. ad finem inter Decreta Synodi Tom. 4. p. 446. Diffinimus &c. &c. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. &c.

Nota. Concilium hic videtur nihil definire, quid cum parvulis fiet post diem Judicii, adeóque nec sententias supra recensitas damnare.

Moraliter hæc lege, relege (ait P. Cornel.) rumina & pondera quotidie O Christiane. Vide, quid in Libris hisce tuis conscribas. Vis consilium? vis remedium? accipe à S. Paulo, discute, compone ad normam divinæ Legis & voluntatis singulas tuas, non tantùm actiones sed & cogitationes ac intentiones mentis: Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. 1. Cor. 11. v. 3.



Caput

Caput vigesimum primum.

Describitur Cælestis Jerusalem, amplitudo illius, Gemmæ, ubi de variis gemmis. Portæ Cæli ex Margaritis, ubi de variis qualitatibus Margaritarum.

268. Apocalyp. 21. Ad Literam directè S. Joannes depingit Ecclesiam Cælestem & Triumphantem, ait P. Cornel. citátque pro se S. Augustinum 22. civitat. 37. licet alii censuerunt hic describi gloriam Ecclesiæ Romanæ sub Constantino, aliqui felicitatem Ecclesiæ tam Militantis quàm Triumphantis. Describit itáque S. Joannes hoc capite Cælestem Jerusalem, nimirum ejus opes, splendorem, ejus murum, Portas 12. altitudinem, longitudinem, latitudinem ejus, 12. fundamenta è totidem gemmis, ejus claritatem & felicitatem.

Apocalyp. 21. Apoc. 21. v. 1. *Et vidi Cælum novum & Terram novam. Primum enim Cælum, & prima Terra abiit, & mare jam non est.* Notat P. Cornel. passim hæc accipi de materiali Cælo & Terra, hæc enim secundùm qualitates, & ut aliqui volunt, secundùm substantiam, id est formam substantialem immutanda sunt in Resurrectione & innovanda.

Mare jam non est. Longè veriùs videtur, ait P. Cornel. mare æquè ac terram & aerem post Resurrectionem quoad substantiam mansurum. Dicitur tamen hic, non est, id est, non erit, scilicet tale, quale fuit vetus illud & pristinum, turbidum, procellosum, &c. Sed erit aliud & novum æquè ac cælum & terra, cum illis enim innovabitur, fietque purum, perlucidum. &c.

v. 2. *Et ego Joannes vidi Sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de Cælo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* v. 3. *Et audivi vocem magnam de Throno dicentem. Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus,* v. 4. *Et absterget*

Deus omnem lachrymam ab oculis eorum; & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra. v. 5. *Et dixit, qui ſedebat in Throno: Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fideliſſima ſunt.* v. 6. *Et dixit mihi: Factum eſt. Ego ſum α & ω: Initium & Finis. Ego ſitienti dabo de Fonte aquæ vivæ gratis.* &c.

Notat P. Cornel. Hæc civitas 1mo. eſt ipſa Eccleſia ſive cætus & congregatio Beatorum. 2do. Ipſa civitas & Locus Beatorum, puta ipſum cælum Empyreum. Figuratè ergo hìc dicitur Jeruſalem Cæleſtis deſcendere de Cælo, ut Electos ad ſe aſſumat, fingitur enim hìc cælum Empyreum & Eccleſia ſive cætus Beatorum in terram deſcendere, ut homines Sanctos cives ſibi coop-tet.

Tropologicè. Anima ſancta eſt Jeruſalem Cæleſtis, ipſum Dei cælum. Audi S. Bernard. Serm. 27. in Cant. Eſt ergo cælum ſancta aliqua anima, habens ſolem intellectum, lunam Fidem, aſtra virtutes, quæ maxime in nocte, id eſt, in adverſis emicant.

Et audivi vocem magnam de Throno. Non Chriſti Judicis, notat P. Cornelius, ſed de Throno Dei & Agni in ipſa cæleſti Jeruſalem.

Vocatur Cælum Tabernaculum Dei potiùs quàm Templum, ut cogitemus, ait P. Cornelius, Cælum Empyreum licet ſplendidum & Auguſtum, minùs tamen eſſe Majeſtate Dei, ejusque non tam eſſe Palatium quàm Tabernaculum & Tentorium.

Lachrymas Deus abſterget.

Et abſterget omnem Lachrymam ab oculis eorum. Sicut matres dulciſſimæ, ait P. Cornelius, à parvulis ſuis lachrymulas abſtergunt, eisque blandiuntur, oſculantur, & mulcent. Piè S. Bernard. in Declam. Felices lachrymæ, quas benigna manus Conditoris abſterget. Ego ſum α & ω. Ego ſum, ait P. Cornel. qui rebus omnibus, maximè electis, do principium & finem, qui rem quamque ad ſuum finem perduco. Ego ſum, qui Eccleſiæ & Jeruſalem cæleſti principium dedi, Ego ſum, qui pariter finem dabo, ſcilicet gloriam æternam.

v. 9. *Et Venit unus de 7. Angelis habentibus phialas plenas 7. plagis noviſſimis & locutus eſt mecum dicens: veni & oſtendam tibi ſponſam uxorem Agni.* v. 10. *Et ſuſtulit me in Spiritu in montem magnum & altum & oſtendit mihi civitatem ſanctam Jeruſalem deſcendentem de Cælo à Deo.* v. 11. *Habentem claritatem Dei: & Lumen ejus ſimile lapidi pretioſo tanquam Lapidi Jaſ-*

pidis

pidis ſicut Cryſtallum. v. 12. *Et habebat murum magnum & altum, habentem portas 12. & in portis Angelos 12. Et nomina inſcripta, quæ ſunt nomina 12. Tribuum Filiorum Iſrael.* v. 13. *Ab Oriente portæ tres: Ab Aquilone portæ tres, & ab Auſtro portæ tres; & ab Occaſu portæ tres.* v. 14. *Et murus civitatis habens fundamenta 12. & in ipſis 12. nomina 12. Apoſtolorum Agni.* v. 15. *Et qui loquebatur mecum, habebat menſuram arundineam auream, ut metiretur civitatem & & portas ejus & murum.*

Dices. Jam v. 1. Joannes viderat hanc ſponſam, quomodo ergo hìc illa ipſi oſtenditur? Reſpondet P. Cornel. Vidit S. Joannes v. 1. in confuſo hujus civitatis incolas, hìc verò videt & deſcribit ipſam illorum civitatem.

Ad Cælum, tendendum per ardua.

Elatus S. Joannes ab Angelo in montem, ut videret civitatem ſanctam. Hinc notat Tropologicè P. Cornel. Mons hic ſignificat conanti & tendenti ad Beatitudinem cæleſtem in alta & ardua enitendum eſſe.

Apoc. 21.

v. 12. Et habebat murum magnum & altum. Hic murus ſignificat, ait P. Cornel. firmitatem inſuperabilem cæleſtis Jeruſalem. Per duodecem Tribus hìc accipitur Univerſitas Sanctorum & Eccleſiæ Triumphantis. Singulæ Portæ, habebant Angelos ſingulos, Angeli enim ſunt cuſtodes, ſocii, ductores, receptores Sanctorum. Habebat menſuram arundineam Angelus, id eſt, menſuram, quæ arundo dicitur & calamus, continetque ſex cubitos & palmum.

v. 16. *Et civitas in quadro poſita eſt, & longitudo ejus tanta eſt, quanta & latitudo: & menſus eſt civitatem de arundine aurea per ſtadia 12. millia: longitudo & altitudo & latitudo ejus æqualia ſunt.* v. 17. *Et menſus eſt murum ejus 144. cubitorum, menſurâ hominis, quæ eſt Angeli.* v. 18. *Et erat ſtructura muri ejus ex Lapide Jaſpide: ipſa verò civitas aurum mundum ſimile vitro mundo.*

Quadrum civitatis dicit fuiſſe quadratum non qualecúnque quadrangulum, dicit P. Cornel. idque liquerè ex eo, quod ſubditur, longitudo ejus tanta eſt, quanta eſt latitudo. Aliqui ex hoc loco opinati ſunt cælum Empyreum non eſſe rotundum, ſed quadrangulum ſaltem quoad ſuperficiem ejus convexam. Ita S. Chryſoſt. Molina, Conimbricenſes & alii, quos citat P. Cornelius, verùm dicit, hoc quadratum uti & alia hìc Symbolicè accipienda.

Tropologicè Haymo, Ans- 269.
Ecclesiæ firmitas.
bertus & Pannonius inquit, Eccleſia in quadro poſita eſſe memoratur, quia eſt robuſta

per

per fidem, longanimis per ſpem, ampla per charitatem, efficax per operationem. Menſus eſt civitatem de arundine aurea per ſtadia 12000. Puta, ait P. Cornel. menſus totum civitatis ambitum & quadratum, eo enim dimenſo cenſetur tota civitas dimenſa. Alludit S. Joannes ad urbis Hieroſolymæ ambitum, hic enim complectebatur 50. ſtadia, quæ ſi in 4. partes & latera dividas, habebis pro quolibet latere 12. Stadia cum dimidio. Hunc numerum Joannes per mille multiplicavit, ut oſtenderet Eccleſiam Chriſti præſertim Triumphantem longe ſuperare veterem Jeruſalem. Ergo hæc civitas Longa erat 375. milliaria Italica & totidem lata.

Amplitudo cæleſtis Jeruſalem.

Verùm paſſim Interpretes, ait P. Cornel. hæc 12. mill. ſtadia myſticè accipiunt, ut deſignent ingentem capacitatem hujus civitatis adæquatam menſuræ & numero 12. Apoſtolorum. Ribera & Viegas cenſent, latitudinem, longitudinem & altitudinem hujus civitatis fuiſſe æqualem, nec mirum videri debet quoad altitudinem, cæleſtis enim eſt hæc civitas, & Symbolica.

Menſura hominis, quæ eſt Angeli. q. d. Angelus menſus eſt menſura tali, quali communiter uti ſolent homines.

V. 19. *Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioſo ornata. 1mum. Jaſpis. 2dum. Sapphirus. 3tium. Chalcedonius. 4tum. Smaragdus.* V. 20. *Quintum Sardonix. 6tum. Sardius. 7mum. Chryſolitus. 8vum. Beryllus. 9num. Topazius. 10mum. Chryſopraſus. 11mum. Hyacinthus, 12mum Amethyſtus.* V. 21. *Et 12. Portæ, 12. Margaritæ ſunt, per ſingulas: & ſingulæ Portæ erant ex ſingulis Margaritis: & platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.*

Apoc. 21.

Notat P. Cornel. Cæleſtis Jeruſalem fundamenta, ſpeciem & decorem S. Joannes deſcribit per gemmas. 1mo. Quia in terra nihil eſt pulchrius aut præſtantius gemmis? 2do. Quia in Cælis videntur veræ fore gemmæ, non terreſtres, ſed Cæleſtes, & longè hiſce noſtris præſtantiores. Notat ulteriùs, quòd corpora & oculi Sanctorum ſuas habebunt opes & objecta pulcherrima & præſtantiſſima, quibus ſe paſcant & oblectent, oculi autem non ſola luce paſcuntur, ſed & varietate colorum, florum, fructuum, &c. ac præſertim gemmis fulgentibus, ergo in cælis hæc eis non deerunt, alioqui feliciores fuiſſent in terra, quàm erunt in Cælo. Denique in Cælis varias fore Beatorum manſiones & Palatia pulcherrima ex margaritis & gemmis conſtructa,

Cæleſtis Jeruſalem gemmæ.

, item prata, nemora, hortos, aliáque amæniſſima. docet S. Anſelm. Lib. de ſimilit. c 44. Soto, Ferdin. Peres. Quos citat & ſequitur P. Barradius. Tom. 3. L. 10. c. 3. Notandum. Novem gemmæ hìc planè eædem ſunt, cum 9. gemmis Rationalis. Licet alio ordine ponantur hìc, tres verò reliquæ videntur diverſæ, nam pro Chalcedonio hìc ponitur in Rationali Carbunculus, pro Hyacintho, Ligurius, pro Chryſopraſo, Achates. De quibus ſub ſingulis inferius dicetur, quomodo conveniant.

Nota 2do. 12. hìc Fundamenta ſignificant tum 12. Apoſtolos, tùm 12. Articulos Symboli ab illis compoſiti. De 12. Apoſtolis explicant Ribera, Viegas & alii, de 12. articulis Gloſſa & P. Alcazar. Quomodo dictæ gemmæ 12. accomodentur ſingulis ſingulæ Apoſtolis, vide ſupra num. 178. ubi de vocatione Apoſtolorum, utque meliùs adhuc illis accomodari poſſint, ſingularum dictarum gemmarum virtutes, dotes hìc annoto.

Gemmarum ſingulares virtutes & applicatio ad Apoſtolos & articulos Symboli.

1. Jaſpis à Plinio, Epiphanio & aliis paſſim traditur eſſe viridis, etſi enim cærulei, candidi, rubri coloris inveniantur, viridis tamen præſtantiſſimus. Jaſpis in ipſa ſuperficie terræ invenitur, eſt gemma antiquiſſima, ſiſtit fluxum ſanguinis. Accomodatur S. Petro & Articulo 1mo. Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ. 2dus Sapphirus cæruleus eſt, aureis punctis, quaſi ſtellis collucet, cæli ſpeciem præſefert, juxta Pierium, apud veteres magnæ fuit venerationi, ſiquidem per illum imperium & ſummum Sacerdotium ſignificabatur. Viſum acuit, ait Nyſſen. Galenus & Dioſcorides dicunt, quòd percuſſis à Scorpione hauſtus hic lapis prodeſt, item contra inteſtinas exulcerationes. Accomodatur S. Andreæ & Articulo 2do. Et in JEſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum. 3tius. Chalcedonius, pro Chalcedonio in Rationali erat Carbunculus eique inſcriptus erat Dan, Chalcedonium alii cenſent eſſe Carbunculum, alii genus Ambræ. P. Cornel. ait, verius eſt veterum, Chalcedonium eſſe Carbunculum, aut Carbunculi ſpeciem, Carbunculus enim erat in Rationali, à quo haſce gemmas mutuatur S. Joannes, Carbunculus videtur eſſe quaſi pruna ignita, hinc Carbunculus rubet, indeque Rubinus dicitur. P Alcazar tamen cenſet Carbunculos ſubinde candere eſſeque Adamantes, carbones enim nimis ardentes non rubent ſed candent, uti apparet in candenti ferro, quod ubi maximè ignitum eſt, fabri fer-

Chalcedonius.

Carbunculus.

Rubinus.

Adamas.

rarii appellant argentum, quia perfectè candidum eſt. Hinc in ſacra ſcriptura non nominari Adamantes, quia comprehendit eos ſcriptura nomine Carbunculorum, quocirca gemmam, quam Iſaias c. 6. v. 6 calculum & carbunculum nominat, Joannes Apoc. 2. v. 17. vocat calculum candidum, hinc videtur eſſe Chalcedonius adamas, qui inter Carbunculos eſt præſtantiſſimus. Chalcedonius congruit S. Jacobo Fratri Domini, & Articulo 3tio: Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

4tus. Smaragdus, viriditate ſuperat herbas. Ex Smaragdo fiebant ſpecula, unde Nero pugnas gladiatorum ſpectabat in Smaragdo. In æris ſodinis inveniri ſolet. Congruit S. Joanni & Articulo 4to. Paſſus ſub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, & ſepultus. 5tus. Sardonyx. Dictus inde, quòd rubeſcat, ùt ſardius candeſcat, ùt onyx, triplicem habet colorem, in triplici quaſi circulo, in infima parte eſt niger, albus in media, in ſumma ruber. Ita Plinius &c. Romani hàc gemmâ ad ſigilla utebantur. Congruit S. Philippo & Articulo 5to. Deſcendit ad Inferos.

6tus. Sardius vel Sardinus. Laudatiſſimus in Sardinia invenitur, vulneribus ferro inflictis & tumoribus medetur. Ait Epiphan. Sanguinem ſiſtit. Boetius. Gaudium accendit. Ita Abulen. Feris terrorem incutit, ait Aretas. Congruit S. Bartholomæo & Articulo 6to. Tertia die reſurrexit à mortuis, Hic articulus non jungendus 5to. Nam Reſurrectio à deſcenſu planè diſtincta & diſparata eſt. ait P. Alcazar.

7mus Chryſolitus. Valet contra Aſthma & pectoris anguſtias, contra melancholiam, puſillanimitatem, de die videtur aureus, de nocte igneus. Congruit S. Matthæo & Articulo 7mo. Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Patris.

8vus Beryllus colore eſt puri maris, puta viridi diluto, cæteræ gemmæ venuſtiores veſtitæ auro, beryllus ſine auro & nudus purior, beryllum tradunt excitare ad pugnam, inhibere catarrhos. Congruit S. Thomæ. Et articulo 8vo. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

9nus Topazius. Partim aurei coloris erat partim viridis, eſt delicatiſſima gemma, quia ſola nobilium gemmarum limam ſentit, & uſu atteritur: ait Plin. mirè ſplendet & fulget, cum ſolis radiis verberatur, comprimit paſſiones nominatim Lunaticam phreneſim, iram, triſtitiam. Congruit S. Jacobo minori & articulo 9no. Credo in Spiritum Sanctum.

10mus. Chryſopraſus. Sanat infirmitatem aciei oculorum, ut firmiter in rem objectam figi poſſit. In Rationali pro Chryſopraſo eſt Achates, hæ ſolæ duæ gemmæ inter ſe diverſæ ſunt, quanquam corallachati, quæ eſt ſpecies achatis, affinis eſt Chryſopraſus. Congruit Judæ Thadæo & Articulo 10mo: Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem.

11mus Hyacinthus. Veterum fuit idem, qui nunc vocatur Sapphirus inquit Rueus. Hyacinthus veterum cum ſole colorem mutabat, durus erat, adamante tamen ſculpebatur, difficile incaleſcebat. Peſti & venenatis morbis medici potionem ex hyacinthis præſcribebant. Hyacinthus dicitur corpus corroborare, lætitiam conciliare. In Rationali pro Hyacintho ponitur Ligurius. P. Alcazar cenſet eſſe genus Succini. Verùm probabilius eſt, ait P. Cornel hic & probat Exod. 28. 19. Eundem eſſe Hyacinthum cum Ligurio. Congruit S. Simoni Chananæo & Articulo 11mo. Remiſſionem peccatorum.

12mus Amethyſtus. Hic violaceus eſt, purpureus & roſeus, ſculptura facilis. Plutarchus ait illum habere vim attrahendi ſibi vicina. Scribit Anſelm. Boet de gem. Amethyſtum orientalem uſtione dealbari, & quaſi in adamantem verti poſſe, ita ut periti Gemmarii cum à vero adamante ſecernere vix queant. Congruit S. Mathiæ. Et articulo 12mo. Carnis Reſurrectionem & vitam æternam.

Hæc enim duo, cum eodem ſpectent, jungenda videntur, ait P. Cornel. apud quem plura de iſtis gemmis vide, quomodo applicentur Apoſtolis & Articulis Symboli.

270. Apoc. 21. Portæ Cæli ex Margaritis.

Apoc. 21. v. 21. Duodecim portæ 12. margaritæ ſunt per ſingulas. Genuinè, Aretas, Beda, Viegas, volunt hic ſignificari, non quòd in ſingulis portis fuerint 12. Margaritæ, ſed quòd ſingulæ portæ factæ fuerint ex ſingulis margaritis, ita enim mox ſe explicat S. Joannes dicens: & *ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis.* Singulæ hæ portæ factæ erant, ait P. Cornel ex ſingulis margaritis integris non diſſectis.

Margaritarum variæ qualitates.

Nota. Margaritæ à Latinis vocantur Uniones, eò quòd nullæ reperiantur in conchis ſolæ, ſed ſingulæ ſunt aliis unitæ, connexæ & quaſi compactæ. Unde Plin. L. 9. Nomen Unionum, Romanæ ſcilicet impoſuere deliciæ. Porrò per portas intelligun-

liguntur Apoſtoli & viri Apoſtolici, horum vita & doctrina eſt margarita, ait P. Cornel. quia mirè præſtans & pretioſa, atque inſtar Unionis, ſummè inter ſe unita & conſentiens. Ut enim Religioſi & Clerici, qui ſunt Prædicatores Zeloſi, Portæ cæleſtes fiant, multósque in cælos transmittant, debent eſſe inter ſe, & cum capite ſuo unionis nexu copulati, adeóque inſtar primorum Chriſtianorum eſſe cor unum & anima una. Talis eſt viſio Beatifica, gloria & fruitio Apoſtolorum & Beatorum in cælis.

Concordia Religioſorum pretioſa.

Symbolicè margaritæ aptè repræſentant viros Apoſtolicos & Religioſos. Margaritæ mulplici cute conſtant, æquè ac cælum variis orbibus. Empyreum cælum omnibus eminet, omnesque ambit. Ita Religioſa vita omnibus ſtatibus eminet, omniúmque virtutes complecti debet.

Margarita æternæ propè poſſeſſionis eſt, ait Plinius, & vita Religioſa æternæ omninò poſſeſſionis eſt. Rurſùm Origen. Tract. 13. in Matth. & Plin. l. 9. c. 35. docent inter Conchylia eſſe unum maximum, & pulchritudine margaritæ intra ſe reconditæ venuſtiſſimum, quod quaſi ducem alia Conchylia ſequuntur. Hoc Urinatores præ cæteris venantur, eo enim capto facilè reliquum agmen omnésque margaritas in eo incluſas capiunt. Ita viri Religioſi ſummum ducem Chriſtum per omnia ſequuntur, ejusque Vicarium puta ſuperiorem.

Margaritarum omnis dos in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere. ait Plin. Talis eſt Angelica Religioſorum puritas, magnitudo notat animi magnitudinem, orbiculata figura, in omnem partem mobilis, Symbolum eſt obedientiæ. Lævor & politura ſignificat mores, per omnia compoſitos. Orientales, Margaritæ, quia præ cæteris ponderoſiores, pretioſiores, ita gravitas, modeſtia & prudentia Religioſorum, quò major eò pretioſior.

Margaritæ ſolidæ ſunt & nullo lapſu franguntur, ait Plin. ita Religioſi nulla tentatione frangi debent.

Aceti aſperitas, visque margaritas in tabem reſolvit. Ita Cleopatra ſuum unionem aceto liquavit & abſorpſit. Pari modo iræ, rancoris, & invidiæ aſperitas omnem Religionis formam tabefacit & corrumpit.

Platea civitatis aurum mundum. Platea, id eſt, Plateæ, ait P. Cornel. Nam civitas 12. Mill. ſtadiorum neceſſe eſt, ut plurimas habeat plateas.

Apoc. 21. v. 22. *Et templum non vidi in ea. Dominus enim De-*

us

us omnipotens templum illius eſt & Agnus. v. 23. Et civitas non eget ſole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus eſt Agnus. v. 24. *Et ambulabunt Gentes in lumine ejus: & Reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam.* v. 25. *Et Portæ ejus non claudentur per diem: nox enim non erit illic.* v. 26. *Et afferent gloriam & honorem Gentium in illam.* v. 27. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum aut abominationem faciens & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.*

Vidit hìc Joannes, ait P. Cornel. DEum in medio hujus civitatis in Throno ſublimi, radios quaquaverſum ſpargentem, hinc civitas non eguit ſole. Et lucerna ejus eſt Agnus, id eſt, fax, ſtella vel lux oculos corporeos Beatorum illuminans & recreans. Et Reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam. Non tam ut eam glorificent & honorent, ait P. Cornel. quàm ut ab ea honorificentur, & glorificentur. Addit P. Alcazar. multi etiam Reges in cælum ſuas opes afferent, dum eas pro Chriſto deſpicient & in pauperes ergabunt, ea enim ratione mundi opes in cælum transferri & æternitate donari poſſunt. Portæ illis civitatis non claudentur per diem, id eſt, in fine diei, imminente jam nocte, quia ibi nulla erit nox, nullus hoſtis nullus metus, ſed ſumma pax & ſecuritas.

Non intrabit in eam aliquod coinquinatum. Utitur ait, P. Cornelius, neutro genere per Græciſmum, gens enim apud Græcos eſt generis neutrius, quare per aliquod coinquinatum inteligitur aliquis coinquinatus. Mortaliter diſce hìc, quantum puritati ſtudendum, cùm nullus Sanctus habens maculam vel minimam in cælos admittatur.



Caput vigeſimum ſecundum.

Fluvius aquæ vitæ quis ? Quæ ſupra illum Arbores. In Cælo ſenſus ſua oblectamenta habebunt.

271. Apoc. 22. & ult.

APocalyp. 22. Deſcribit S. Joannes Cæleſtis Jeruſalem arbores ex utraque parte fluvii locatas. Volens adorare Angelum ab eodem prohibetur, adhortatur omnes ad hujus civitatis deſiderium, tandem ad cælum & Chriſtum ſuſpirans concludit. Veni Domine JEſu &c.

Apoc. 22. v. 1. *Et oſtendit mihi fluvium aquæ vitæ, ſplendidum tanquam Cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni.* v. 2. *In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus 12. per menſes ſingulos reddens fructum ſuum & folia ligni ad ſanitatem Gentium.* v. 3. *Et omne maledictum non erit amplius: ſed ſedes Dei & Agni in illa erunt, & ſervi ejus ſervient illi.* v. 4. *Et videbunt faciem ejus: & nomen ejus in frontibus eorum.* v. 5. *Et nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos & regabunt in ſæcula ſæculorum.* v. 6. *Et dixit mihi. Hæc verba fideliſſima ſunt & vera. Et Dominus Deus Spirituum Prophetarum miſit Angelum, oſtendere ſervis ſuis, quæ oportet fieri cito.* v. 7. *Et ecce venio velociter. Beatus, qui cuſtodit verba Prophetiæ libri hujus.*

Fluvius vitæ quid. Spiritûs S. Symbolum in Fluvio.

Quæres. Quisnam hic fluvius vitæ ? Primò Richardus & Joachim reſpondent eſſe gratiam Spiritus Sancti. Rupertus ait: eſſe ipſummet Spiritum Sanctum, qui procedit à Patre & Filio, ſicut fluvius hic à Throno Dei & Agni. P. Cornelius dicit S. Joannem hic alludere ad Paradiſum terreſtrem, ejusque Fontem & lignum vitæ. Fluvius ergo hic ſignificat exuberantiam donorum & voluptatum à DEo & Chriſto in Beatos effuſſam. Dicitur fluvius aquæ vitæ vel aquæ vivæ, qui ſcilicet ſemper ex ſe, quaſi ex vitali corde effundit aquam. Talis itaque fluvius eſt viſio Beatifica, per quam Deus, ſe ſuaque omnia bona Sanctis communicat. Huic fluvio vitali ſimilis eſt fons virginis Balſamum vegetans. Burchard. enim in deſcribit. Terræ Sanctæ cap. penult. narrat ſe vidiſſe in Ægypto Hortum Balſami, qui ex ſe non dabat fructum, niſi irrigaretur fonte vicino, in quo B. Virgo ſæpius Puerum JESUM lavit, atque Saracenos expertos teſtari, fruſtra illum aliis aquis irrigari, quamobrem duxiſſe in illum fontem aliundè aquam, ut virtutem Divinam inde hauriens abundè ſufficeret ad irrigationem. Ita Tropologicè omnia noſtra cogitata, factaque tanquam ſteriles plantæ marceſcunt, niſi illa aqua vitæ irrigentur.

Beatiſſima Virgo Fons.

ô Sola inter virgines Mater (ait P. Cornel.) & inter Matres virgo. Sola Filii tui Mater & filia. Tibi tuoque JEſu competit hoc Lemma: Creſcit, quodcunque rigas.

Arbores in cæleſti Jeruſalem.

Lignum illud vitæ in cæleſti Paradiſo per ſingulos menſes afferebat fructum, erant folia ligni ad ſanitatem Gentium. q. d. Plane immortales ſunt Beati, eorunque gaudia, quia quocumque ſe vertant, per vias omnes vitales hæ Arbores occurrunt, quarum fructibus aſſiduè fruuntur. Hinc

Arbori vitæ ſimilis eſt Palma quæ ad ſingulos Lunæ ortus ſingulos etiam ramos procreat, ita ut 12. Ramorum productione annus expleatur, quocirca Ægyptii annum indicantes pingebant palmam, inquit Horus Apollo in Hierogl. c. 3.

Crucis lignum Arbor vitæ.

Quæres. Quænam hæ arbores vitæ ? Ticonius putat eſſe lignum Crucis. Verùm hæ arbores, ait P. Cornel. ſunt in Paradiſo cæleſti, crux in Eccleſia militante, quare arbores hæ non ſunt crux, niſi quis dicat crucem Chriſti & Sanctorum fore in cælo ad trophæum æternum & triumphum, quia crux, quam hic perpeſſi ſunt, pariet eis gaudium & gloriam perennem. Magis appoſitè & genuinè P. Alcazar, cenſet ſapientiam Divinam, ſive viſionem Beatificam hìc repræſentari per duo Symbola, ſcilicet, per fluvium aquæ vitæ, & per Lignum vitæ. Dicitur ipſa fluvius aquæ vitæ, quia Sanctorum ſitim & vota ſatiat. Dicitur Lignum vitæ, quia ejus ad inſtar Beatis confert immortalitatem.

Hunc vitæ Fontem cum ſuis arboribus & Gemmis ita depingit S. Auguſtin. Lib. meditat. c. 27. Tom. 9. Ad perennis vitæ Fontem mens ſitivit

tivit arida. Clauſtra carnis præſtò frangi clauſa quærit anima. Ubi vivis Margaritis ſurgunt ædificia. Et rurſum. Flos perpetuus roſarum, ver agit perpetuum. Candent Lilia, rubeſcit crocus, ſudat Balſamum. Virtent prata, vernant ſata, rivi mellis influunt. Pigmentorum ſpirat odor, liquor & aromatum. Pendent poma floridorum, non lapſura, nemorum. Inhiantes ſemper edunt, & edentes inhiant. Quibus verbis, ùt obſervat P. Cornel. oſtenditur fore ibi res floridas, odoriferas, amænas. Idem docet S. Anſelm. Oculi, aures, nares, os, manus, guttur, jecur, pulmo, oſſa, medullæ. &c. Beatorum mirabili delectationis & dulcedinis ſenſu replebuntur, Lib. de Simil. cap. 57. Idem aſſerit B Laurent. Juſtin. S. Gregor. L. 4. Dial. c. 36. Erunt enim Beati in cælo Empyreo, quaſi in æthere ſuaviſſimo & feliciſſimo, quem proinde inſtar aeris noſtri findi & ſcindi poſſe (ne Beati in eo quaſi in muro compacti ſint) docet D. Thom. in 2. d. 2. q. 2. Ar. 2. S. Ambros. Baſilius. Damaſcen. Senſuum in cælo oblectamenta. Deinde omnes ſenſus Beatorum proprias & mirificas voluptates & ſua oblectamenta, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, in cælo habituros, docent D. Thomas, Soto & alii, quos citant & ſequntur Suarez 3. par. Tom. 2. Diſp. 47. Sect. ult. Salas &c. Quocirca, ait P. Cornel. Fluvius hic, arbores & poma ad literam, uti ſonant, accipi poſſunt quid enim obſtat, nam ſi in Paradiſo terreſtri his fruitus eſt Adam, multò magis iisdem fruentur Beati in Paradiſo cæleſti, hujus enim ſpecimen & imago fuit terreſtris.

Et nox ultra non erit. S. Gregor. in fine 7mi. Pſal. Pœnit. Ibi eſt Lux ſine defectu, Gaudium ſine gemitu, deſiderium ſine pœna, Amor ſine Triſtitia, Satietas ſine faſtidio.

V. 8. *Et ego Joannes, qui audivi & vidi hæc. Et poſtquam audiſſem, & vidiſſem, cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat.* V. 9. *Et dixit mihi: vide ne feceris: conſervus enim tuus ſum, & Fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui ſervant verba Prophetiæ libri hujus: Deum adora.* V. 10. *Et dixit mihi: Ne ſignaveris verba Prophetia libri hujus: tempus enim prope eſt.* V. 11. *Qui nocet, noceat adhuc: Et qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & Sanctus ſantificetur adhuc.* V. 12. *Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecun-* Apoc. 22.

dùm opera ſua V. 13. *Ego ſum α & ω. Primus, & noviſſimus, principium, & finis.* V. 14. *Beati, qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni: ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per Portas intrent in civitatem.* V. 15. *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis, qui amat & facit mendacium.* V. 16. *Ego Jeſus miſi Angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis. Ego ſum Radix, & Genus David, Stella ſplendida & matutina.* V. 17. *Et Spiritus & ſponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui ſitit veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis* V. 18. *Conteſtor enim omni audienti verba Prophetiæ libri hujus: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* V. 19. *Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate ſancta, & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* V. 20. *Dicit, qui teſtimonium perhibet iſtorum: Etiam venio cito: Amen. Veni Domine Jeſu.* V. 21. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.*

V. 10. Ne ſignaveris verba Prophetiæ libri hujus, tempus enim prope eſt. q. d. Ne obſignaveris, ne clauſeris, ne celaveris hæc oracula, ſed potiùs ea ſcribe & expone omnibus legenda, quia omnibus profutura ſunt. Solet Deus, ùt patet Daniel. 8. 26. Prophetis jubere, ut obſignent Prophetias ſuas, quando eæ ſpectant remota tempora, tanquam parvo fructu & ſenſu legendæ eſſent, at verò cùm illæ ſint de temporibus propinquis, jubet, ne ſignentur, uti hic fit.

V. 11. Qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Verba ſunt Permittentis, ait P. Cornel. q. d. permitto jam nocenti, ut noceat, ſordido, ut ſordeſcat magis, ſed ſuo tempore eundem puniam. Quæ verò ſequuntur verba: qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc. Seriò monentis & adhortantis ſunt. Ita Viegas & Ribera. 2do. preſſiùs & nervoſiùs P. Alcazar cenſet hæc verba eſſe comparativa. q. d. Sicut ille, qui nocet, nocere pergit, ſic qui Sanctus eſt, ſanctificari pergat.

Si quis appoſuerit ad hæc &c. ſignificat fore Hæreticos, ait P. Cornel. qui Apocalypſim & S. Scripturam, cujus Apocalypſis eſt quaſi finis & clauſula, adulterarent, vel addendo, vel minuendo, ita Ticonius, Beda & alii. Dicit, non Joannes, ùt volunt Aretas & Ribera, ſed Chriſtus. V. 20. Qui Teſtimonium perhibet iſtorum, Joanni. In fine ſuæ

Apocalypsis D. Joannes anhelat ad Christum: Veni Domine JEsu. q. d. Veni Amor mi, veni gaudium meum, desiderium meum, idemque nos dicere & desiderare monet. ita D. Bernard. in Jubilo aspirabat ad JEsum;

O JESU mi dulcissime
Spes suspirantis animæ,
Te quærunt piæ lachrymæ;
Te clamor mentis intimæ.
JEsu dulceco cordium.
Fons vivus, Lumen mentium, &c.

A.M. D. G.



IN.



INDEX

Rerum in hoc opere contentarum.

NB. Numerus primus denotat numerum Marginalem; secundus Paginam.

)(2 hor

B.

C.

Cœ-

D.

De-

E.

L.

M.

N.

O.

P.

Pœ-

R.

S.

)(3 n.

Index Rerum.

O. A. M. D. G.



ERRATA CORRIGENDA.

NOTA. Litera P. Significat paginam. C. columnam. V. versum. L. lege. Ubi additur *à fine*, Versus numerandi à fine Columnæ.

P. 1. C. 2. V. 3. potentem L. pollentem.
p. 2. c. 1. v. 17. sine nulla l. sine ulla.
p. 7. c. 2. v. 8. à fine scelesti. l. scelestos.
p. 20. c. 1. v. 13. tres boves. l. tres oves.
p. 22. c. 1. v. 8. originem existimat. l. originem habuisse existimat.
p. 28. c. 1. v. 8. motus tædii. l. motus tædis.
p. 29. c. 1. v. 22. Species nullos. l. Species nullas.
p. 29. c. 2. v. 1. Adamur l. Adama.
p. 30. c. 2. v. 13. pretium. l. pretiumque.
p. 33. c. 2. v. 16. designatum. l. designatam.
p. 34. c. 1. v. 10. à fine Solianus. l. Salianus.
p. 36. c. 2. v. 5. à fine. multorum enim crimen. l. multorum enim criminum.
p. 39. c. 2. v. 7. qui ingressæ sunt. l. qui ingressi sunt.
p. 41. c. 1. v. 19. promittere. l. permittere.
p. 46. n. 22. c. 2. v. 1. Jacobo filio. l. Jacobi filio.
p. 5[illegible] c. 1. v. 15. accepta. l. acceptas.
p. 57. c. 2. v. 18. à fine. cibo sanitatus. l. cibo satiatus.
p. 61. c. 2. v. 4. Cidans. l. Cidaris.
p. 76. c. 1. v. 5. qui commeruisti. l. quia commeruisti.
p. 76. c. 2. v. 19. dum corripitur ipse facile corrumpit. l. dum corrumpitur. &c.
p. 80. c. 1. v. 8. alvum. l. alveum.
p. 84. c. 1. v. 15. restaurabant bella. l. restaurabant bello.
p. 84. c. 2. v. 11. à fine. literis in libris. l. literatis in libris.
p. 89. c. 1. v. 3. Heros l. Heroi.
p. 94 c. 1. v. 12. à fine. quam cædit. l. quam cœpit.
p. 100. c. 1. v. 16. à fine. examinandæ l. examinanda.
p. 100. c. 2. v. ult. ne facile mutuo. l. ne se facile mutuo.
p. 117. c. 1. v. 10. Hebræi insedet. l. Hebræi in Sedes.
p. 142. c. 1. v. 15. à fine. causans inadvertentiæ. l. causans inadvertentiam.
p. 143. c. 1. v. 3. à fine. Conclusus Deus. l. conclusit Deus.
p. 151. c. 1. v. 1. male custodi. l. male custoditi.
p. 165. c. 1. num. 46. v. 4. opportunam. l. opportunum.
p. 166. c. 1. v. 16. infirmior parabola. l. infirmiori parabolæ.
p. 173. c. 2. v. 4. à fine. libris. l. liberis.
p. 178. c. 2. v. 5. à fine. confirmaturi. l. confirmatum iri.
p. 179. c. 1. v. 12. à fine. Bananiæ l. Banajæ.
p. 180. c. 1. v. 15. Evod. 21. l. Exod. 21.
p. 186. c. 1. v. 6. à fine. vera & victa. l. vera & ficta.
p. 190. c. 1 v. 17. singularium diameter. l. singularum diameter.
p. 197. c. 1. v. 3. à fine. versa esset. l. aversa esset.
p. 207. c. 1. v. 3. Meretricis. l. meretritiis.
p. 228. c. 1. v. 4. singultavit. l. singultivit.
p. 229. c. 1. v. 14. præscidit. l. præcidit.
p. 232. c. 1. v. 17. incubuerat. l. incumbebat.
p. 235. c. 1. v. 5. operabatur. l. cooperabatur.
p. 237. c. 2. v. 7. Hazael. l. ab Hazael.
p. 243. c. 2. v. 12. à fin. refundit l. retundit.
p. 243. c. 1. v. 3. stopea. l. postea. castigatis. adde misit.
p. 246. c. 2. v. 8. in ipsorum. dele in.
p. 258. c. 2. v. 26. à fin. convertit. L. evertit.
p. 263. c. v. 10. à fine vicorum l. ficorum.
p. 264. c. 2. v. 13. intumit l. intumuet.
p. 272. c. 2. v. 2. in verticem. l. in cervicem.
p. 276. c. 1. v. 10. Ophmates. l. Optimates.
p. 292. c. 1. v. 3. à fin. Emalitas. l. Elamitas.
p. 298. c. 1. v. 5. artra l. atria.
p. 305. c. 1. v. 19 astautus l. astutus.
p. 335. c. 1. v. 18. prognostia. l. prognostica.
v. 20. imminentes. l. imminentis.
& v. 12. à fine. gessurus. l. gesturus.
p. 339.

p.339.c.2. v.5. à fin. quæ junior. l. qui junior.
p. 340.c.2.v. 10.à fin. vocavit. l. vacavit.
p.350.c.2. v.13. à fin. Osoium. l. Osorium.
p.350. c.2. v.14. à fine. hujusmodi. l. hujuscemodi.
p.354. c.2.v.5. & libuerit. l. ei libuerit.
p.358.c.2.v. 18. edictis. l. eductis. illa. l. illas.
p.359.c.2.v. 18. illa vasa. l. illi vasa.
p.360. c.1.v. 12. & 3000. cæsis. adde reversi Hierosolymam.
p.364.c.1.v.7. à fin. contrariæ novitiæ. l. contrarii novitiæ doctrinæ.
p.370.c.1.v. 12. à fin. Salomei. l. Salomes.
p.375.c.1.v.7. à vita. l. avita.
p.409.c.2. v.12. variæ gloriæ. l. vanæ gloriæ.
p. 410. c.2.v. 11. vos deorsum estis. l. vos de deorsum estis.
p.416.c.2. v.3. ea habent. l. exhibent.
p.417.c.1.v.6. à fine. conjugatis. l. conjugalis.
p.417. c.2.v.9. audisset. l. auxisset.
p.417. c.2.v. 16. induit. l. inducit.
p. 418. c.2.v. 10. apud Uberum. l. Weberum.
p.418.c.2. v. 5. flumine l. fulmine.
v. 6. S. Romeno. l. Sozomeno.
p.421.c.2.v.4. Taunos. l. Faunos.
p.421. v.8. cttanem. l. attamen.
p.422.c.1. v.11. à fine. offerebant. adde *ei*.
p.427.c.2. v.5. à fine. Cominico. l. Dominico.
p.428.c.2.v. 7. à fine. instruere. l. instituere.
p.429.c.2. Amethysnis. l. amethystus.
p. 430. c.2. v. 16. sic Sparni. l. Spartani.
p.433.c.1. v. 13. faciunt. l. facit.
p.435.c.1. v. 19. horraque l. horæque.
p.442.c.2.v.9. à fine. Sophismatis. l. Schismatis.
p.446.c.2.v.18. observandam l. ob servandam.
p.447.c.1.v.9. à fine. Testucam. l. Festucam.
p.447.c.2. v.15. alia l. aliena.
p.449.c.2.v. 2. à fine. continebat. l. contingebat.
p.451. c. 2. v. 17. à fine. patri. l. parti. afflixit. l. affixit.
p.458. c.2.v. 16. deficiet & esurit. l. deficit & esurit.
p.464. c.2.v. 19. imolum. l. imo eum.

p.480. c.1.v.1. Deitate l. Deitati.
p. 489. c.1. v. 18. à fine. Tubamula. l. Turba multa.
p. 492. c.1.v.9. Chietanus. l. Cajetanus.
p. 494. c. 1.v.16. Mani. l. Marci.
p.501. c. 2. v. 15. Narrabas. l. Karrabas.
p.504. c. 2. v. 21. recta. l. tecta.
p. 510. c.2.v.4. à fine. extertius. l. exterius. & v. 6. & se l. esse.
p.512. c.2.v. 9. à fine. Panas. l. Paxas.
p.519.c.1. v.13. tactus. l. tactu.
p. 531. c. 1. v. 9. melior si. l. melior sit.
p.532. c.1.v.5. sortes ejus. l. sortes eis.
p. 535. c.2.v. 17. dispartitæ linguæ. l. dispertitæ. Actor. 2. v. 3.
p. 542. c.1. v. 13. Ronorem. l. honorem.
p.558. c. 2.v.10. auSlo. l. Saulo.
p.611. c.2.v.6. à fine. offeretur. l. offertur.
p.612. c.1. v. 4. à fine. Efficatio Verbi Dei. l. efficacia Verbi Dei.
p.616.c.2.v.3. rotunditasque. l. delendum que.
p.621.c.1. v.17. terrore. l. terror.
p.623.c.1. v. ultimo. Qui occi sunt. l. qui occisi sunt.
p.642. c.2. v. 1. Christus ejus. l. Christi ejus.
p.644. c. 1. v.7. à fine. pascant eum. l. pascant eam.
p.645.c.1. v.11. apud Landoviam. l. apud Laudoviam.
p.646. c.2.v. 19. à fine. mosus. l. motus.
p.647. c.2. v.14. Menoch. l. Henoch.
p. 649. in Titulo. v. 5. descritur. l. describitur. v.7. qualis futu sit. l. qualis futurus sit.
p.652.c.2. v.11. libros. l. liberos.
p.660. c. 1.v. 2. à fine. demet impios. l. demetet impios.
p.664.c.2. v.20. justus & Domine. l. justus es Domine.
p. 670.c.1.v.18. à fine. obris. l. orbis.
p. 680. c.2. v. 5. sed eo. l. sed ab eo.
p.691.c. 2.v.10. quos vitat. l. quos citat.
p.692.c.2. v.9. cum parlis. l. cum parvulis.
p. 704. c. 2.v. 8. à fine. Verba Prophetia. l. Verba Prophetiæ.

